



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

Liber Septimvs. De Passionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)



R. P. MARTINI
DE ESPARZA
ARTIEDA
E SOCIETATE IESV;
& in Collegio Romano S. Theologiæ
Professoris : Cursus Theologici
TOMVS SECVNDVS.

LIBER SEPTIMVS
DE PASSIONIBVS.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum passio sit actus appetitus sensitiui.



VIDETVR non esse appetitus, potius sensitiui, quam partis apprehensiuæ, nec vtriusvis potius, quam intellectus, aut voluntatis. Quia omnis actus animæ est cum aliqua passione. In omni namque suo actu patitur anima ab objecto in ipsam agente, vel immediatè per speciem suam, sicut cum cognoscitur; vel mediatè per cognitionem sui, sicut cum terminat actum aliquem potentia appetitiuæ, siue rationalis, siue irrationalis. Ergo passio non pertinet magis ad vim appetitiuam, quam ad apprehensiuam, nec ad sensitiuam potius, quam ad intellectiuam.

2. Primum in vnoquoque genere, est maximè, & præ cæteris eiusdem generis tale, vt dicitur, 2. Metaphys. text. 4. Inter passionem autem animæ, & animalis, prima omnium est in parte apprehensiuæ. Quæ videlicet prius mota, mouet deinde vim appetitiuam ad omnes, & quosvis suos actus. Nec enim appetitus moueri ad aliquid potest, nisi attrahente, aut deterrente virtute apprehensiuæ mota prius per objectum. Ergo passio magis est in parte apprehensiuæ, quam in appetitiuæ.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

3. Quod est magis actiuum, est minus passiuum, & è conuerso, quod est minus actiuum, est magis passiuum, vt patet in Deo summè actiuo, propterea quæ experti omnis passionis, & in materia prima nullius, aut vix vllius actiuitatis, propterea quæ summè passiuæ. Ratio est, quia actio, & passio opponuntur, atque illa est perfecti, hæc imperfecti. Pars autem appetitiua est maximè actiuæ, quia imperat reliquis omnibus potentiis, omnesque mouet ad suas operationes. Ergo passio minus pertinet ad vim appetitiuam, quam ad apprehensiuam.

4. Ea passio est maior, quæ provenit à virtute actiuæ maiori; Actus autem appetitus rationalis provenit à virtute actiuæ maiori: Quia in appetitum rationalem agit bonum vniuersale, quod est maius, & potentius, quam bonum particulare, quod agit in appetitum sensitiuum. Ergo passio magis est in appetitu rationali, quam irrationali.

5. Passio est via ad corruptionem. Quia quilibet passio si magis, & magis augeatur, corrumpit tandem substantiam, vt habetur ex 6. Topic cap. 2. Anima autem hominis est incorruptibilis, & immortalis secundum se, & secundum omnes suas potentias, ergo secundum se, & omnes suas potentias est omnino expers passionis. Vnde quæstio proposita, est & subiecto non supponente, respectu animæ humanæ, omniumque potentiarum eius.

6. Eorum, quæ agimus, quædam sunt ex passione, quædam sine passione, & quædam etiam contra passionem, vt communiter dicitur, & supponitur

A ab

ab Apostolo dicente ad Romanos 7. 5. *Cum essemus in carne, passionibus peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris.* Ea autem differentia non haberet locum, si omnis actus appetitus sensitui haberet rationem passionis. Quia nihil unquam agimus non praexistente aliquo actu partis sensitivae apprehensivae, ac appetitivae. A qua nimirum dependet pars rationalis in omni suo actu, & à qua consequenter dependent mediata, vel immediate omnes actiones exteriores. Ergo non recte dicitur passionem esse actum appetitus sensitivi, ut sic, & in genere.

Art. 1. Respondetur: Passio dicitur tripliciter. Primo communiter, & late pro qualibet receptione, tametsi nihil remoueat eorum, quae inerant subiecto, quo pacto dicitur 3. de anima text. 12. *intelligere est quoddam pati*, & similiter dicitur aërem pati, cum illuminatur, atque à Dionys. c. 2. de divinis nominibus dicitur patiens Divina, qui plurimum subest inspirationi divinae. Secundo dicitur passio magis proprie pro receptione coniuncta per se cum remotione, & corruptione alicuius praexistentis in passio. Quo pacto dicitur passio qualibet alteratio, ut frigidatio, & calidatio. Denique passio dicitur propriissime, magisque stricte pro receptione coniuncta per se cum remotione, & corruptione alicuius praexistentis in passio permanentem, & per se, seu iuxta naturam, & exigentiam ipsius intrinsecam. Quo pacto dicitur quis pati, cum recipit aegritudinem, aut vulnus, remota, & corrupta sanitate, aut integritate corporis.

Art. 2. Ratio triplicis huius differentiae est. Quia omnis passio fundatur in actiuitate causae dominante passio, ipsumque trahente ad similitudinem, & conformitatem cum causa efficiente. Nulla autem videtur exerceri vis dominativa, & tractiva ex parte causae efficientis circa passum, dum ipsum passum relinquitur cum omnibus, quae ei inerant permanentem, quaeque sunt conformia inclinationi, & exigentiae naturali, atque ita recipit aliquid de nouo, ut nihil propterea amittat de bono sibi connaturali. Passio igitur, quae in sola receptione consistit absque exclusionem alicuius praexistentis vix habet rationem passionis, nec comprehenditur sub hac voce prolata absolute, & sine addito. Rursus receptio coniuncta cum corruptione alicuius praexistentis in passio, parum etiam habet dominationis, & tractionis, quando, quod excluditur, & corrumpitur, non est perfectum passum, nec exigitur ab eodem. Quia in tali casu magis videtur, quod agens obsequatur exigentiae passum, & trahatur ad conformitatem cum ipsa. Qua ferè de causa dicit Philosophus lib. 1. de generat. text. 14. quando ex ignobiliore gignitur nobilius, esse generationem simpliciter, & corruptionem tantum secundum quid. Quapropter hoc etiam secundum genus receptionis habet parum de passione; tametsi habeat aliquid plus, quam primum illud genus receptionis. Ea itaque receptio est proximè, propriissimeque passio, quae ex sua natura est coniuncta cum exclusionem alicuius praexistentis per se in passio, eidemque connaturalis iuxta exigentiam permanentem ipsius secundum se; ut cum aqua calefit, & sic de similibus. Quia tunc agens maximè dominatur passio, ipsumque propriissime trahit ad similitudinem sui, superata eius inclinatione, & renitentia. Qua de causa Philosophus eodem illo in loco dicit, quando gignitur aliquid deterius corrupto meliori, dari corruptionem simpliciter, & generationem tantum secundum quid.

Art. 3. Ex his apparet, animam secundum se esse expertem passionis propriae, & stricte sumptae. Quia quaecunque recipere potest, recipit, quin propterea amittat aliquid eorum, quae sibi insunt permanentem

ter, & per se, iuxta exigentiam suam determinatam. Qua de causa 2. Physic. à text. 19. docetur animam esse immobilem. Indidem rursus apparet operationes animae, pertinentes ad partem eius rationalem, ac intellectualem, non esse coniunctas per se, saltem immediate cum passione propriae, & stricte tali. Quia exercentur independentem ab organo corporeo, ideòque nihil ipsis adiungitur, immediate ratione sui, ex iis, quae sunt propria corporis, sed tantum ea adiunguntur, quae sunt propria animae. Dictum verò est, non esse eiusmodi passionem propriam, ac stricte dictam. Ob rationem contrariam apparet tertio operationes partis sensitivae esse coniunctas immediate cum passione stricte tali. Quia haec operationes exercentur dependentem ab organo corporeo, quod est capax passionis stricte talis, & coniunctae cum corruptione, ac transmutatione. Vnde fit, ut ex assidua operatione atteratur, ac demum corrumpatur.

Art. 4. Verum quoad hoc existit magnum quoddam discrimen inter vim apprehensivam, & appetitivam. Quia operationes apprehensivae non habent adiunctam transmutationem corporalem per se, sed tantum per accidens, appetitivae verò per se. Ratio est, quia operatio partis apprehensivae tota peragitur exprimendo similitudines obiectorum, circa quae versatur; hoc est, adducendo ad se eadem obiecta, atque in hoc sistit, tanquam in ultimo suo termino, loquendo per se. Vnde ex hoc operationum genere solum per accidens, vel mediata solum sequi potest transmutatio corporalis, seu passio stricte sumpta. Mediata quidem eo modo, qui mox exponetur; per accidens verò, si operatio fiat cum attentione, ac intentione nimia, vel cum nimia continuatione. Utrovis enim modo patitur, & corrumpitur, aut disponitur ad corruptionem organum corporale, propter dissipationem, aut nimium confluxum spirituum, & inde aliorum quoque humorum. At operatio partis appetitivae peragitur per persequutionem, & fugam obiectorum, circa quae versatur, ex quibus sequitur motus in corpore, qualis requiritur ad consecutionem, aut conservationem obiecti, vel ad eius reiectionem. Quae est ratio, ob quam potentiae appetitivae obediunt omnes reliquae potentiae animalis, atque ab ipsa moventur ad suas operationes. Nempe potentia appetitiva data est animali, sicut datur economus familiae, ut moveat singulas quasque vires in utilitatem totius. Mouet autem primum omnium organum corporale dependentem, à quo elicit appetitionem, nec, nisi inducta immediate motione circa organum proprium, potest mouere mediata reliquas potentias corporales. Patet igitur operationem appetitus sensitivi esse coniunctam per se cum transmutatione corporali, seu cum passione propriae, ac stricte dicta, ita inducente aliquid de nouo, ut simul excludat aliquid praexistentium, atque inhaerentium animali permanentem, & per se. Ob istam itaque coniunctionem per se inter actum appetitus sensitivi, & transmutationem, seu passionem corporalem stricte talem, iidem actus dicuntur communiter passionibus animalis, nomine effectus magis manifesti translati ad ipsius causam per se, quae est minus manifesta immediate ratione sui.

Art. 5. Apparet denique ex praemissis non omnes actus appetitus sensitivi habere rationem passionis cum aequali proprietate. Magis enim habent de passione actus, ad quos sequitur transmutatio corporalis, quae est nociva respectu animalis, eoque magis, quo maior est vis nociva. Manifestum nimirum est omnem transmutationem, quae dimouet animal ab statu, & dispositione conueniente sibi permanentem, & per se, esse nocivam respectu eiusdem, vel secundum

cundum naturam, vel secundum indiuiduationem eius. Quia, quæ insunt vnicuique permanenter, & per se, sunt conformia exigentiæ eius, adeoque sunt bona respectu ipsius, ac proinde sunt mala, & nociua, quæ cum aliqua eorum corruptione inducuntur vi agentis extrinseci, quale est obiectum mouens appetitum sensitium. Nocent verò magis, quæ magis dimouent à prædicto statu, & dispositione conueniente animali permanenter, & per se. Quia de causa tristitia magis habet rationem passionis, quam gaudium, & lætitia. Quia gaudium diffundit sanguinem per totam corpus, eundemque contrahit tristitia. Diffusio autem sanguinis per corpus non ita nocet animali, atque nocet contractio eius; cum sanguis sit principium vitæ, ideoque diffusionem sui foueat partes, in quas diffunditur, easdemque tantundem labefactet contractio, propter rationem contrariam. Vtraque tamen transmutatio est nociua absolute, cum contingat interire animal, cum ex transmutatione inducta per vehementem lætitiā, tum etiam ex inducta per vehementem sauitiam. Omnes itaque actus appetitus sensitui sunt propriæ passionēs, magis verò propriæ, qui sunt principium transmutationis nociuæ, & eo magis, quo magis nociua ea erit.

Art. 6. Propter prædictam actuum appetitus sensitui coniunctionem cum motu naturali corporis dimouente animal ab statu, & dispositione conueniente sibi permanenter, & per se, diuersa à diuersis imponuntur nomina eiusmodi actibus iuxta illud August. lib. 9. de Ciuit. Dei, cap. 4. *Motus animæ, quos Græci parhi appellant, ex Latinis, quidam vt Cicero 3. Tuscul. perturbationes dixerunt, alij affectiones, alij affectus, alij expressius passiones vocauerunt.* Similiter Gregorius Nyssen. disputat. de Resur. & Anima cum forore Macrina, cum præmisset vocem, *parhi*, id est, subdit *affectus passiones, siue perturbationes, & motus animi.* Sed iam vsus obtinuit, vt passiones potissimum nuncupentur, vt patet ex definitionibus Damasceni lib. 2. fidei Orthod. cap. 22. communiter receptis. *Passio est motus virtutis appetitiue sensibilis ob imaginationem boni, vel mali.* Et rursus: *Passio est motus irrationalis animæ per suspensionem boni, vel mali.* Dici etiam potest, *affectus immediatè inductus transmutationis corporalis*; nec non, *motus intentionalis per se, ac immediatè coniunctus cum mutatione naturali, seu Physica animalis.* In quibus non additur affectui mutatio corporalis, tanquam ratio differentialis quorundam affectuum appetitus sensitui ab aliis eiusdem affectibus. Quia omni actui appetitus sensitui commune est, vt motum cordis augeat, vel diminuat, eumque, aut intensiorem faciat, aut remissiorem, secundum systolem, aut diastolem, quam sit motus, qui conuenit cordi per se ex sua natura, ac indiuiduatione, vt dicit D. Thomas q. 24. art. 2. ad 2. & conuincit ratio paulo prius proposita, atque supponit Damascenus in prædicto capite, dicens, *operationem, quæ secundum naturam est, motum esse; passionem verò, quæ præter naturam est.* Fit itaque illud additamentum ad exponendum adæquatè conceptum passionis; & per id, quod in ea materialiter se habet, sicut corpus in homine, nempe per transmutationem corporalem; & per id, quod in eadem formaliter se habet, sicut anima in homine, nempe per affectum, & motum intentionalem. Per hæc igitur patet, actus appetitus sensitui esse, & quia ratione sunt, passiones.

Ad 1. Conceditur, passionem latè sumptam esse communem omnibus animæ potentiis: Quod solum ea ratione conuincitur. Passio tamen strictè, & propriè sumpta ad solum pertinet appetitum sensitium, vt visum est.

Ad 2. Primum, in vnoquoque genere esse maxi-

mè, & præ cæteris eiusdem generis tale, non verificatur quoad prædicata differentialia posteriorum à primo; sed quoad prædicata eidem primò cum posterioribus communia. Dictum autem est, solam passionem latè sumptam, esse communem actibus apprehensiuæ cum actibus appetitiuæ. Passio autem latè sumpta magis conuenit apprehensiuæ, quam appetitiuæ parti. Quia pars apprehensiuæ per actus suos trahit ad se obiecta, eaque in se quodammodo recipit. Quod appetitiua nequaquam præstat, cum potius ipsa feratur ad obiecta per actus suos. Quia de causa dicit Philosophus verum, & falsum esse in intellectu, atque intellectum quodammodo fieri omnia; bonum verò, & malum esse in rebus, atque voluntatem trahi ad voluta. Quæ suo modo verificantur etiam de sensu, & appetitu sensitiuo.

Ad 3. Quod est magis actiuum actiuitate non subordinata minùs actiuo, nec eius vtilitati deuincta ex sua natura; id verò est minùs passiuum, quam quod est minùs actiuum, non verò quando actiuitas est subordinata vtilitati alterius. Sic, cognitio practica est magis actiua ex genere suo, quam speculatiua, seu contemplatiua, & nihilominus hæc est perfectior, magisque exempta à passionibus, & sic de similibus. Actiuitas autem maior appetitus, quam apprehensionis, est subordinata seruiliter vtilitati reliquarum potentiarum animalis, vt notatum est supra art. 4. Vnde non propterea eximitur specialiter à passione, sed magis in eam inducitur. Opposita de Deo ratio est, cum eius actiuitas nulli alij sit subordinata, sed sit propter se.

Ad 4. Quod est magis actiuum, inducit quidem maiorem effectum, sed qualem aptum est recipere passum. Dictum autem est voluntatem esse expertem passionis strictè talis, eiusdemque esse capacem appetitum sensitium. Bonum itaque vniuersale inducit actum perfectiorem, ideoque & passionem maiorem, sumendo passionem latè, quam bonum particulare, sed hoc inducit simul passionem strictè talem propter naturam passi, in quod agit.

Ad 5. Licet anima hominis sit secundum se incorruptibilis; est tamen corruptibilis quoad potentias organicas, ideoque secundum easdem, est propriè, ac strictè passibilis.

Ad 6. Aliquando sumitur passio in summo rigore pro ea determinatè affectione, & transmutatione, quæ est nociua. Atque passione sic sumpta, dicimur absolute agere contra passionem, quando vitamur peccatum superato impetu passionis trahentis ad illud, tamen id fiat adnitente simul alia passione minimè nociua, sed magis vtili, & sic de similibus. Atque in hoc sensu loquitur Apostolus, vt patet ex eius verbis. Quapropter transeat pronunc, quod tamen in quæst. sequenti apparebit esse falsum, nihil agere voluntatem, non cooperante aliqua passione propriè tali. Non enim inde concluditur non peragi plura ab eadem voluntate absque passione, & contra passionem propriissimè, & summè talem, iuxta notationem, & rationem præmissam art. 1. & 2. in fine.

QVÆSTIO II.

*Vtrum diuersitas, & contrarietas passionum
proueniat ex sola obiectorum diuersitate,
& contrarietate?*

Videtur non inde solum prouenire. 1. Quia spes, & desperatio: audacia, & timor distin-

guuntur inter se, atque inuicem opponuntur; & tamen singuli binarij versantur circa obiectum adequatè idem. Quia spes tendit ad consecutionem boni ardui, de qua diffidit, & à qua recedit desperatio; & similiter audacia aggreditur malum vitæ difficile, à quo refugit, & cui succumbit timor. Ergo distinctio, & oppositio passionum non prouenit ex sola distinctione, & oppositione obiectorum.

2. Animus mouetur affectibus, sicut corpus mouetur gressibus. In corpore autem accessus, & recessus distinguuntur, & opponuntur inter se absque vlla distinctione, vel oppositione ex parte termini à quo, & ad quem; cum sit prorsus idem terminus, ad quem modò accedimus, & à quo modò recedimus. Similiter ergo in affectibus contingere potest, vt sit in eis distinctio, atque oppositio respectu obiecti adequatè eiusdem.

3. Quot sunt principia specie distincta, atque opposita inter se respectu affectuum alicuius generis, tot sunt principia distinctionis, & oppositionis inter eosdem affectus. Principia autem affectuum, & passionum non sunt sola obiecta, circa quæ versantur, sed etiam potentia, à quibus, & in quibus oriuntur, & recipiuntur. Ergo affectus, & passionem non distinguuntur, & opponuntur ratione obiectorum tantum, sed etiam ratione potentiarum.

4. Occurrente eodem obiecto diuersimodè dispositis, diuersi, atque contrarij exsurgunt affectus. Audax enim assurgit in audaciam, & timidus succumbit timori, sub apprehensione eiusdem mali vitæ difficilis. Ergo diuersitas, & oppositio affectuum, tam prouenire potest ex parte subiecti, quam ex parte obiecti.

5. Amor, qui versatur circa bonum secundum se, & spes, quæ versatur circa bonum difficile, ac arduum, distinguuntur inter se specie. Et tamen difficultas non habet rationem obiecti. Nec enim spes afficitur ad difficultatem, sed ad solam bonitatem, quæ est difficilis. Idem dicitur eadem ratione de affectibus, circa bonum præsens, & absens, nec non circa bonum præscindens à præsentia, & absentia. Duri igitur potest diuersitas specifica affectuum absque vlla diuersitate specifica obiectorum mouentium ad illos.

6. Affectus distinguuntur inter se ad eum modum, quo inter se distinguuntur apprehensiones, atque illi correspondent istis iuxta quadam proportionem, vt habetur ex 6. Ethic. cap. 3. Apprehensiones autem sæpe distinguuntur inter se ex solo modo tendendi, vt apparet inter alia ex actu simplicis apprehensionis, & ex actu æstimationis, quos circa idem obiectum distinguit specie Philosophus 2. de anima text. 154. diuersosque illis effectus attribuit. Ergo similiter affectus distinguuntur inter se specie ex solo modo tendendi diuerso circa idem obiectum.

7. Numerus affectuum diuersorum, atque combinationum oppositionis inter ipsos est diuersus apud diuersos, immò etiam apud eosdem in diuersis locis, vt apparet legenti Philosophum lib. 1. Ethic. & lib. 2. Rhetor. Diuum Thomam, quæst. 23. art. 4. Galenum lib. de curandis animi morbis. Philosophus enim in priori loco suprema omnia passionum classes decennario numero complectitur: in posteriori verò loco numerat tredecim. At Diuus Thomas vbique vndecim constituit, & differt præterea à Philosopho qualitate affectuum, quos exponit. Quia Philosophus in priori loco non meminit fugæ, & spei, quas vbique suggerit D. Thomas in sua passionum recensione. Vterque verò omittit verecundiam, quam alij connumerant cæteris passionibus. Galenus passiones dicit omnes esse octo;

similisque discrepantia est frequens apud alios etiam authores. Huic autem diuersitati nullus est locus, si diuersitas, & oppositio passionum tota esset penes obiecta. Quorum videlicet, quatenus pertinentium ad sensum, diuersitas, & oppositio mutua est omnibus, vel etiam mediocriter doctis, peræquè manifesta.

Art. 1. Respondetur. Diuersitas, & oppositio eorum, quæ vni, eidemque insunt relatiue ad plura, ex sola eorundem plurium diuersitate, & oppositione prouenire potest. Quia omnis diuersitas relatiuum dependet essentialiter ex diuersitate, & oppositione extremorum, inter quæ versantur. Patet autem, ex parte extremi, quod est vnum, ac idem respectu omnium, nullam posse suboriri diuersitatem, aut oppositionem; cum vnum, & idem supersit aptum facere idem, si secundum se præcisè consideretur, nec sit agens liberum. Tota igitur diuersitas, & oppositio, necesse est, vt oriatur ex sola diuersitate, & oppositione eorum plurium, ad quæ illud vnum refertur. Vnaquæque autem anima, quatenus sensitua est, refertur per suos actus ad omnia promiscuè sensibilia, tum vt est apprehensiuæ, tum vt appetitiuæ est. Necesse igitur est, vt omnes, tam apprehensiones, quam appetitiones distinguantur, & opponantur inter se iuxta solam diuersitatem, & oppositionem obiectorum, circa quæ versantur.

Art. 2. Hinc apparet inutiliter eos laborare, qui diu, multumque disputant de distinctione, seu indistinctione potentia apprehensiuæ, & appetitiuæ; nec non appetitiuæ concupiscibilis, & irascibilis, tum inter se, tum ab anima substantia, vt inde deducant diuersitatem aliquam specificam, aut genericam inter alios, atque alios actus animæ. Quia licet ponatur eidem animæ inesse diuersas potentias, eadem tamen diuersitas reuocanda tandem est ad diuersitatem formalem, vel realem obiectorum, circa quæ versantur; idque eadem ratione, quæ circa actus ponderata modò est. Satiùs igitur est, si tota actuum diuersitas vniformiter reuocetur ad diuersitatem obiectorum; quandoquidem ad eandem recurrentium tandem est, tametsi interponatur distinctio & diuersitas qualiscunque potentiarum, breuiusque, ac commodius iter est per lineam rectam, quam per gyrum, cæteris paribus, vt paria sunt in præsentia, nisi quodd obiecta sint notiora, quam potentia, atque hoc etiam nomine est melior expositio per obiecta. Ij verò magis exorbitant, qui dicunt aliquos affectus distingui ex parte potentiarum, alios ex parte obiectorum. Quasi verò affectus aliqui distingui possint ex parte potentiarum, quin eo ipso distinguantur etiam ex parte obiectorum. Quod planè repugnat, cum potentia ipsa distinguantur inter se, apud omnes agnoscentes distinctionem earum mutuam, relatiue ad obiecta non solum specie, sed genere diuersa. Vnde necesse est, vt omnes cuiusque potentia actus differant maxima quadam differentia ab omnibus alterius potentia actibus ex parte obiecti. Ad obiectorum itaque diuersitatem, & contrarietatem, expedit vnice recurrere pro legitima, & clara expositione diuersitatis, & oppositionis affectuum.

Art. 3. Prima autem, & vniuersalissima diuersitas, & oppositio obiectorum appetitus sensitui est, quæ datur inter bonum, & malum sensibile, sicut summa diuersitas, & oppositio obiectorum partis apprehensiuæ est penes verum, & falsum. Quia obiectum motuum adequatum appetitus est bonum, atque appetitus sensitui est bonum sensibile, cui opponitur vniuersaliter sensibile malum. Ad bonum sensibile referuntur omnes affectus profectui;

ad

ad malum verò omnes affectus auersatiui. Prima igitur, atque vniuersalissima diuisio affectuum est in prosecutionem, & fugam. Sequitur mox diuisio boni, & mali in bonum facile consequibile, seu præscindens à difficultate, & bonum difficile, ac arduum, seu quod obtineri, ac haberi absque victoria difficultatis minimè potest. Idemque dicitur de malo facile, aut difficulter vitabili. Et quidem dubitari minimè potest, quin affectus sortiantur specificam inter se differentiam relatiuè ad bonum secundum se, & relatiuè ad bonum superatiuum difficultatis. Quia bonum quatenus superatiuum difficultatis sibi adiunctæ superaddit bono secundum se rationem formalem, peculiarem distinctiuam, ac discretiuam eiusmodi boni à bono secundum se, seu non superatiuo difficultatis. Cum ergo sufficiat ad distinctionem specificam actuum animæ diuersitas, ac dissimilitudo formalitatum correspondentium ipsis ex parte obiecti; pater affectus, qui versantur circa bonum, & malum secundum se dissidere specie ab affectibus, qui versantur circa bonum, & malum difficile, quatenus difficile est. Posteriores namque isti affectus sunt intrinsecè pugnaces, ac contentiosi, tenduntque ex sua natura ad victoriam difficultatis, quæ inest consecutioni, & conseruationi boni, atque vitæ boni. Priores verò affectus sunt ex sua natura pacifici, & quieti, ac desides. Quia visu appetitiua mouetur, ac incitatur cum hac differentia ab utroque eo, & bono, & malo.

Art. 4. Vtrumuis autem, tam bonum, quam malum subesse vltèrius potest triplici alij differentia. Vtrumuis enim potest esse præsens, vel absens, seu possessum, vel non possessum; potestque proponi appetitui; vt præscindens à præsentia, & absentia, seu à possessione, & non possessione. Quæ differentia obiectiua sufficiunt similiter ad diuersitatem specificam actuum. Quia possessio cuiuscumque boni superaddit ratione sui peculiarem quandam bonitatem, vltra eam, quæ conuenit rei possessæ secundum se; & similiter de malo proportionè seruata. Ergo affectus, qui fertur ad bonum, vt præsens, ac possessum differt specie ab affectu, qui versatur circa idem bonum, vt absens. Quia hic posterior affectus prosequitur bonum, quatenus subest malo opposito bonitati peculiari, quam dictum est adesse obiecto prioris illius affectus. Idemque dicitur de affectibus circa malum præsens, & absens. Eadem autem ratione affectus, qui versatur circa bonum, vel malum, quatenus præscindens ab absentia, & præsentia, differt specie ab affectibus, qui feruntur ad obiectum, vt affectum alterutra ex illis differentia. Quia ad affectus, qui feruntur ad bonum, & malum, vt præscindens à præsentia, & absentia, non mouent, nec cooperantur rationes peculiæ bonitatis, & malitiæ, quas dictum est, esse indistinctas ab eadem, & præsentia, & absentia. Desunt igitur eiusmodi affectibus prædicata peculiaria, quæ insunt affectibus circa bonum, & malum, siue, vt præsens, siue, vt absens determinatè.

Art. 5. Tres itaque dantur coniugationes affectuum inuicem oppositorum, circa bonum, & malum facile, seu præscindens à difficultate consequendi, & vitandi. Prima coniugatio est amoris, & odij, seu abominationis, quorum alterum prosequitur bonum secundum se, alter auertitur à malo secundum se. Secunda coniugatio est desiderij, seu concupiscentiæ, & fugæ, seu auersationis, quorum alterum fertur ad bonum, vt absens, & consequibile, altera ad malum, vt imminens, & vitabile. Tertia coniugatio est gaudij, seu delectationis, & tristitiæ, quorum alterum incumbit bono, vt præsentem, & fructum, altera succumbit malo, vt præsentem,

R. P. de Espinosa Curs. Theol. Tom. II.

eoque angitur. Omnes porro istæ sex passionες dicuntur propriæ animæ; quatenus concupiscentis, omnèque promiscuè appellari consueuere concupiscentiæ. Cuius ratio est, quia plerisque hominibus desunt frequentius, quàm adsint plerique eorum, ad quæ afficiuntur, atque iis concupiscentis, & conquirendis vires animi maximas, partemque temporis maximam impendunt. Nec mirum est nomen affectus vniuersaliōris, magisque familiaris, ac noti cæteris eiusdem generis affectibus communicatum esse.

Art. 6. Circa bonum, & malum arduum distinguuntur similiter tres aliæ coniugationes affectuum inuicem oppositorum; sed modo longè diuerso. Quia nulli bono, quatenus præsentem iam, & possessum conuenit arduitas; cum possessio haberi non possit, nisi superata iam, & exclusa omni arduitate boni possessi. Consequenter, quodlibet bonum quatenus præscindens ab absentia, & præsentia, eo ipso præscindit ab arduitate, & carentia arduitatis. Quapropter affectus, qui versantur circa bonum, & malum difficile, ac arduum, non possunt inter se differre ratione præsentia sui obiecti, aut ratione præcissionis à præsentia, & absentia, sed alius inter eos distinctionis, ac oppositionis mutua modus intercedit. Prima igitur coniugatio eiusmodi affectuum inuicem oppositorum est spei, & desperationis, quarum altera versatur circa bonum arduum absens, cuius bonitas, & cōsequibilitas proponitur, vt præponderans arduitati, ac difficultati; altera verò versatur similiter, circa bonum arduum absens, cuius difficultas, ac arduitas proponitur è cōuerso, vt præponderans bonitati, & cōsequibilitati. Secunda coniugatio est audaciæ, & timoris, quarum altera respicit malum difficulter vitabile, cuius malitia, & vitabilitas proponitur, vt præponderans difficultati vitandi; alter verò respicit similiter malum difficulter vitabile, cuius difficultas, & arduitas proponitur è cōuerso, vt præponderans malitiæ, & vitabilitati.

Art. 7. Ratio distinguendi hoc modo passionēs inuicem contrarias, circa bonum, & malum difficile, nititur mixtione, seu quasi mixtione bonitatis, & malitiæ in eiusmodi, tam bono, quàm malo. Nempe quoddam aliquod bonum sit difficulter consequibile, est aliquod malum adiunctum illi bono, quatenus difficultas consequendi excludit facilem consecutionem, quæ est circumstantia continens in se peculiarem quandam bonitatem, specialiter appetibilem per se. Similiter in malo difficulter vitabili, vitabilitas continet in se bonitatem quandam peculiarem oppositam inuitabilitati mali, quæ est malitia quædam peculiaris, seorsum odibilis per se. Vtrumuis igitur ex eiusmodi extremis potest terminare affectum, tum prosecutionis, tum fugæ, prout contigerit præualere in ea mixtione, seu quasi mixtione rationem, vel bonitatis, vel malitiæ. Manifestum porro est mixtum, seu quasi mixtum, in quo præualet ratio bonitatis rationi malitiæ dissidere specie à mixto, in quo præualet è cōuerso ratio malitiæ rationi bonitatis; adeoque posse actus eandem eatenus specie diuersos, & oppositos inter se, tam circa bonum mixtum malo, quàm circa malum mixtum bono. Manifestum rursus est non posse concipi modo spem; modò desperationem circa bonum difficile, aut modò audaciam, modò timorem circa malum difficile, quin per æstimatiuam proponatur, modò bonitas, vt præponderans malitiæ, modò malitia, vt præponderans bonitati. Quia cum appetitus sensitiuus non sit potentia libera, & electiua, sed necessaria; fieri non potest, vt erumpat in affectus diuersos, atque inuicem oppositos, quin præeat propositio rationis obiectiua similiter diuer-

sa, atque opposita, & praevalentis respectu rationis obiectivae, quae praetermittitur, seu materialiter se habet respectu affectus. Spes igitur, & desperatio, audacia, & timor distinguuntur inter se, atque opponuntur modo dicto ex parte obiecti, & non per solum conceptum accessus, & recessus respectu eiusdem termini, seu obiecti adequatè eiusdem, quoad ultimum, & adequatum suum conceptum, ut communiter dici consuevit, videturque doceri ab ipso etiam D. Thoma, quaest. 23. art. 2. Qui tamen plurimum re ipsa distat à sententia modernorum distinguuntur eos affectus ex solo modo tendendi, nobisque apertè suffragatur, quoad eorum distinctionem provenientem ex diversitate rationis formalis obiectivae, ut patet manifestè ex iis, quae docet infra quaest. 40. art. 4. c. ad medium, & de veritate q. 26. quae est de passionibus art. 4. ubi inter alia sic habet: *Propria distinctio ipsius irascibilis est, ut passiones eius distinguantur secundum excedens facultatem appetentis, vel non excedens, & hoc secundum estimationem. Ista enim, &c.*

Art. 8. Superest postremo affectus irae, qui versatur circa malum praesens, quatenus difficulter abiicibile est. Malum enim, quatenus proponitur, ut iam afficiens animal, simulque, ut reiciibile, excitat affectum abominatum mali, ut praesentis, & intentionum exclusionis eius, superata difficultate, quae est in excludendo. Hic affectus nullum habet affectum proprium partis sensitivae sibi formaliter contrarium. Primum enim, si bonum contrarium illi malo proponatur, ut praesens, impossibile est simul proponi, ut arduum. Quia praesentia boni non contingit, nisi postquam superata, & sublata est omnis eius difficultas, ac arduitas. Unde ex nullo bono praesenti potest oriri alius affectus, quam gaudij, & delectationis, qui pertinet ad partem concupiscibilem, ut dictum est. Deinde si malum praesens proponatur, ut penitus irrecipibile, solum sequitur affectus tristitiae, qui similiter pertinet ad partem concupiscibilem. Denum si idem malum praesens proponitur, ut reiciibile quidem, sed cum difficultate reiciendi, quae praevaleat bonitati reiectionis, sequitur similiter affectus tristitiae perinde, aut ferè, atque si proponeretur purum malum praesens penitus irrecipibile. Patet igitur affectui irae, nullum correspondere affectum formaliter, & sub uniformi obiecti ratione sibi contrarium, atque adeò mitatem, seu mansuetudinem contrariam irae, quod ad partem sensitivam attinet, non esse affectum aliquem positivum, sed purum defectum irae, & cessationem à motu, atque consistere in pura priuatione, seu negatione, ut docet D. Thom. q. 23. art. 3. cum Philosopho lib. 3. Ethic. cap. 5. & lib. 2. Rhet. c. 1. initio, quibus ego assentior pro nunc, licet non sine aliquo serupulo, qui ex nuper indicatis, facile transparet consideranti, & infra dicetur ex professio quaest. 41. Omnes autem affectus, circa bonum, & malum difficile, fortiuntur denominationem ab isto postremo affectu irae, & dicuntur pertinere ad partem irascibilem, seu ad animam, quatenus irascibilis est. Ratio est similis rationi, ob quam dictum est omnes affectus circa bonum, & malum praescindens ab arduitate, denominari ab affectu concupiscentiae. Quia videlicet sicut plerumque bona prosequibilia ab hominibus, plerumque ipsi defunt, ideoque in concupiscendo, ac desiderando vires suas omnes praecipue exercent, ita per consequens plerumque premuntur praesentia malorum detestabilium ab ipsis, ideoque vires suas omnes superativas difficultatum plerumque, & maxime exercent irascendo, seu superando difficultates reiciendi mala praesentia, atque ex affectu utrobique magis familiari; magisque noto denominan-

tur reliqui omnes affectus pertinentes ad unumquodque genus ex praedictis.

Art. 9. Omnes porro passiones sub utroque eo genere contentae ad undecim omnino classes reuocantur, ut euincit sufficiens partium enumeratio ex parte obiectorum, & quibus ostensum prius fuit provenire omnem inter passiones diversitatem. Liqueat rursus sex priores classes pertinere ad partem concupiscibilem, seu ad animam, quatenus concupiscentem, atque triplicem ex illis confici binarium affectuum inuicem oppositorum, amoris, & odij, concupiscentiae, seu desiderij, & fugae, gaudij, & tristitiae. Quinque verò reliquae passiones pertinent ad partem irascibilem, seu ad animam, quatenus irascens, ex quibus conficitur similiter hic oppositionis ordo; spes & desperatio; audacia, & timor; ira, & priuatio irae; seu ira, & tristitia omnino conueniens cum affectu huius nominis, pertinente ad partem concupiscibilem, vel certè valde similis eidem. In hunc igitur modum omnis passionum diversitas, & oppositio, ac contrarietas provenit ex sola obiectorum, circa quae versantur diversitate, & contrarietate.

Ad 1. Conueniunt quidem obiectum spei, & obiectum desperationis in conceptu boni ardui, seu difficulter consequibilis. Ceterum non omne tale bonum est eiusdem rationis, quoad mutuam comparisonem bonitatis consequibilis, & difficultatis superanda, ut obtineatur. Quia aliquando proponitur bonitas, ut digna, pro qua obtinenda superetur difficultas, quae ipsi inest. Aliquando verò proponitur tam exigua bonitas, & tam magna difficultas, ut non appareat eadem bonitas digna, pro cuius consecutione fiant tanti sumptus. In priori euentu, sequitur spes: in posteriori, sequitur desperatio; nec fieri potest ex vi appetitus sensitui secundum se, quae ex potentia necessaria, ut oppositum contingat. Cum ergo diversitas illa obiectivae, sit admodum manifesta, manifestum planè est, spem, & desperationem differre, atque opponi inter se ex parte obiecti, licet obiectum utriusque contineatur uniformiter sub conceptu quodam genérico, & abstracto boni ardui absentis, seu obiecti absentis compositi ex bonitate, & malitia. Quod unum fefellit opinantes, spem, & desperationem dissidere inter se ex solo modo tendendi. Idem dicitur suo modo de audacia, & timore.

Ad 2. Accessus, & recessus corporalis non attingunt per seipsos immediatè motiua accedendi, & recedendi, quae attingunt immediatè per seipsos amor, & odium, prosecutionis, & fugae appetitus tum sensitui, tum rationalis. Motiua autem amoris, & odij: prosecutionis, & fugae necesse est, ut distinguantur inter se specie. Nec enim fieri potest, ut idem secundum idem moueat promiscuè ad amorem, & odium: prosecutionem, & fugam. Quapropter accessus, & recessus intentionalis, & affectiuus semper habent ex parte motiui formalis, unde distinguantur inter se specie; tamen fieri possit, ut obiectum materiale, quod prosequitur vnus affectus, & à quo alius affectus refugit, sit prorsus idem. Non est igitur adequata, nec est ad rem comparatio accessus, & recessus intentionalis, ac affectiuus cum accessu, & recessu corporali; sed magis facienda est comparatio cum voluntate accedendi, & cum voluntate recedendi, quas constat dissidere inter se ex parte motiui formalis.

Ad 3. Verum est omnia, & quaelibet principia specie diuersa posse inducere specificam diuersitatem in effectus. Verum si specifica diuersitas aliquorum duorum principiorum dependeat ex diuersitate specifica principiorum ipsis cooperantium, ad
hac

hæc demum sola comprincipia reuocanda necessaria erit tota diuersitas specifica effectuum. Ita verò res habet in præsentia: Quia etiam si ponatur inesse animæ duas potentias specie distinctas, alteram concupiscibilem, alteram irascibilem, negari nihilominus non potest; neque ab ullo negatur auctore, distinctionem specificam earum potentiarum prouenire mediata, vel immediate ex diuersitate obiectorum, circa quæ versari possunt. Necessè igitur est, vt omnis qualiumcunque affectuum distinctio specifica, & generica reuocetur mediata, vel immediate ad solam diuersitatem specificam, vel genericam obiectorum.

Ad 4. Diuersa in diuersis dispositio præuia animi, vel corporis potest inducere in eisdem affectus specie diuersos circa obiectum realiter ac materialiter idem, atque eatenus assumit bene obiectio. Caterum fieri non potest, vt eadem illa diuersitas præuia dispositionis inducat immediate diuersitatem eam affectuum, sed necesse est, vt prius inducat immediate tantumdem diuersitatis in cognitione directiua affectus. Quia affectus solam sequitur immediate cognitionem, qua dirigitur, atque obiectum, prout representatum per ipsam. Cognitionem autem nequit esse diuersa, nec habere diuersam vim mouendi appetitum, eundemque cogendi ad diuersum affectum, quin ex parte obiecti representet diuersam rationem formalem bonitatis, aut malitiae. Diuersa igitur dispositio præuia animi, vel corporis non aliter inducere valet diuersitatem affectuum, nisi inducendo prius diuersam apparentiam rationis formalis obiectiue sic, vel aliter trahentis potentiam appetitiuam. Quia de causa Philosophus, vt exprimeret diuersitatem affectuum prouenientem ex diuersa cuiusque dispositione præuia permanenti, dixit, 3. Ethic. c. 5. *Qualis quisque est, talis finis videtur ei*; nimirum, vt præponderans, vel non præponderans fini opposito, iuxta dicta supra art. 6. & 7. circa illos ipsos affectus audacis, & timidi.

Ad 5. Licet spes non respiciat, tanquam motuum suum formale, vel etiam partiale, difficultatem, quæ inest bono sperato, bonitatem tamen eius respicit formaliter, tanquam superatiuam eius difficultatis, seu tanquam dignam, pro qua obtinenda superetur eadem difficultas. Quæ quidem formalitas est diuersa à conceptu bonitatis secundum se, non allicientis voluntatem ad pugnam cum vlla difficultate, atque ad eam superandam. Idem dicitur suo modo de cæteris affectibus, quorum meminit obiectio, vt apparet clarius ex dictis supra art. 4. Rationes autem formales obiectiue, quæ distinguuntur inter se ratione, perinde sufficiunt ad distinctionem, & diuersitatem realem actuum, qui feruntur ad illas, atque sufficiunt obiecta realiter inter se distincta, atque diuersa, vt ostensum est q. 3. de Virt. Theol. ad 1. & 2.

Ad 6. Imò quia verum est affectus distinguuntur inter se, sicut cognitiones inter se distinguuntur, verum quoque est affectus nunquam illos distinguere posse nulla existente distinctione obiectorum, aut rationum formalium, ad quas feruntur. Quia nullæ duæ cognitiones possunt inuicem dissidere, quin intellectus ad ipsas determinetur per diuersa obiecta, aut diuersas eatenus formalitates obiectiue, de quo alibi pluribus. Minimè verò omnium fieri potest, vt absque diuersitate ex parte obiecti erumpat intellectus in eas cognitiones inuicem diuersas, quibus cum comparari idoneè possunt spes, & desperatio; audacia, & timor. Quos enim uerò binarios affectuum, vel maximè contendunt auctores nobis contradicentes, distinguunt inter se ex solo modo tenden-

di absque vlla diuersitate ex parte obiecti. Binarij autem cognitionum correspondentes illis affectibus, quorum alter est proleptio, & alter fuga, sunt affirmatio, & negatio; Quæ quidem possunt habere idem omnino obiectum materiale, fieri tamen nequaquam potest, vt habeant idem omnino motuum formale. Nunquam enim determinare poterit intellectum, ad negandum aliquid, illud ipsum, quod determinare potest ad affirmandum idem. Ergo neque fieri potest, vt determinet appetitum, ad prosequendum aliquid per spem, illud ipsum, quod determinare potest eundem appetitum ad fugiendum ab eodem obiecto per desperationem, & sic de similibus. Philosophus in illo loco nullum tradit principium vniuersale de distinctione, vel indistinctione obiectorum pro distinctione actuum; sed solum dicit, intuentem leones pictos non affici; affici verò videtur propè leones veros, propter diuersitatem estimationis in priori, & posteriori euentu, in quo diuersitas obiecti satis profectò magna apparet. Quanta nimirum est inter leonem verum, & picturam leonis, eiusdemque præsentiam, & absentiam. Vniuersim autem estimatiua iudicat, seu quasi iudicat de conuenientia, aut disconuenientia obiecti, respectu ipsius iudicantis, non solum in abstracto, & secundum se præcisè, sed prout hic, & nunc à quo sic considerato abstrahit adæquatè, vel saltem inadæquatè cognitio non estimans, seu purè apprehendens. Differunt igitur manifestè ex parte obiecti.

Ad 7. Diuersa apud diuersos passionum enumeratio, atque classum, ad quas reuocantur partitio non orta est ex distinguibilitate passionum independenter à distinctione obiectorum; sed ex diuersa obiectorum consideratione, iuxta intentionem vniuersaliusque directam principaliter ad determinatas quasdam conditiones obiectorum. Quod absque læsione veritatis multipliciter fieri potest. Et quidem subdiuisiones passionum à nobis inuicem distinctarum, quamplures ulterius fieri possunt. Quia supersunt plures alia subdiuisiones obiectorum formalium specie, imò, & genere inuicem distinctorum. Sed commodissimum visum est, vniuersalissimam initio diuisionem præmittere, quæ, & complecteretur sub se omnia alia genera, & species passionum, in quas alia ulterius diuisiones fieri possunt, simulque ob oculos poneret distinctè præcipuas quasque differentias passionum, quarum expositio idoneè perducere potest ad methodicam reliquarum minutionum, ac contractiorum differentiarum declarationem, vt feliciter, & comprehensiuè præstitit præsertim D. Thomas post Philosophum.

QVÆSTIO III.

Vtrum omnes passionessint malæ?

Videntur omnes esse malæ. 1. Quia omnes passioness prosequuntur, ac fugiunt bonum, & malum sensibile ratione sui, & constituendo in ipsis centrum, ac finem suum vltimum, habentque vim inclinandi, & alliciendi voluntatem, vt idem circa eadem faciat per actus suos. Hoc autem est intrinsecè turpe, ac inhonestum. Ergo omnes passioness, quantum est de se, sunt nociuæ respectu voluntatis, ac proinde sunt malæ.

2. Omnis passio dimouet animal à statu, & dispositione sibi connaturali, addendo, vel detrahendo aliquid vltra, vel citra id, quod exigit animal secundum se, adeoque continet semper aliquid in se, quod est præter naturam. Omne autem, quod est præter

præter naturam, prout à Deo instituta est, malum est. Vnde Damascenus lib. 4. Orthod. fidei cap. 21. vt significet malum, in quod incidit Diabolus, dicit verum illum esse ex eo, quod est secundum naturam, in id, quod est præter naturam. Omnis igitur passio est mala.

3. Malum est, quicquid est principium, aut pœna peccati. Passiones autem sunt principium peccati, vt patet ex verbis Apostoli superius indicatis. *Cum essemus in carne, passionibus peccatorum, &c.* Sunt etiam pœna peccati, quia ante peccatum non suberat homo impulsibus passionum. Ergo omnis passio est mala.

4. Passiones vocantur morbi, & perturbationes animæ, vt patet ex verbis Augustini 9. de Ciuit. c. 4. superius indicatis. Patet autem morbos, & perturbationes animæ esse malas.

5. Passiones vehementes, ac valde intensæ, sunt magna mala, quia plurimum impediunt iudicium rationis, & rectam rerum æstimationem, ac electionem. Ergo paruæ passionibus sunt similiter parua mala; sicut paruum morbum concluditur esse paruum malum, ex eo, quod magnus morbus est magnum malum. Quod est argumentum Cicer. lib. 3. Tuscul. paulo post initium.

6. Diminutio bonitatis fieri non potest, nisi per adiunctam malitiam, Passio autem diminit bonitatem actus, cui adiungitur, tum quia minuit imitationem Dei, & Angeli, qui operantur, nulla cooperante passione; tum quia pluri fit fortitudo timidi, quàm audacis, & eleemosyna immisericordis, ac crudelis, quàm misericordis, & sic de similibus.

7. Quod aduersatur bonitati, & rectitudini consultationis, ac deliberationis, non potest non esse malum. Omnis autem passio illi contradicit, vt patet ex verbis Cæsaris apud Salustium de Bello Catil. *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, ira, & amicitia, atque misericordia vacuos esse decet.*

Art. 1. Respondetur. Antiqua controuersia inter Stoicos affirmantes omnes passionibus esse malas, atque sapientem esse omnis prorsus passionis expertem, & inter Peripateticos laudantes earum excessum, partim fuit de voce, partim laborabat falsa suppositione, vt aduertit D. Thomas q. 24. art. 2. Nempe Stoici non admittebant distinctionem inter sensum communem, & intellectum, & consequenter non admittebant appetitiones materiales directas, sola cognitione sensitiua, communes homini cum brutis, atque distinctas ab appetitionibus spiritualibus, directis per cognitiones intellectuales independentes ab organo corporeo. Quæ suppositio est falsa, vt ostensum est in q. de anima. Facta autem ea falsa suppositione, dicebant consequenter, omnem appetitionem conformem rectæ rationi esse voluntatem; omnem verò disconformem eidem rectæ rationi, esse passionem, & quod inde manifestè consequitur, omnem passionem esse malam. Supposito autem huiusmodi abusu vocum nulla supererat quoad hanc partem controuersia realis cum Peripateticis, vt pote agnoscantibus, atque docentibus indubitanter omnem actum voluntatis transilientem limites rationis esse malum.

Art. 2. Supponenda verò in primis à nobis est sententia vera Peripateticorum, quæ iam apud omnes vbique inualuit, de distinctione appetitus sensitiui ab appetitu rationali, nec non phantasie ab intellectu. Retinenda deinde est suppositio passionis exposita in q. 1. pro actu appetitus sensitiui, quatenus distincto ab omni actu voluntatis, directo per rationem, vel rectam, vel tantum apparentem. His

autem ita constitutis dupliciter considerari possunt passionibus. Primò secundum se præcisè. Secundò prout subsunt rationi, & libero voluntatis imperio. Si secundum se præcisè considerentur, nullius sunt participes bonitatis, aut malitiæ moralis. Quia eatenus sunt expertes libertatis, quæ est de conceptu moralitatis, vt dictum est q. 16. de act. hum. Si verò considerentur, vt subsunt imperio rationis, participant inde rationem bonitatis, & malitiæ moralis ad eum modum, quo euadant participes vtriusque actiones exteriores, quatenus proueniunt à libero voluntatis imperio, pro vt clariùs apparebit ex q. seq. Dico autem esse bonitatis non minus, quam malitiæ participes passionibus prout subsunt imperio rationis. Quia passionum mediocritas constituta à ratione est bona, & laudabilis, sicut est vituperabilis, & malus earundem excessus transgrediens limites rationis, quoad substantiam, vel modum, seu vehementiam, ac intensiorem, vt docet inter alios Augustinus ex professo lib. 9. de ciu. c. 4. & 5. lib. 14. c. 6. 7. & 9. & lib. 19. c. 4. In quo postremo loco, aduertit præterea, controuersiam, quoad hoc inter Stoicos, & Peripateticos fuisse de voce potius, quàm de re, vt dictum est in art. præcedenti cum D. Thoma.

Art. 3. Si verò eadem passionibus considerentur quoad bonitatem, & malitiam physicam, vtilem, vel nocentem respectu constitutionis naturalis conuenientis animali secundum corpus. Dicendum in primis est, omnes passionibus, omnesque motus appetitus sensitiui, esse quodammodo disconuenientes animali, & lata quadam significatione malas, ac nocuias. Dictum nimirum est in q. 1. omnibus actibus appetitus sensitiui hoc esse commune, vt dimoueat aliquatenus animal à statu, & dispositione sibi conuenienti permanenter, ac per se, iuxta exigentiam suam naturalem. Nocet autem, & est malum aliquatenus, quicquid est eiusmodi, siquidem contradicit eatenus existentia, & inclinationi subiecti, cui inest. Dicendum rursus nihilominus est, aliquos passionum motus esse malos, ac nocuios tantum secundum quid, viles verò, ac bonos simpliciter. Quia videlicet contingit indiuiduationes aliquorum esse imperfectas, atque compactas collectione accidentium includente in se excessum, vel defectum, quoad aliqua ex ipsis, & vix vllus est, si tamen aliquis omnino est, qui aliquem talem defectum non patitur ex sua indiuiduatione nimium calida, vel frigida, hilari, vel melancholica, & sic de aliis. Vnde si in melancholico, vel frigido excitetur passio coniuncta cum feruore sanguinis, aut cum eiusdem diffusionis intrinsecè exhilaratiua, taliter erit nocuius, ac molestus homini talis motus secundum peculiarem indiuiduationem eius, ipsiusque indiuiduationis exigentiam, & inclinationem innatam; vt tamen sit absolute vtilis, ac propitijs naturæ ipsius hominis; vt potè emendatiùs eius defectus, quæ patitur ex sua indiuiduatione; Quod profectò non aliter verificatur de passionibus, quàm de medicinis, aliisque agentibus extrinsecis, quorum applicatione vtiliter vnique subuenitur aduersus defectus, quos patitur ex sua indiuiduatione.

Art. 4. Obseruandum denique est, inualuisse, apud plures, modum loquendi conformem doctrinæ, & notioni passionis, quam tradit Damascenus, lib. 2. Orth. fidei cap. 22. propius ad principium, quàm ad medium, his verbis: *Leues etenim motus atque eiusmodi, vt nullum sui sensum præbeant, nondum passionum nomen obinent. Magnitudinem enim, quæ aliquis momenti sit, habere passio debet.* Idem tradit Greg. Nyss. lib. 4. Philosoph. cap. 8. in fine. Ratio est, quia quando affectu, est remissus, paruusque consequitur transmutatio, citò vnusquisque ad genium redit, & ad temperamentum sibi conueniens ex se, ita

ut nihil passus esse videatur. Quod tamen intelligendum est cum hac limitatione, ut affectus quantumcunque tenuis, ac remissus deponatur citò. Si enim diutius daret, aut repetatur sæpius, interpositis diuersis aliis affectibus, & non etiam directè contrariis, crescit necessariò affectus, ac perturbatio; & quæ nomen passionis nullatenus, aut vix initio merebatur, implet in decursu nomen, & rem passionis. Agnatum namque est unicuique affectui, ut inducat in organum, cui inest, temperamentum, & dispositionem humorum, atque transmutationem sibi fauentem, eamque semper augeat eo modo, & ratione, quæ exponetur in quæstione sequenti. Ex quo rursus consequitur, ut affectus præexistens, necnon perturbatio illi adiuncta augeatur. Nempe affectus insurgunt in vnoquoque, iuxta naturam, & complexionem temperamenti inexistentis; atque hac natura, & complexio temperamenti sequitur vicissim naturam, & conditionem affectus, qui organo inest, ideòque iuuant se mutuo, & continuà augmenti hinc, & inde vicissitudine crescunt. Hæc est causa, ob quam plurimum nocimenti patiantur, quicunque diutius pertinaciter perseuerant in imaginatione aliqua tristi, vel hilari, atque affectui semel concepto, indulgent sine fine, ut nonnulli incidunt etiam in amentiam, corrupto irreparabiliter conueniente organi temperamento; tametsi affectus, & transmutatio initio fuerit leuis.

Art. 5. Indidem præterea apparet ratio, ob quam utilis, ac delectabilis est variatio attentionis, & affectionis circa bona sensibilia. Quia videlicet quilibet circa illa affectus diutius vniformiter continuatus vexat cor, & deprauat plurimum naturalem eius dispositionem. Quapropter eadem ratione, quæ necesse est variare agentium extrinsecorum occursum, ut variatis eorum influxibus, incolumitati corporis consulatur, eiusque dispositio physica conseruetur, qualis oportet, quod fieri non potest absque vicissitudine calidorum, & frigidorum, humidorum, & siccorum; necesse quoque est, ut varientur imaginationes, & affectiones, ne animus malè habeat, & ne deprauetur organum, seu organa earum operationum, atque in eam incidunt deprauationem, ac corruptionem, cuius deinde emendatio, & reditus in statum naturalem sit difficilis, aut impossibilis. Omnis igitur diuturna continuatio cuiusvis affectionis, seu passionis infert physicum nocumentum, non solum secundum quid tale, quodd ut minimum accidit ex quouis actu appetitus sensitui, ut dictum est, sed etiam absolute, & simpliciter tale. Eadem ratio proportionaliter est de affectione qualibet nimium intensa, ac vehementi ab initio. Quæ videlicet, protinus exercet totam eam vim nocendi, quæ temporis decursu accrescit affectioni pertinaci, quæ initio erat remissa, nomenque passionis vix, aut nullatenus merebatur. In hunc itaque modum passionibus conuenit esse bonis, & malis, nec est vniuersaliter verum, omnes actus appetitus sensitui, omnèsque passiones esse malas, physice, & multò minùs moraliter.

Ad 1. Actus appetitus sensitui prosequuntur, & fugiunt bonum, & malum sensibile, ut centrum, & finem vltimum ipsius appetitus sensitui, non verò, ut centrum, & finem vltimum totius hominis secundum omnes eius potentias, quas videlicet, non complectitur omnes imaginationes, qua sola dirigit appetitus sensituius. Homo autem non peccat per voluntatem volendo, ut appetitus sensituius fiat in bono sensibili, tanquam in fine suo, ultra cuius limites extendi non potest, sed peccat solum volendo idem bonum sensibile, tanquam finem vltimum hominis adæquatè sumpti. Non igitur est

de conceptu passionis, ut contradicat rationi superiori, utque voluntatem inclinet, ac alliciat ad peccandum, id est, ad præferendum bonum sensibile bono spirituali, ac vniuersali, quod est proprium, ac peculiare obiectum eius. Vnde non est de conceptu passionis, ut sit mala moraliter, vel etiam causaliter.

Ad 2. Aliquando est absolute vtile animali, & homini, ut dimoueat à statu, & dispositione sibi connaturali ex vi suæ indiuiduationis, ut notatum est supra articulo tertio. Vnde passio aliquando est nocua, & mala tantum secundum quid, absolute verò utilis, & proficua. Hæc distinctio non habet locum comparatione Angelorum: Quia eorum natura non est indifferens ad collectionem accidentium indiuidualium conuenientium, & disconuenientium sibi. Ideòque quicquid est præter naturam, respectu Angelus, est eo ipso nocuum, & malum simpliciter, & absolute respectu eiusdem, uti supponit optimè Damascenus in illo loco.

Ad 3. Passiones ex suo conceptu vniuersali, nec sunt principium, nec poena peccati. Non quidem principium, tum quia sæpè prosequuntur obiecta, vel indifferentia ex se, vel etiam posituè conformia rationi, tum quia sæpè iuuant ex imperio rationis ad opera honesta melius perficienda, ut dicitur quæst. sequenti. Vnde Apostolus non loquitur de omnibus vniuersaliter passionibus, dum eas reprobat, sed de solo illo prædominio passionum, quæ regnabant in carne tempore legis, perque ipsam legem, ut patet ex toto illo contextu. Multò minùs conuenit passioni ex suo conceptu, ut sit poena peccati, tum quia non defuissent homini passiones præuenientes, & subsequentes imperium rationis pro statu puræ naturæ, ut patebit in eadem quæstione sequenti; tum quia, ut ibidem apparebit, motus passionum subsequentes imperium rationis ne quidem Adamo defuere ante peccatum.

Ad 4. Dictum est, passiones nonnunquam vocari, non quous indifferenter motus appetitus sensitui, sed solos eos, qui sunt admodum vehementes, ideòque perturbantes absolute rectam rerum apprehensionem per rationem, & intellectum. Atque in hoc eodem sensu vocantur morbi, & perturbationes apud Augustinum; sicut etiam apud alios vocantur passiones solæ illæ appetitiones, quæ transgrediuntur limites rationis, uti notatum est supra circa sensum Stoicorum. Nos autem loquimur vniuersaliter de passionibus, prout conuertuntur cum affectibus aliquatenus, etiam leuiter alterantibus motum, & dispositionem cordis conuenientem sibi ex se. Vnde patet etiam ad quintum. Quia Cicero loquitur ex sensu Stoicorum. Certè non valet argumentum ex malitia passionis vehementis ad malitiam passionis moderatæ, sicut non valet consequentia ex nocumento animalis inducto per nimium calorem ad nocumētum eiusdem ex calore moderato.

Ad 5. Actus appetitus sensitui, tametsi præueniat iudicium rationis, potest esse talis, quia nulla ex parte minuat rectitudinem eius, & claritatem. Quia potest nihilominus esse talis intensiois, & circa tale obiectum, cuius, & circa quale induci potest imperio rationis, & actus virtuosus, ex quo certum est, provenire non posse aliquid diminutum, aut offuscatum iudicii rationis. Quapropter nec etiam peccatum minuitur ex quolibet præuio passionis motu, sed ex sola vehementi passione. Iam Deus, & Angelus sunt, incapaces passionum, sicut, & discursus deliberatiui circa eligibilia, quorum nos sumus capaces. Non autem pertinet ad perfectionem nostram, ut imitemur Deum, & Angelos quoad ea, penes quæ ab ipsis differimus naturaliter, nec defectus eatenus imitationis est malus; Quia non est priuatio boni

boni debiti. Quod autem fortitudo timidi sit aestimabilior, quam fortitudo audacis, non probat, quemlibet motum passionis augere, vel minuire bonitatem, aut malitiam actus, seu boni, seu mali; quia non dicitur quis timidus, vel audax ex quolibet affectu timoris, vel audaciae, sed ex solo eiusmodi affectu vehementi, quem iam est concessum esse nocivum. Ex quo etiam patet ad 7. Quia sola vehemens passio impedit rectam consultationem, deque eadem sola accipienda sunt verba Caesaris apud Salustium. Nam qui non vehementer, sed moderate odit, aut irascitur, communiter dicitur esse liber ab odio, & ira, & sic de similibus, iuxta observationem praemissam supra articulo quarto ex documento Damasceni, & Gregorij Nysseni.

QVÆSTIO IV.

Virum passiones naturaliter subsint imperio rationis superioris?

Videntur non subesse, 1. Quia quod fit in homine, etiam nolente homine, non subest imperio rationis. Quod autem excitetur in homine appetitio sensitiva, & quod homo concupiscat, accidit ei, ipso etiam nolente, ut patet ex illo ad Roman. 7. 19. *Non enim, quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo malum, hoc ago.* Ergo actus appetitus sensitivi, seu passiones non subsunt imperio rationis.

2. Potentia necessaria non potest impediri, quominus erumpat in actum suum positus requisitis ad agendum. Appetitus autem sensitivus est potentia necessaria, & non subest imperio rationis, quod illi adsint, vel non adsint requisita ad agendum, nempe obiecta, prout apprehensa per sensum. Quia quod occurrant, vel non occurrant talia, vel talia sensibilia, dependet à causis extrinsecis, eisdemque occurrentibus, sequitur pari necessitate apprehensio, & aestimatio sensus cum exterioris, tum interioris. Ergo appetitus sensitivus non potest impediri per rationem, quominus erumpat in suos actus, nec determinari, ut tales potius, quam tales alios actus eliciat.

3. Quod appetitus sensitivus subesset rationi in primo homine ante peccatum, proveniebat ex dono supernaturali integritatis diuinitus sibi collato. Ergo quod appetitus subsit rationi, non est homini connaturale.

4. Virtus nutritiva non subest rationi, ut docet Gregor. Nyss. lib. 4. Philosoph. c. 15. alique communiter contra D. Thomam q. 17. a. 8. Ergo nec appetitus sensitivus subest rationi ex sua natura. Patet consequentia, quia appetitus sensitivus est potentia necessaria, sicut virtus nutritiva.

5. Passiones, & actus appetitus sensitivi sunt coniuncti cum motu, & transmutatione corporali, ut dictum est supra. Motus autem, & transmutatio corporalis, non obedit rationi humanae, sed soli Deo, ut docetur communiter cum D. Thoma 1 part. q. 103. art. 1. & q. 110. art. 2. Vnde Greg. Nyss. loco indicato dicit, pulsarium, quod inest cordi, non esse persuasibile ratione, idemque dicit August. lib. 14. de Ciuit. c. 16. de motu genitalium. Eadem verò ratio est de aliis eiusmodi omnibus. Ergo passiones non subsunt rationi.

Art. 1. Respondetur. Communiter dicitur rationem esse in homine, qui est minor mundus, sicut Deus est in toto mundo, eandemque proinde regere reliquas potentias, & vires hominis, sicut Deus regit omnes causas secundas. Sed recte advertit D. Th.

q. illa 17. ad 2. similitudinem tenere quoad aliquid, non quoad omnia. Quia cum Deus creauerit omnia ex nihilo, omnia regit nutu suo, quoad omnes, & singulas eorum operationes. Si enim haberent inclinationem, aut determinationem non provenientem à Divina voluntate, ac determinatione, haberent utique aliquid non acceptum à Deo, ideoque non essent adequatè, & totaliter facta à Deo ex nihilo. Potentiae autem inferiores, & vires corporales hominis non sunt similiter facta à ratione, sed à Deo, qui eis indidit inclinationem, & determinationem ad aliquas operationes relinquendo homini liberam determinationem quoad aliquas alias operationes. Quia etiam de causa dicit Philosophus lib. 1. Polit. cap. 3. ad medium; rationem praesse appetui sensitivo, non principatu despótico, qui est domini ad servum, sed principatu politico, aut regali, qui relinquit subditis liberam quoad plura electionem, ac dispositionem.

Art. 2. Discrimen operationum, penes quas subsunt, & penes quas non subsunt rationi reliquae potentiae, & vires inferiores, fundatur in diversitate finium, ad quos ordinantur. Finis proximus, ac immediatus potentiarum, & virium omnium materialium est conservatio individui, aut speciei: Vnde, quoad operationes immediatè necessarias ad utrumque istum finem, non possunt impediri immediatè per imperium rationis, sed tantum indirectè, ac mediatè, subtrahendo materiam, aut subiectum, circa quod agere possent. Ita virtus nutritiva impediri non potest, quominus exeat in actionem nutritivam, nisi sublato cibo, nec corpus potest impediri, quominus tendat ad centrum, nisi interposito corpore impenetrabili, & sic de ceteris. Finis autem rationis superioris est summum bonum. Vnde respectu ipsius, sub eo praecise conceptu, nec ipsi rationi superiori vlla convenit libertas, & indifferentia. Quia videlicet omnia eatenus sunt praordinata à Deo cum omnimoda determinatione. Verum, quia summum bonum potest multipliciter, & per plura media obtineri, relicta est rationi, & voluntati libertas indifferentiae ad eligendum inter illa. Consequenter igitur relicta est eidem rationi, & voluntati libertas indifferentiae supra reliquas potentias, & vires quoad operationes, quae non sunt determinatè necessariae ad praedictos ipsarum fines immediatos. Quia verò vnaquaeque potentia, & virtus, quod perfectior est, eò plures eiusmodi operationes sub se complectitur, sequitur eo esse plura, quoad quae vnaquaeque potentia materialis subicitur rationis imperio, quod perfectior ipsa est.

Art. 3. Hinc fit phantasia, & appetitum sensitivum subesse rationis imperio quoad plura, quam ullam aliam potentiam, aut virtutem materiale, ut observat D. Thomas in dicta q. 17. art. 8. ad 1. Quia videlicet, utraque haec potentia est perfectior, magisque propinqua rationi, quam reliquae vires, & potentiae. Idem praeterea convincitur ex eo, quod nulla operatio phantasiae, & appetitus sensitivi determinatè sumpta, est ita necessaria ad fines nuper assignatos conservationis individui, & speciei, sicut ad eisdem necessarij sunt motus, & operationes determinatae aliarum potentiarum, ac virium, & partium corporis, maxime verò cordis, & genitalium, quae duae partes corporis propterea minime omnium subduntur imperio rationis, sicut etiam vis nutritiva, ut observat D. Th. ibid. art. 9. ad 2. & 3. ex Greg. Nyss. ubi supra, & August. lib. 14. de Ciuit. c. 16. maxime verò ex Philosopho c. 8. de motu animalium. Ceterum ne quidem phantasia, & appetitus sensitivus subsint vniuersaliter imperio rationis, quoad omnes suos actus, nec naturaliter fieri potest, ut ita subsint, sed

sed solum miraculosè. Ita docet D. Thomas in responsione illa ad 3. modo indicata, & distinctius quaest. 25. de veritate, quæ est de sensualitate, art. 7. cap. his verbis: *Quod enim homini in primo statu collocatum fuit, ut ratio totaliter inferiores vires contineret, & anima corpus, non fuit ex virtute principiorum naturalium, sed ex virtute originalis iustitiæ ex divina liberalitate superaddita. Quia quidem iustitia per peccatum sublata homo rediit ad statum convenientem sibi per principia sua naturalia. Quod mox explicat magis, & confirmat exemplo dicens: Sicut ergo naturaliter homo moritur, nec ad immortalitatem reduci potest nisi miraculosè, ita naturaliter concupiscibilis tendit in delectabile, & irascibilis in arduum prater ordinem rationis.*

Art. 4. Idem conuincitur ratione, quia nihil est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu. Prius igitur, quam intellectus deliberet de agendis, ac appetendis circa sensibilia, sensus eadem proponit potentiam appetitiuam, atque hæc protinus elicit suum actum iuxta conditionem obiecti propositi; Quia est potentia necessaria, ideoque naturaliter fieri non potest, ut suspendat suum actum, sed protinus eum elicit facta propositione obiecti, quin expectare valeat deliberationem intellectus, & subsequentem inde electionem, ac imperium voluntatis. Eadem etenim ratione, qua in sensu externo sequitur necessitatio sensus, cum primum conuenienter ei applicatur obiectum per se, vel per speciem sui, sequitur etiam deinde in sensu interno imaginatio, ac deum in appetitu prosecutio, vel fuga iuxta conditionem obiecti præapprehensi; nec naturaliter fieri magis potest, ut suspendantur, & expectent imperium rationis posteriores isti actus, quam ille prior ex natura rei. Itaque appetitus sensituius subesse non potest naturaliter imperio rationis, & voluntatis quoad eos affectus, & obiecta, quorum imaginatio, & æstimatio præuenit deliberationem rationis, & electionem voluntatis.

Art. 5. Accedit etiam quoad affectus, qui subsequuntur post deliberationem rationis, circa directionem, ac determinationem appetitus sensitui, non sequi protinus in instanti obedientiam eius, & conformitatem cum electione, & imperio voluntatis. Quia actus appetitus sensitui non aliter suspendi, aut variari potest, quam suspensa, aut variata imaginatione, & æstimatione obiecti, circa quod versatur, quandoquidem appetitus immediate dependet dependentia essentiali à vi apprehensiuâ, idque vniuersaliter quoad omnem actum, & suspensionem actus. Vnde sicut fieri non potest, ut feratur in incognitum, ita fieri non potest, ut non feratur ad cognitum, eo modo, quo cognitum, atque propositum ei fuerit. Sensus autem, & variatio imaginationis, ac æstimationis sensituiæ non fit in instanti, sed interposita mora temporis necessarii, ut spiritus, quibus adherent prædictæ species, auocentur, & reuocentur. Quæ causa est, ob quam magnâ sæpe difficultatè experimur in depellenda aliqua imaginatione, & in inducenda aliqua alia, quam efficacissimè vellemus depulsam, & inductam. Quia videlicet iuxta præsentem corporis dispositionem confluent in sensorium magna vi, aut cum totali necessitate illi spiritus determinatè quibus insident tales determinatè species; propter tale determinatè temperamentum ipsorum, ratione cuius propendunt in locum sensorij, atque ab eo depellunt spiritus alios gerulos specierum, quas vellemus eidem sensorio esse præsentem. Hinc igitur sequitur necessariò ex natura rei, mora quidem aliqua semper, aliquando verò rebellio, aut insuperabilis, aut non nisi difficulter superabilis in opere conformandi appetitum sensi-

tium cum imperio voluntatis, eidemque obediendi. Quod sanè contingit in appetitu sensitui, eo fere modo, quo idem contingit in membris exterioribus, quoad motum localem, qui aliquando inducitur difficulter, qualis intenditur, aliquando induci nullatenus potest propter indispositionem partis: nunquam verò inducitur nisi interposita aliqua mora temporis necessaria, ut motus naturalis cordis pertingat vsque ad membrum exterius, quod mouendum est, & sic de aliis similiter inuicem coordinatis. Huic comparationi appetitus sensitui cum membris exterioribus præiit ex parte Philosophus pro hac eadem re explicanda lib. 1. Ethic. cap. ult. *Quemadmodum, ait, resoluta corporis membra, si ad dextram mouere volueris, è contrario in sinistram deferuntur, sic quoque in anima contingit. In contrarias enim partes incontinentium appetitiones feruntur; id est, appetitiones eorum, quorum phantasia est malè disposita modo dicto ad parendum rationi.*

Art. 6. Nihilominus quando ratio aduertit actualiter ad obiecta imaginabilia in particulari, potest ad illa applicare imperio suo potentiam imaginatiuam directè, ac immediatè, & inde appetitiuam indirectè, ac mediatè, nisi adit peculiare impedimentum ex parte dispositionis corporalis. Quia cum ratio superior plura, ac maiora motiua consideret, potest anima per actum rationis applicare se ad actum sensus, eundemque sibi imperare efficaciter, sicut simili de causa potest voluntas se ipsam applicare, & determinare ad actus electiuos per actum intentionis, cuius motiuum est maius, nempe finis ipse, de cuius conceptu est, ut præcellat mediis. Sed est discrimen, quod voluntas in nullo suo actu dependet ab organo corporeo immediatè, ideoque est impossibile, ut non sequantur in instanti electiones conformes intentioni præhabita; Appetitus verò sensituius dependet ab organo corporeo, cuius proxima dispositio ad operandum diuersa à dispositione proxima præcedenti, induci non potest, absque motu aliquo corporali, ac successiuo, ut dictum est; aliquando vero induci noua dispositio, atque depelli dispositio prior nullatenus potest propter naturalem, ac purè materiale indispositionem, vel organi corporalis, vel eorum, quæ illi adiacent; ideoque appetitio sensituiua nunquam sequitur in instanti, aliquando verò absolute non sequitur, qualis imperatur à ratione superiori. Quando autem accidentale huiusmodi impedimentum nullum adest, vti plerumque vsuuenit, actus appetitus sensitui subsequitur ad imperium rationis boni, vel mali, moderati, vel immoderati, pro ut contigerit actus præuios voluntatis immediatè ratione directos esse bonos, vel malos, moderatos, vel immoderatos. In hunc igitur modum passiones, seu actus appetitus sensitui subsunt naturaliter imperio rationis superioris.

Ad 1. Quod quis concupiscat, aut irascatur nolens, non semper, nec plerumque contingit, idque prohibet ex indispositione sola corporali, ut dictum est. Quod non tollit, quominus actus appetitus sensitui subsint absolute imperio rationis, ac voluntatis, quatenus permittit naturalis dispositio organi, & spirituum. Aristoteli in illis verbis non luit exprimere, quod semper, aut plerumque, & per se contingit, sed solum, quod sibi aliquando contingeat propter prædictam corporalem dispositionem contradicentem rationi, ut indicant verba, quæ subiungit ver. 23. *Videò autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Intelligi etiam potest in illis verbis mora, & difficultas superius explicata, & non totalis impossibilitas depnendi affectum subito præconceptum, ante aduertentiam rationis.

Ad

Ad 2. Certum est, nihil posse esse in sensu communi, & phantasia, quod non fuerit prius in sensu externo, nec esse semper in potestate nostra, ut ad sint sensui externo sensibilia quaelibet indiscriminatum. Ceterum, quæ successiue, & seorsim occurrunt sensibus externis, manent coniunctim in phantasia. Vnde est integrum voluntati, ut ad quodlibet eorum applicetur vis æstimatoria, utque ex eisdem, faciat varias combinationes, & quasi mixtiones, quæ sensui externo sunt impossibiles. Est præterea in potestate nostra, ut sensus ipsi externi applicentur cuiuslibet ex obiectis simultaneè existentibus in debita distantia, nec non, ut per motum localem acquiratur, & videretur eadem indistantia talium, vel talium determinatè obiectorum. Viroque igitur modo patet rationi superiori multiplex aditus dirigendi, ac determinandi appetitum sensitivum, determinando prius, ut liber, vim apprehensiuam ad hæc potius obiecta, quam ad alia, licet aliquando excurrat ad aliqua obiecta præter, aut etiam contra imperium rationis propter subitam impressionem obiectorum ante aduertentiam rationis, aut propter inflexibilem dispositionem corporalem, quod solum concludit obiectio, & iam superius spontè concessum est.

Ad 3. Adamus ante peccatum habuit ratione domini supernaturalis specialiter sibi à Deo prouisi, perfectum imperium supra appetitum sensitivum, ita ut neque per motum aliquem subitaneum posset præuenire aduertentiam rationis, aut eius imperio deinde resistere propter indispositionem corporalem. Ceterum ad subiiciendum appetitum sensitivum quoad alios actus, inque aliis circumstantiis non est necessarium donum supernaturale, sed sufficit potestas rationi superiori naturaliter conueniens, ut ostensum est supra, esto eadem potestas sit minor, ac debilior pro statu præsentis, seclusa gratia Dei, quam futura fuisset pro statu naturæ puræ, uti expositum est, quæst. 9. de gratia.

Ad 4. Negatur paritas, uti negatur in iisdem illis locis ab ipso Gregorio, & Thoma. Quia phantasia, & virtus appetitiua se habet ad plura, quam nutritiua, atque operatio nutritiua, est multò magis necessaria indiuiduo, quam operatio quaelibet phantasiæ, aut appetitus sumpta determinatè.

Ad 5. Conceditur motum, & transmutationem corporalem, non subesse directè, ac immediatè imperio rationis nostræ, quod solum intendit, & optimè concludit D. Thomas in illo loco. Subest nihilominus mediatè, & indirectè, Quia anima quatenus operans per rationem independentem ab organo corporeo, potest applicare se ipsam ad operationem talem potius, quam talem aliam, circa tale, vel tale obiectum, dependentem ab organo corporeo, atque eiusmodi applicatio, & operatio dependens ab organo corporeo, ipsamque organum afficiens, potest inducere mutationem naturalem, & phantasiam, immediatè quidem in eodem organo, mediatè vero in aliis etiam omnibus partibus corporis dependentibus ex natura rei à dispositione, & motu organi immediatè moti per affectum, & per applicationem potentiae sensitivæ. Quia verò motus cordis, cui correspondet pulsus, & motus genitalium, propter maximam utriusque imperfectionem, & remotionem à participio rationis, coniunctam cum maxima utriusque necessitate ad conseruationem indiuidui, & speciei, minus dependent ab affectuum qualitate, minus etiam obediunt imperio rationis, cui è conuerso obediunt seruiliter alia corporis membra, quoad motum localem. Quia, videlicet, nullus motus localis eorum determinatè sumptus, est eo modo necessarius animali, & conse-

quenter, nec exigitur ab eodem determinatè per appetitum innatum, & præterea eadem membra, sunt expertia sensationis propriæ, qua immediatè sic, vel aliter dirigantur, inclinentur, ac determinantur.

QVÆSTIO V.

Verum detur aliquis ordo rationis, & doctrinæ inter passiones?

Videtur nullus dari. Quia omnes passiones possunt versari circa eadem omnia obiecta pro diuersis statibus, ac circumstantiis. Quodlibet enim idem, tam bonum, quam malum potest esse, tum præsens, tum absens, atque considerari cum præcisione ab absentia, & præsentia. Ratio igitur formalis motiua est eiusdem vniuersalitatis respectu omnium passionum. Ordo autem rationis inter ea, quæ se habent ad aliud, uti dictum est, se habere passiones, consideratur vnicè, vel certè præcipue penes maiorem, & minorem vniuersalitatem illorum, relatiuè, ad quæ concipiuntur.

Art. 1. Respondetur. Triplex ordo considerari potest inter passiones. Rationis nimirum, causalitatis, & perfectionis; atque ordo causalitatis potest rursus duplex considerari, nempe secundum genus causæ efficientis, seu in executione, & secundum genus causæ finalis, seu in intentione. Ordo perfectionis non potest clarè, ac dilucidè determinari, nisi consideratis prius diligenter, atque comprehensis singulis speciebus passionum superius enumeratis, & natura, ac perfectione singularum rationum formalium, circa quas versantur, intimius penetrata. Ordo autem secundum genus causæ finalis, & in intentione, nec non secundum genus causæ efficientis, & in executione dependet ab ordine perfectionis, & præminentiae in bonitate. Vterque igitur hic ordo commodius, ac distinctius tradetur infra post quæstiones omnes de singulis seorsim speciebus affectuum. Quod reliquum est de ordine rationis, seu doctrinæ, deduci facillè potest ex dictis supra quæst. 1. & oportet, ut protinus fiat deductio in hoc loco pro determinanda, & seruanda recta methodo, circa ea, quæ dicenda supersunt de passionibus in particulari.

Art. 2. Ordo autem rationis inter affectus dependet ab eodem ordine inter obiecta affectuum, sicut dictum est supra de dependentia, quoad distinctionem, & oppositionem mutuam. Inter obiecta autem, priora sunt per se simplicia compositis, & vniuersaliora, ac notiora, minus vniuersalibus, minusque notis. Quia simplicia insunt in compositis, & non è conuerso; atque ab vniuersalioribus, ac notioribus procedit cognitio ad minus vniuersalia, minusque nota. Iam verò bonum, & malum præscindens à facilitate, & difficultate, quod est obiectum partis concupiscibilis, est simplicius, & vniuersalius, ac notius, quam bonum, & malum difficile, quod est obiectum partis irascibilis. Siquidem bonum, & malum difficile superaddit bono, & malo secundum se, & quidem superaddit aliquid separabile per se ab illis, tum in re ipsa, tum maxime in cognitione. Passiones igitur pertinentes ad partem concupiscibilem sunt priores per se ordine rationis, & doctrinæ, quam passiones pertinentes ad partem irascibilem. Deinde bonum est, prius ratione vniuersaliter, quam malum sibi oppositum. Quia malum cognoscitur per speciem boni oppositi, nec cognosci potest, nisi cognito simul ipso bono;

bono; cum è conuerso bonum cognoscatur per se ipsum, possitque cognosci, quin idem malum simul cognoscatur. Affectus igitur persecutiui, tum pertinentes ad concupiscibilem, tum pertinentes ad irascibilem, quorum obiectum, vel totale vel certe præminens est bonum, sunt priores ratione, quam effectus auersatiui, quorum obiectum est similiter malum. Quodd tamen intelligitur, non de omnibus affectibus persecutiuis comparatis cum omnibus simul auersatiuis, sed de vnoquoque affectu comparato cum affectu sibi opposito.

Art. 3. Inter affectus verò concupiscibilis, amor est prior reliquis. Quia obiectum eius est bonum secundum se, quod est simplicius, & vniuersalius, quam bonum vel absens, vel præsens. Sequitur deinde desiderium, cui demum succedit gaudium. Quia absentia pluries, ac vniuersalius inest bonis humanis, quam præsentia. Cum enim homo nascatur nudus, & omnium egenus, sitque animal plurimorum capax bonorum, quæ difficulter omnia simul cuiquam adsunt, atque ad gaudendum plenè, & absolutè requiratur collectio omnium, cum ad inquietudinem desiderandi, & concupiscendi sufficiat defectus cuiuslibet boni, patet affectum desiderij esse frequentiore, ac vniuersaliore, quam affectum gaudij. Huc pertinet discrimen inter hominem, & animalia cætera, quod cætera animalia facillè expleantur, & quiescunt, hominis verò cupiditates sunt infinitæ, ac inexplebiles, vti pluribus prosequuntur Hypocrates in epist. ad Darnegatum, Seneca epist. 73. Plutarchus de cupiditate diuitiarum. Accedit Augustinus, dicens lib. 10. de Trinit. cap. 11. ad medium. *Amor magis sentitur, ciam eum prodit indigentia. Vnde inter omnes passiones concupiscibilis, magis est sensibilis concupiscentia*, vt infert D. Thomas quæst. 25. art. 2. ad 1. Ergo desiderium est affectus magis notus, ideoque prior ratione, quam gaudium. Eadem est proportionaliter ratio de affectibus auersatiuis, vt nimirum odium sit prius ratione, quam fuga correspondens desiderio, & hæc quam tristitia. Ordo itaque rationis inter passiones concupiscibilis est: Amor, odium, desiderium, fuga, seu abominatio, gaudium, tristitia.

Art. 4. inter affectus irascibilis, quos dictum est vniuersaliter esse posteriores affectibus concupiscibilis, spes, & desperatio, quæ versantur circa bonum, sunt priores ratione, quam audacia, & timor, quæ versantur circa malum, oppositum illi bono. Dictum enim est bonum esse prius ratione, quam malum sibi oppositum. Spes autem est prior desperatione. Quia in obiecto spei præualeat magis ratio bonitatis, quam in obiecto desperationis, vt dictum est supra quæst. 2. artic. 6. & 7. Ratio vero malitiæ, præualeat similiter magis in obiecto timoris, quam audaciæ, vt ibidem expositum est. Cum igitur eadem ratione, qua dictum est bonum esse prius malo, necesse sit in obiectis compositis ex bono, & malo illud esse prius in quo præminet magis ratio bonitatis, illud verò posterius, in quo præminet magis ratio malitiæ restat concluditur ordinem rationis inter passiones irascibilis inuicem contrarias esse istum. Spes, desperatio, audacia, timor. Superest postremo leco ira, cuius obiectum est duplex malum, alterum præsens, & iam illatum ipsi irato, alterum ab eo inferendum.

Art. 5. Ex dictis patet satis ad rationem dubitandi. Consistit enim prioritatem rationis non dependere ex sola maiori vniuersalitate, & insuper obiecta passionum adæquatè sumpta non esse omnia æqualis, eiusdemque vniuersalitat. Ordo ita-

que dicendi de passionibus, seu affectibus in particulari hic erit, vt 1. dicatur de amore, 2. de odio, 3. de desiderio, seu concupiscentia: 4. de fuga, seu auersione, 5. de gaudio, 6. de tristitia, 7. de spe 8. de desperatione, 9. de audacia 10. de timore 11. de ira.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Amor sit passio coaptatiua animalis, respectu conuenientium sibi?

Videtur non esse, 1. Quia passiones sunt in appetitu sensitivo, vt dictum est supra. Amor autem est in appetitu rationali. Fertur enim ad ea, quæ non cadunt sub sensum, vt patet inter alia ex Sap. 8.2. vbi de sapientia, quam patet non esse sensibilem, dicitur: *Hanc amauit. & exquisiuit à inuentute mea*. Ergo amor non est passio.

2. Passio est motus quidam appetitus ad appetibile, vel à non appetibili, seu ab odibili, vt dictum est supra, & habetur ex Damasc. lib. 2. fidei Orth. cap. 22. Talis autem motus non est amor, sed magis desiderium, ad quod præsupponitur idem amor. Et confirmatur, quia relatio non est motus, sed terminus motus. Amor autem est relatio quadam. Quia ex Aug. lib. 8. de Trinit. cap. 10. *Amor est unio quadam, vel nexus*, quem patet esse relationem. Ergo.

3. Ratio amoris est communis omni passioni, omnique effectui. Quia vt dicit August. lib. 14. de Ciuit. cap. 17. *Amor inhians habere, quod amatur, cupiditas est: id autem habens, eoque fruens, lætitia; & fugiens, quod ei aduersatur, timor est, idque, si acciderit, sentiens, tristitia est*. Ergo amor non est passio particularis, solumque coaptatiua animalis, respectu conuenientis sibi.

4. Vnumquodque præcisè per seipsum, & antecedenter ad omnem suum motum, est essentialiter aptum, respectu conuenientium sibi. Quia, bonum respectu cuiusque, ex suo conceptu, congruit illi secundum se. Nihil autem congruit incepto, aut nondum apto, respectu sui. Ergo amor non est coaptatiua animalis, respectu conuenientium sibi, sed præsupponit eam coaptationem. Confirmatur, quia nulla alia ratio esse potest, ob quam, respectu quorundam exsurgit naturaliter amor, & odium, respectu aliorum, quam quia, respectu illorum præsupponitur in animali aptitudo naturalis, & respectu istorum naturalis ineptitudo, ac repugnantia.

5. Amare est *velle bonum alicui*, iuxta definitionem Philosophi 2. Rhet. cap. 4. Velle autem non est coaptari, & vt esset, vetus potius, & communiter recepta definitio retinenda esset.

Art. 1. Respondetur. Quæ in rebus inanimatis reperiuntur imperfectè, eadem insunt animalibus perfectiori modo; & adhuc perfectius homini, quàm homo est, & Angelis. Omnia namque creata sunt effectus, & participationes Dei, ac proinde secundum se tota sunt similitudines, & imagines eius, efformatæ ab ipso, vt eundem representent, ac manifestent, & sic perducant omnem intellectum, omnemque voluntatem ad laudem, & dilectionem ipsius. Similitudines autem, & imagines, vnius, eiusdemque prototypi perfectissimè simplicis in se, quibus nihil inest positiuè, quod non habeat rationem similitudinis, & imaginis, non aliter inter se differre possunt, nisi quatenus quæ in vna reperiuntur imperfectè, in alia consequuntur gradum, ac modum perfectionis maiorem.

B

Art. 2.

Art. 2. Iam vero inanimatis, quæ sunt infimum rerum genus, hoc inest vniuersaliter, ac vniuniformiter omnibus, vt singula habeant peculiarem aptitudinem suam purè physicam, respectu omnium sibi conuenientium, taliter exigitur eorum, vt vi ipsius omnem adhibeant conatum ad illa acquirenda, sibi que adiungenda, dum absunt, iisdemque obtentis omnino conquiescant, & nihil moliantur amplius, ac contentur, neque vero imparem conatū impendant pro repellendis omnibus disconuenientibus, & obstaculis conuenientium, nec nisi post victoriam eorum desistant. Aptitudo porro ista, eademque connaturalitas, & exigentia innata conuenit inanimatis dependenter à sola cognitione, ac directione auctoris sui Dei, quoniam ipsa, propter suam infimam imperfectionem, summèque limitatam, ac contractam ex genere suo entitatem, sunt expertia propriæ cognitionis, ac directionis in finem suum.

Art. 3. Animalia vero, quæ, propter oppositam maiorem suam perfectionem, maioremque amplitudinem, & vniuersalitatem aliqualem entitatis, sunt capacia cognoscendi, quæ sibi conueniunt, ac disconueniunt, dependenter à propria cognitione, ac directione nascuntur similem aptitudinem, connaturalitatem, ac exigentiam intentionalem, respectu eorumdem sibi conuenientium obiectionum, vi cuius illa desiderant, & querant, dum absunt; iisdemque iam obtentis delectentur, & pacificè fruuntur; atque opposita omnia pariter auersentur, ac detestentur. Eiusmodi autem aptitudo, seu connaturalitas, ac exigentia intentionalis, consequens ex sua natura ad cognitionem propriam substantiæ, quæ sic aptatur, connaturalizatur, & inclinatur, dicitur amor; idest affectus, & intentio appetitiua tendens ad bonum, & conueniens secundum se, vt deducit optimè D. Thom. quæst. 26. art. 1.

Art. 4. Itaque amor, & complacentia, circa bonum secundum se, gerit in animali vices, & munus aptitudinis, & exigentiæ naturalis, qua mouentur inanimata ad omne suum opus, & sicut corpus inanime per grauitatem ex. gr. & leuitatem mouetur sursum, ac deorsum, vt locum sibi conuenientem consequatur: Ita animal mouetur per amorem ad omne bonum conueniens ipsi, qua animal est. Qua de causa dicit August. lib. 11. de Ciuit. cap. 28. *Animum ferri amore, quocunque fertur, sicut corpus pondere.* Et licet loquatur de amore intellectuali, perinde nihilominus valet ad propositum. Quia quod est amor intellectualis pro obiectis spiritualibus, aut spiritualiter prosequendis; hoc est amor appetitus sensitui pro sensibilibus bonis. Distinctius rem exprimit Greg. Nyss. hom. 8. in Eccles. dicens: *Amor est intrinsecus insita in id, quod animo est iucundum, habitudo.* Igitur amor est aptitudo animalis ad bonum sibi conueniens, qua animal est.

Art. 5. Quia vero idem amor suboritur in appetitu sensitui ex appetibili mouente per cognitionem sui, ac immutante animal, qua animal est, absque vilo eius discursu, & electione libera, sequitur eundem amorem esse propriè passionem. Nempe motus appetitiuus agitur circulo, vt obseruat D. Thomas quæst. illa 26. art. 2. ex Philosopho lib. 3. de anima tex. 55. Quia appetibile apprehensum mouet primo animal ad amorem, & complacentiam sui, atque per ipsam adaptat illud sibi intentionaliter. Deinde animal ex vi eius amoris, & intentionalis coniunctionis cum appetibili tendit per desiderium ad realem coniunctionem cum eodem, donec, illo obtento, quiescat in ipso per delectationem; atque ita totus motus ibi vltimò terminatur, vnde primum cœperat. Ex quo apparet amoris appetitus sen-

sitiui conuenire rationem passionis magis etiam quam desiderio, & delectationi, cæterisque affectibus: Quia amor imprimatur appetitui nondum quidquam agenti ab appetibili eatenus purè dominant; cum ad alios deinde affectus moueat se, magisque se habeat actiue ex vi amoris præsuppositi. Igitur amor est passio propriè talis, eaque coaptatiua animalis, qua animal est, respectu omnium conuenientium sibi.

Ad 1. Plerisque actibus appetitus rationalis, & sensitui inuicem affinis eadem nomina sunt communia, atque vnum eorum est nomen amoris. Qui nimirum & in voluntate datur, & in appetitu sensitui. In illo autem loco sapientia sermo est de amore rationali; Quod non tollit, quominus detur alius amor habens rationem passionis, de quo hic agitur directè.

Art. 1. Ad 2. Tametsi amor non sit motus, quo immediatè, ac formaliter progreditur amans ad rem amatam, sicut progreditur per desiderium, est tamen motus, quo amans immutatur ab appetibili, & quo fit, vt idem eidem congruat intentionaliter, & affectiue; ideoque appetituum se habet magis passiuè per amorem, vt notatum est, quam per alios affectus.

Art. 2. Quod ad confirmationem attinet, amor dicitur vni non relatiue, sed duplici alia ratione. Primum nimirum quia amans afficitur per amorem ad rem amatam, sicut ad aliquid sui, & quodammodo sicut ad seipsum, vt exponetur distinctius infra. Secundò quia amor, vt dicebatur paulo prius art. 5. vi sua inducit affectus alios, & operationes, quibus peruenitur ad realem coniunctionem cum re amata, ita vt hæc coniunctio, ac vni procedat ab amore, eumque præsupponat vt causam. Ob vtramque igitur hanc rationem dicit optimè Augustinus in illo loco: *Amorem esse veluti iuncturam quandam, qua amantem cum re amata copulat, vel copulare appetit.* Et Dionys. cap. 4. de diu. nom. repetit parte 1. in fine, & parte 2. ad med. Eundem amorem esse *virtutem vniuiam, ac commiscientem.* Et Philosophus lib. 2. polit. cap. 2. *unionem esse opus amoris,* nempe inchoatiue, ac purè intentionaliter in genere causæ formalis, vltimatè vero, ac realiter in genere causæ efficientis.

Ad 3. De conceptu effectus est, vt continet in se participationem aliquam peculiariter assimilatiuam cuiusvis causæ influentis in ipsum. Cum igitur amor sit principium reliquorū omnium affectuum, vt nuper insinuatum est, & dicitur iterum infra ex professo, necesse vtique est reliquos omnes affectus participare aliquatenus rationem amoris. Vnde quilibet alius affectus haud absurdè dicitur ab Augustino amor, nempe causatiue, ac participatiue; & non formaliter, ac adæquatè; atque pro exprimendo conceptu adæquato superadditur differentialis ratio cuiusque affectus, dicendo amor cupiens, ac desiderans, timens, gaudens, contristans. Quo itidem pacto idem Augustinus reliquas omnes virtutes appellat charitatem non semel, quatenus ab eius motione, ac imperio reliquarum omnium virtutum actus essentialiter dependent.

Ad 4. Et eius confirmationem. Esse reale, & physicum, eiusque eatenus proprietates præsupponunt per se in quouis ente creato ad totum ordinem intentionalem, sicut fundamentum ad reliquum ædificium. Verum id non tollit, sed adstruit magis, quod sicut ante omnem operationem naturalem, ac physicam præsupponitur coaptatio physica inter actiuum, & passiuum; ita etiam ante omnem aliam operationem affectiuam, ac intentionalem, vltra eam fundamentalem coaptationem physicam, præcedere necessario debeat coaptatio intentionalis

intentionalis inter appetituum, & appetibile, quæ sit per amorem.

Ad 5. Definitio illa Philosophi est bona, ac legitima, nec reicitur à me, sed promouetur cum D. Thoma per definitionem opportuniorem ad methodicam deductionem reliquæ doctrinæ de ipso amore, deque reliquis passionibus. Nempe definitio Philosophi superaddit quàm minimum lucis, & claritatis conceptui definiti secundum se, cum hæc alia deriuata ex D. Thoma longè clariùs ponat ob oculos naturam rei definitæ beneficio affinitatis cum prædicato vniuersali rerum omnium, atque per experientiam manifestissimo quoad assimilationem amoris.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Amor, alius sit amicitia, alius Concupiscentia?

Videtur non subsistere istiusmodi distinctio. 1. Quia amor, & dilectio sunt idem, ut apparet ex Dionysio dicente cap. 4. de diu. nom. p. 1. post. med. amorem, & dilectionem ita inuicem comparari, sicut quatuor, & bis duo, rectilineum, & rectas habens lineas. Quæ patet esse idem. Similiter August. lib. 14. de Ciu. cap. 7. concludit ex sacris literis, idem esse dicere amorem, & dicere dilectionem, nec vllum inter vtrumque alienitatem reperiri. Confirmatur, quia obiectum amoris, & dilectionis est prorsus idem, nempe bonum secundum se. Implicat vero distinctio actus ab actu, absque distinctione obiecti ab obiecto, ut demonstratum est alibi non semel, & supponitur à D. Thoma tanquam principium per se notum, tum alibi semper, tum in dicta quaest. 26. art. 3. Dilectio autem non diuiditur in dilectionem amicitia, & concupiscentia. Primum quia dilectio est idem cum charitate, cui repugnat ratio concupiscentia. Deinde quia dilectio sumitur in bono, concupiscentia vero in malo, ut apparet ex communi loquendi modo, & narrat ex quorundam sententiâ D. Augustinus in loco indicato. Et confirmatur quoad dilectionem ex illo Christi Domini apud Ioan. 15. 12. *Hoc est preceptum meum, ut diligatis inuicem*; Et quoad concupiscentiam ex illo ad Gal. 5. 17. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum*. Nempe, neque preceptum datur nisi de bono, nec est quidquam aduersus spiritum, nisi malum. Ergo amor non diuiditur in amorem amicitia, & concupiscentia.

2. Amor appetitus sensitiui, de quo solo agitur, est passio, ut dictum est. Amicitia vero est habitus, ut dicit Phil. 8. Ethic. cap. 5. Passio autem nequit diuidi per habitum, cum hic solum reperitur in parte intellectuali. Ergo amor nequit diuidi per amorem amicitia.

3. Amor, & concupiscentia sunt duæ passiones inter se distinctæ realiter, & adæquatè, ut dictum est supra. Nihil autem diuiditur per id, quod distinguitur ab ipso adæquatè, ut patet. Ergo.

4. Ratio concupiscentia non repugnat rationi amicitia, quin altera alteri coeat in eodem actu. Quia ex doctrinâ Philosophi in eodem lib. 8. cap. 3. amicitia est triplex, vilis, delectabilis, & honesta. Amicitia autem vilis, & delectabilis non est sine concupiscentia; imo est pura concupiscentia. Ergo amicitia, & concupiscentia non possunt esse extrema diuisionis, cum hæc oporteat esse inter se distincta totaliter.

5. Omnis amor habet rationem amicitia, &

concupiscentia. Quia est de conceptu eius, ut velit aliquid alicui; Respectu autem eius, cui vult bonum, dicitur amicitia, & concupiscentia, respectu rei volitæ eidem. Ergo non rectè dicitur, alius esse amicitia, & alius concupiscentia, sicut non rectè diceretur substantia spiritualis, alia esse intellectiua, & alia volitiua; sed dici potius deberet, obiectum amoris aliud esse volitum, seu volibile amicitia, aliud concupiscentia.

Art. 1. Respondetur. Diuisio amoris in amorem amicitia, & amorem concupiscentia recipitur ab omnibus vniuersali consensu cum D. Thoma quaest. 27. artic. 4. Sed non ab omnibus accipitur, & exponitur eodem sensu. Nonnulli enim, ut Valentia disp. 3. quaest. 2. pun. 1. accipiunt ut diuisionem generis in species, vel certa tanquam indifferentem ad huiusmodi diuisionem, ac si esset possibilis amor puræ amicitia, nullam in se continens realiter rationem concupiscentia, respectu vllius obiecti, atque è conuerso. In quo planè falluntur, & deuiant à sententia, & fundamento D. Thomæ. Quia amor est velle bonum alicui, ut ipse assumit ex definitione Philosophi paulò prius indicata. Vnde amor, ex suo proprio, ac vniuersali conceptu semper, ac necessario fertur inditum ad duo obiecta, ut tradit idem S. Doctor lib. 1. contra Gent. cap. 91. num. 6. quorum alterum est subiectum, cui vult bonum, alterum est hoc ipsum bonum.

Art. 2. Impossibile nimirum est, ut quis velit bonum aliquod perfectum alicuius ex. gr. Sapientiam, probitatem, sanitatem, diuitias, quin illud velit alicui subiecto; Quia res huiusmodi non sunt bonæ sibi ipsis, sed alijs, ideoque nullam habent bonitatem, ac amabilitatem, præterquam relatè ad subiectum, cui prodesse possunt. Ergo non possunt esse volitæ, ac amata, quin amentur, ac intendantur eidem subiecto: Repugnat enim manifestè, ut ametur aliquid aliter, ac est bonum, & amabile in se. Subiectum autem, cui amatur, ac intenditur bonum perfectum ipsius, amatur vtiq. & ipsum, nec fieri potest, ut eo ipso non ametur, imo & ametur multo magis, ut per se patet, & mox manifestabitur clariùs.

Art. 3. Impossibile rursus similiter est, ut quis amet subiectum capax aliquorum bonorum, quin illi hæc velit, ac amet. Quia qui amat aliquem, vult ipsum bene habere, aut simpliciter, aut quoad aliquid. Nequit autem bene habere, quin sibi adsint ea, quæ ipsi prodesse, ipsumque perficere possunt, vel relatè ad finem vltimum, vel saltem relatè ad finem aliquem proximum. Implicat igitur aliquem amari, & non esse illi simul volitum bonum aliquod suum. Omnis itaque amor amat, & aliquid, & alicui.

Art. 4. Dicitur autem amor amicitia, respectu subiecti, cui vult bonum: Quia ipsum amatur secundum se, & propter se, & que in ipso sistit impetus amoris, tanquam in centro, quod est proprium amicitia. At, respectu rei amata alteri, dicitur, amor concupiscentia: Quia non fertur ad illam secundum se, sed tanquam ad adiacentem alteri, ideoque non tam amatur, quam coamatur, & concupiscitur velut obliquè alterius magis principalis. Ex quo apparet, id amari simpliciter, & multo magis quod est volitum amore amicitia; Id vero amari tantum secundum quid, vixque amari, quod est volitum amore concupiscentia. Sicut enim quoad esse physicum illud est ens simpliciter, & primariò, quod est per se; illud verò secundariò, & secundum quid tantum, quod est ens in alio, proptereaque dicitur non tam ens, quam entis ens: Ita etiam illud amatur simpliciter, & primariò, quod amatur

ratione sui tantum, & in quo sistit amor tanquam in centro; illud verò secundum quid, & secundario tantum, quod solum, vel præcipue amatur ratione alterius, & quatenus aliquo modo est perfectiū alterius. Sic autem comparantur inter se, quoad amabilitatem, & amorem subiectum fanitatis ex gr. ipsaque fanitas, vt docet, & exemplificat D. Thomas in prædicto art. 4.

Art. 5. Hoc igitur pacto omnis amor habet rationem amicitiae, respectu vnus obiecti, & rationem concupiscentiae, respectu alterius obiecti absque vlla exceptione, quod attinet ad amorem appetitus sensitiui. Ex quo patet, prædictam diuisionem non esse generis in species, sed simplicis entitatis in formalitates diuersas cum reali distinctione solum inter obiecta, ad quæ eadem formalitates referuntur, vt notant Caietanus, & alij communiter in eundem articulum 4. Ad eum vtique modum, quo dicitur, motus contritionis alius est amoris erga Deum, alius detestationis aduersus peccatum, vbi alietas realis est penes obiecta, & non penes ipsum motum, & contritionem.

Art. 1. Ad 1. Amor, dilectio, & charitas, & amicitia, amatus, dilectus, charus, & amicus vsurpantur pro eodem, iuxta significationem latiore, minusque propriam earum vocum, iuxta quam proinde dilectio diuiditur in dilectionem amicitiae, & concupiscentiae, sicut dictum est de amore. Nec oppositum euincunt rationes contentæ in posteriori parte obiectionis, seu in eius minore. Prima, quia dilectio solum strictè sumpta conuertitur cum charitate strictè itidem sumpta. Quo solum pacto ratio concupiscentiae ipsi repugnat; cum alioquin charus vulgò dicatur etiam, qui concupiscibiliter amatur. Posterior verò, quia Augustinus in illo eodem modo loco demonstrat pluribus sacrae puginae testimoniis tum dilectionem, tum amorem concupiscentiae vsurpari promiscuè, & in bono, & in malo.

Art. 2. Quod verò amor nequiter nonnunquam, & apud nonnullos significet, ex eo prouenit, vt notat D. Tho. q. illa 26. art. 3. ad 3. quia amor appetitus sensitiui, & concupiscibilis, qui est notior, proptereaque vnicè subintelligitur, facile nomine amoris absolute prolato plurimos pertrahit ad peccatum. Testimonia obiectionis non sunt ad propositum, sed valent magis ad oppositum. Quia vbi dicitur; *caro concupiscit aduersus spiritum*, subditur immediate; & *spiritus aduersus carnem*. Quæ posterior concupiscentia est procul dubio bona. Similiter non præcipitur, vt diligamus inuicem qualitercunque, sed iuxta limitationem inibi adiunctam, sicut dilexi vos.

Art. 3. Eadem illæ quatuor voces vsurpantur rursus strictius, maioriq; cum proprietate, & eatenus differunt inter se realiter, saltem inadæquate. Quia amor ex se indifferenti ad sensitiuum, & intellectualem, liberum, & necessarium, superaddit dilectio determinationem ad spiritualitatem, & ad liberam electionem. Similiter dilectioni ex se indifferenti ad magnam, & paruum appretiationem superaddit charitas determinationem ad appretiationem magnam, qualis est aestimatio mercis charæ. Demum amicitia differt ab his tribus, tum quia dicitur per modum habitus, vt insinuat ex Philosopho lib. 8. Ethic. cap. 5. tum quia includit mutuam redamationem, vt est notum ex eodem, ibidem.

Art. 4. Quapropter Dionysius, & Augustinus confundentes dilectionem cum amore, non vsurpant amorem in tota sua latitudine, sed loquuntur de solo amore intellectuali, eoq; cum deliberatione

liberè concepto; sicut idem Dionysius, dum in eodem illo cap. 4. dicit, quibusdam Sanctorum visum esse, diuinius esse nomen amoris, quam nomen dilectionis, loquitur de amore intellectuali perfectissimo proprio beatorum, & viatorum patientium diuina, ideoque experte, aut vix particeps libertatis, quam dictum est esse de conceptu dilectionis, & non esse de conceptu amoris. Iam, quod ad rem præsentem spectat, dilectioni, charitati, & amicitiae, iuxta dictam strictiorem significationem, ideo non conuenit diuisio in affectum concupiscentiae, quia eatenus sunt nomina imposita ad significandum formaliter, & determinatè affectum præcisè quatenus amicabilem. Quod nequaquam conuenit amori appetitus præsertim sensitiui, de quo agitur directè.

Ad 2. & 3. Amor, qui est passio, non diuiditur in amicitiam, & concupiscentiam, sed in amorem amicitiae, & in amorem concupiscentiae; id est in affectum, qui respectu vnus obiecti sortitur specialem quandam imitationem amicitiae, & in affectum, qui respectu alterius obiecti sortitur similem imitationem concupiscentiae, iuxta explicationem datam, retento vtrobique conceptu amoris exposito in quæst. præcedenti.

Ad 4. Amicitia utilis, & delectabilis dicitur talis analogicè tantum, & secundum quid. Quia, licet velit aliquod bonum amato, atque eatenus participet quodammodo rationem amicitiae; non tamen sistit in illo vltimate, sed in ipso amante, quod degenerat absolute in concupiscentiam. Hac de causa amicitia purè utilis, pureque delectabilis, est probrosa, respectu amati, & iniqua ex parte amantis. Quia is eatenus agit cum illo, tanquam cum entis ente, & tanquam cum purè seruo, nec habente dignitatem, vt ametur principaliter ratione sui. Quod est infra decus naturæ intellectualis, ac beatificabilis, ideoque facta, & ordinata à creatore in vtilitatem, & bonum proprium ipsius. In præfenti porro diuisione amoris subintelligitur ratio amicitiae simpliciter, & propriè talis, dum ea præfertur absolute, & absque addito diminuenti.

Ad 5. Patet ex dictis superius, præsertim art. 5. Quod additur de substantia alia intellectuā, alia volitiua propterea absurde diceretur, quia sub vtraque ratione refertur realiter ad eadem omnia substantia, quæ est intellectuā, & volitiua. Quod non euenit in re nostra.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum solum bonum cognitum sit causa amoris?

Videtur non esse 1. Quia non omnis amor est bonus, sed sæpe est malus. Causa autem amoris mali nequit esse aliquod bonum; tum quia nihil est causa sui oppositi: Tum quia causa amoris est, quod amatur; atque amor malus amat malum, iuxta illud ps. 10. 16. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*; & illud Osee 9. 10. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*. Ergo malum non minus, quam bonum, est causa amoris.

2. Manifestatio mali afficientis aliquem, excitat sæpe amorem erga ipsum. Quod primum patet ex Philosopho lib. 2. Rhet. cap. 4. vbi ait: *Eos, qui mala sua dicunt, amamus*. Deinde ex experientia, Quia quos præterremus, atque omnino ommitteremus, si apparerent diuites, sani ac benè habentes; si conijciantur è contra egestate premi, dolere ex vulnere, aut qualitercunque malè habere, præsertim, si valde malè habeant, solamur, eiisdemque compatimur,

patitur, subuenimus, & eò magis, quòd malum maius est. Quod sine amore fieri nequaquam potest. Ergo malum cognitum æquè, ac bonum cognitum, est causa amoris, & eò magis, quòd vtrumque maius est.

3. Pulchrum, est causa amoris, idemque est quid diuersum à bono. Quorum alterum insinuat, ac supponit, alterum affirmat discretè Dion. cap. 4. de diu. nom. par. 3. ad med. dum dicit: *Non solum bonum, sed etiam pulchrum, est omnibus desiderabile, amabile, ac diligibile.* Ergo causa amoris non est tantummodo bonum.

4. Similitudo est causa amoris, non solum quoad intensionem eius, sed sæpe etiam quoad ipsum amorem simpliciter. Id, quod experientia docet manifestè, & habetur ex Eccle. 13. 19. *Omne animal diligit simile sibi. Sic & omnis homo proximum suum. Omnis caro ad similem sibi coniungitur, & omnis homo simili sui sociabitur:* & Philosophus lib. 7. mag. mor. cap. 4. *Similia mox gaudent, & homini homo iucundissimus.* Atque Seneca adhortans ad mutuam dilectionem: *Natura, inquit, nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hec nobis amorem iniecit mutuum, & sociabiles fecit.* Similitudo autem inter amabile, & amantem nullam illi adijcit rationem specialem bonitatis: tum quia similitudo est denominatio quadam extrinseca in vtrolibet similium: tum quia non magis refert ad bonitatem cuiusque similitudo cum animante, quam cum quouis alio æqualis, aut maioris bonitatis: tum denique quia similitudo cum amante nequam, est mala. Ergo non sola ratio bonitatis mouet ad amorem, sed etiam aliquid à bonitate præscindens, imò & malitiam potius superaddens sæpè, quam bonitatem.

5. Si, quod re ipsa est malum in se, repræsentetur vt bonum, amatur; & eò conuerso odio habetur, quod bonum in se, credatur esse malum, & repræsentetur vt tale. Ergo sola cognitio bonitatis est causa amoris, & non etiam ipsa bonitas cognita prout distincta à cognitione. Quæ videlicet nulla est re ipsa, nullamque propterea realem causalitatem exercere potest per se ipsam, vt distinctam à cognitione, quando hæc est falsa.

6. Sæpè contingit ea vehementer amari, quorum nulla adest cognitio. Quod enim vehementer quaeritur, vehementer amatur, nec fieri potest, vt interim odio habeatur. Multi autem vehementer quaerunt scientias, quas proinde vehementer amant, quin interim eas habeant. Atqui respectu scientiarum *idem est eas habere, & eas nosse*, vt dicit August. lib. 83. qq. 35. & consequenter est idem eas non habere, & earum cognitione carere. Amantur ergo scientiæ, quin cognoscantur. Quidni & alia?

7. Videntur perinde inuicem comparari magnus amor, & parua cognitio; atque paruus amor, & nulla cognitio. Possibilis autem est magnus amor sub exigua cognitione, multumque excedens mensuram, & perfectionem cognitionis, vt patet in amore Dei immediatè ratione sui, eoque feruentissimo in viris sanctis, dum sunt in via, dependentes à cognitione ipsius Dei anigmatica, ad mediatà, quæ proinde est tenuissima, & valde obscura, ac imperfecta. Ergo possibilis similiter est amor aliquis saltem exiguus nulla præexistente cognitione boni.

8. In omnibus rebus inuenitur amor, vt tradit Dion. cap. 4. de diu. nom. par. 1. post med. Omnia enim prosequuntur, quæ sibi profunt, eisque cohererent; atque opposita omnia oderunt, ac fugiunt, quantum possunt. Non autem omnibus rebus, vt ligno, ac lapidi, inest cognitio, vt per se patet. Ergo

cognitio non est vniuersalis causa amoris, sed solum bonum secundum se. Alioquin daretur alicubi effectus absque sua causa adæquata.

9. Aliquæ aliæ passiones, sunt causa amoris, vt patet de passione spei ex verbis August. lib. 10. de Trinit. cap. 1. *Cuius rei adipiscendæ spera quisque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis, quam pulchra sit, videat.* Idem patet de delectatione, & concupiscentiâ. De delectatione quidem ex Philosopho dicente lib. 8. Ethic. cap. 3. *Aliqui amantur propter delectationem.* De concupiscentiâ vero, quia, qui concupiscit pecunias, inde determinatur ad amandum eum, à quo illas habere potest, & sic de similibus, vt traditur fusè à Philosopho ibidem. Nulla autem passio est vniuersaliter bona, sed quælibet est sæpè mala, vt dictum est supra quaest. 3. atque vt vniuersaliter haberet bonitatem sibi deuinctam, non tamen inducit amorem, vt præcognita. Ergo neque bonum, neque cognitio boni sunt vniuersalis causa amoris.

Respondetur. Dictum est supra quaest. 6. amorem esse coaptationem passiuam naturæ sentientis propriam, respectu conuenientium ipsi. Omne autem conueniens alicui est bonum eidem, nihilque potest esse cuiquam bonum, quin sit conueniens eidem. Et rursus coaptatio, respectu boni, non potest esse peculiaris, & propria naturæ sentientis, quæ sentiens est, nisi quatenus prouenit à vi sentiente, atque à sensu, & cognitione dependet. Ac demum ratio passionis saluari non potest in tali coaptatione bonitatis, & cognitionis, nisi quatenus vtrique ea ratio exercet causalitatem in eandem coaptationem, ipsumque animal excitat causaliter, ac mouet ad illam concipiendam. Patet igitur bonum, quatenus cognitum vt tale, respectu cuiusque, esse causam vniuersalem, & adæquatam amoris, quæ passio est; idque non solum quoad substantiam, sed etiam quoad intensionem, & remissionem; ita vt iuxta augmentum bonitatis obiecti, & cognitionis circa illam, aut alterius ex his crescat amor necessario; & similiter decreascit proportionaliter iuxta diminutionem vtriusque, aut alterius.

Ad 1. Nullum est in rebus purum malum, vel, vt dicit August. lib. 3. de doctr. Christ. *In rebus non est malum, sed in usu peccantium.* Nullum certe malum amatur, nisi ratione bonitatis sibi adiunctæ, aut apparentis. Vnde sola ratio bonitatis, est causa amoris, etiam qui pessimus est, adeoque fertur ad pessimum obiectum. Verum ipsa malitia amoris formaliter sumpta nullam habet causam propriè talem, quia nullam habet entitatem propriè talem. Vnde obiectio falsa eatenus suppositione laborat. Videri potest circa hoc quaestio 29. de act. hum.

Ad 2. Agnitio, & manifestatio malorum, quibus quis subest, non est mala de se, sed sæpè est laudabilis, & excitat affectum commendatione, aut humilitatis, aut sinceritatis, aut confidentiæ, quæ sunt bonæ; atque in hoc sensu loquitur Philosophus. Bonitas igitur manifestationis mali, non ipsum malum, est causa amoris. Similiter bonitas proximi habitualiter, aut virtualiter, aut etiam formaliter prædilecta secundum se, mouet ad affectum compassionis, & misericordiæ, quando aduertitur indignè vexata malis. Qui affectus simul, ac indiuisim, est amor erga bonitatem proximi, & odium malorum, quibus ipse subest, ac proinde est actus intrinsecè diuersus à puro amore. Nihil autem inconuenit bonitatē aliquam mouere, data oportunitate speciali, ad aliquod genus benevolentiae, tametsi sublata ea opportunitate, nullum eadem bonitatis inductura fuisset benevolentiae affectū; ad eum modū, quo bonitas Dei sæpè inducit se sola ad actum cognitionis, præexistentibus

peccatis, quibus non præexistebat, nullam pro tunc induxisset dilectionem Dei.

Art. 1. ad 3. Pulchritudo non est extra totum genus boni, sed est specialis quædam ratio bonitatis, differtque à bonitate non pulchrà, per vim delectandi cognitione sui secundum se præcisè, seu independenter ab adiuncta insuper cognitione possessionis, aut alterius cuiusquam fructus inde ulterius percipiendi. Sunt enim quædam bona, quæ inueniuntur, siue dominos, siue non dominos, siue sperantes inde aliquid præterea, siue non sperantes promiscuè delectant, vt soni harmonici, picturæ exprimentes iustè prototypum suum, planities amœna colliculis, syluulis, vineis, hortulis, riuulis, idoneè distincta; & similia. Alia vero sunt bona, quæ à solo domino, aut à sperante inde aliquid præter inspectionem sui, delectabiliter spectantur, vt vberissimus ager, nullo alio nomine commendabilis, equus fortis, aut velox, sed inelegans, pyra, quæ ab Italis dicuntur *brutta bona*, & similia. Primum genus bonorum dicuntur pulchra, secundum non pulchra.

Art. 2. Hæret proinde nomen pulchri ex communi vsu iis solum, aut præcipuè, quæ congruunt visui, aut auditui, qui sunt sensus maximè cognoscitui. Quæ vero reliquis solum, aut potissimum sensibus congruunt, qui sunt minus cognoscitui, dicuntur bona non pulchra, seu bona absque addito pulchritudinis, vt obseruat D. Thomas quæst. 27. art. 1. ad 3. Vnde Dionysius contraponit pulchrum, non quidem bono secundum totam suam latitudinem, sed soli bono, quod caret peculiari illà habitudine bonitatis ad vim cognoscitiuam. Porro, inter purè intelligibilia istiusmodi, discrimen boni pulchri à bono non pulchro nullum credo est, sed solum paritatis, & magnæ pulchritudinis. Verum hoc est alterius instituti, cum de solis sensibilibus hic agatur directè.

Art. 1. ad 4. Omne simile est causatiuum amoris secundum totam rationem similitudinis, nec potest inducere odium, nisi quatenus adiacet sibi dissimilitudo, eaque præualet ipsi similitudini. Est autem similitudo causa amoris duplici ritu. Quia videlicet superaddit duplicem rationem peculiaris bonitatis relatiuæ in ipso simili, respectu consimilis, quarum altera est apparens, & altera realis. Primum enim vnusquisque peculiari cum intensiōe, ac vehementiā afficitur erga bona sua, & simili cum excessu odit odio abominationis mala sua agnita vt talia. Vnde fit, vt eadem qualitas, seu bonorum, seu malorum vnicuique inexistens, animaduersa deinde in alio, induat apparentiam magnæ similiter amabilitatis, ac odibilitatis, seu dignitatis, ac meriti, vt tantundem amoris, ac odij propterea illi impendatur. Quia de causa patientes, aut passi compatiuntur magis patientibus similia, magisque miserentur eorum, ac proinde magis eos eatenus amant. Eodem modo eminentes in scientiâ, aut arte militari, aut aliquâ aliâ dote naturali, vel acquisitâ specialiter plaudunt eximii similiter, magisque eisdem eatenus amant. Indidem etiam prouenit, vt maximi quique amatores, ac estimatores sui afficiantur magis ad sibi consimiles, cæteris paribus.

Art. 2. Deinde quoduis simile habet peculiaritatem eatenus vim fouendi, iuuandi, ac promouendi suum consimilem in ordine, vel ad suam conseruationem, vel ad suum aliquem effectum, seu physicum, seu intentionalem, & consequenter præeminet peculiari aliquâ reali bonitate relatiuâ, respectu eiusdè sibi consimilis. Quia de causâ similitudo, quoad qualitates actiuas est magis conciliatiua amoris mutui, & magis, quoad magis actiuas. Manifestum igitur est, similitudinem esse causam amoris, non velut aliquid

diuersum à bono, sed præcisè quatenus includit in se peculiarem rationem bonitatis relatiuæ, veræ, vel apparentis, respectu sui consimilis.

Art. 3. Verum contingit similitudinem esse occasionalitè, tum etiam causalitè coniunctam cum dissimilitudine, vt apparet in duobus mercatoribus, quorum vterlibet velit augere suas diuitias impediendo directè, vel indirectè augmentum earundem in altero. Patet enim volentem augere diuitias alicuius, & volentem impedire augmentum earundem in eodem, idque præstantes toto suo conatu, eatenus esse valde dissimiles inter se. Istud porro genus dissimilitudinis nociuæ, quoad luctum, vel plausum, & gloriam adiacet plerumque similibus in officio, vel arte. Vnde est vulgare illud obseruatum in hanc rem à Philosopho lib. 2. Rhet. cap. 4. *Figulus figulo*, nempe inuidet, corripitur, & aduersatur. Quare mutuum inter similes odium procedit ex adiuncta dissimilitudine, ac contrarietate, & nunquam ex ipsâ similitudine secundum se, & directè.

Art. 4. Imo propter coexistentem similitudinem temperatur aliquatenus, ac minuitur odium alioquin nocentis. Minus enim figulus figulum odit, quam alterius artis hominem tantumde nocentem. Facilius nimirum vnusquisque adducitur, vt subueniat egenti, ac periclitanti similis, quam dissimilis professionis vitæ, ac artis, cæteris paribus. Estque proinde inspersa aliqua amoris indulgentia odio similibus, tamen dissimilitudo mutuo nociua, eaque propter odium sæpe soleat inter eos absolute præminere. Ex his patet satis ad rationes obiectionis.

Art. 5. Cæterum, similitudinem nequaquam credo esse causam vniuersalem amoris, sicut neque dissimilitudo est vniuersalis causa odij; tamen oppositum intendisse videatur D. Thomas in dicta quæst. 27. art. 3. Sicut enim similitudo est particularis quædam ratio bonitatis respectiua, modo explicato, nec omnem rationem bonitatis amabilis ab vnoquoque transcendit: ita est causa amoris cuiusdam particularis, nec in omnem vniuersaliter amorem influit. Certe, vt alia prætermittam exempla, Deus plus mouet ad amorem, quàm differt à nobis, quam qua conuenit nobiscum. De dissimilitudine, comparatione odij, res est quodammodo clarior. Quia alioquin oporteret ab vnaquaque rerum specie reliquas omnes species odio haberi absque vilo erga eas amore, vel certe minore, quam foret odium, quandoquidem dissimilitudo, quoad speciem, præualet similitudini, quoad genus. Qui velit, circa hoc argumentum valde delectari, adeat Caietanum in dictum art. 3. qui rem alioquin non admodum profundam miro circumducit acumine ad nutantem vsque suspensionem sui etiam ipsius. Sed quid rei insit, ac non insit toti illi molimini distinctionum, ac distinctionum, apparet sufficienter ex dictis. Obserua tantum me loquentem esse de similitudine strictè tali, nempe sumpta pro confusibilitate duorum sub eodem conceptu. Cæterum, si sumatur similitudo latè pro qualicunque conuenientiâ proportionis inter perfectiuium, & perfectibile, seu physicè, seu intentionalitè; non dubium est, similitudinem esse causam vniuersalem amoris, vt patet ex dictis. Quia similitudo sic accepta amplectitur omnem rationem boni vnicuique conuenientis, atque ideo nihil differt à præassignatâ causâ vniuersali amoris, nisi quoad vocem.

Ad 5. Cognitio affirmans esse bonum, quod re ipsa est malum, veram, ac realem bonitatem, & non fictam illi attribuit. Ideo enim est falsa cognitio, quia bonitas repræsentata, ac affirmata est vera

vera in se, & realis bonitas, tamen si identitas eius pariter affirmata cum tali re determinata non detur a parte rei. Ratio autem formalis mouens ad amorem est bonitas affirmata, ac proposita voluntati, & non etiam identitas cum tali re. Cuius nimirum identitatis existimatio solum exercet vim determinandi amorem ad eandem rem, per modum mere applicationis ad illam, ita ut amor rem ipsam attingat materialiter tantum, ac identice, solamque bonitatem formaliter, & ratione sui, tanquam causam unicam, & ad quam amandi.

Ad 6. Patet solutio ex eodem Augustino dicente lib. 10. de Trinit. cap. 2. *Quilibet studiosus, quilibet curiosus non amat incognita, etiam cum ardentissimo appetitu instat scire, quod nescit.* Quia scilicet cognoscit nihilominus per notitiam alienæ attestationis, vel alicuius effectus scientiam, quam amat, & querit, esse magnum bonum, valde perfectum hominis, magnæ delectationis, aut utilitatis. Vnde dum in alio loco dicit, in scientiis idem esse eas habere, & eas nosse, loquitur de notitia perfecta, ac immediata per intrinseca earum prædicata.

Ad 7. Si per exiguam cognitionem exprimitur, ac repræsentetur magna bonitas in obiecto, exurgit magnus amor; nec non si è conuerso parua bonitas magnam sortiatur apparentiam in cognitione. Sic viri Sancti, tamen si tenuissimè cognoscant Deum, dum sunt in via, ardent tamen, ac valde intensè amant. Quia, scilicet, cognoscunt nihilominus, magnam esse, ac infinitam bonitatem Dei. Sic & peccatores, exiguam admodum bonitatem rerum sensibilem magno ardore, ac intensione prosequuntur propter magnam, valdeque conspicuam apparentiam earum in sensu, & ex sensu in intellectu. Verum maximus amor tunc enimvero legitime accenditur, quando adfuit coniunctim magna bonitas, magnaque cognitio: Quod erit in patria, respectu Dei. Eadem est ratio de maxima remissione amoris ex parua bonitate coniuncta cum apparentia ipsius itidem parua, vel etiam cum magna apparentia paruitatis. Non igitur ita comparantur parua cognitio, & magnus amor sicut nulla cognitio, & paruus amor, cum sit certissimum principium vulgare Philosophi; *nihil voluit, quin præcognitum.* Sed parua cognitio exprimens formaliter magnam bonitatem comparatur cum magno amore, sicut comparatur cum eodem parua bonitas magnam habens apparentiam in cognitione. Quia nimirum bonitas, & cognitio sunt duæ causæ partiales amoris, ut dictum est, ideoque amor crescit, ac decrescit vtrilibet proportionaliter, vtrumque vero maximè.

Ad 8. Amor innatus rerum insensibilium analogice tantum est amor, sicut risus prati virentis, & ita maris ventis agitati. Atque in hoc sensu loquitur Dionysius. Et tamen ille etiam qualiscunque amor procedit à cognitione, licet aliena authoris, ut dictum est quæst. 6. art. 2.

Ad 9. Nulla alia passio, nec collectio omnium aliarum passionum est vniuersalis causa amoris; Quia omnes aliæ passionibus ex suo conceptu præsupponunt aliquem amorem, & non è conuerso, ut docetur communiter cum D. Thoma quæst. illa 27. art. 4. & apparebit magis infra quæst. 10. Hoc tamen non obstat quominus aliquæ aliæ passionibus causalitate suâ aliquem alium rursus amorem inducant, quod probatur efficaciter in obiectione. Bonitatem porro physicam, & naturalem retinent aliquam passionibus eiusmodi, sicut & ipse amor, etiam cum sunt pessimè moraliter, ut dictum est supra, atque per illam sufficiunt ad causalitatem assertam, respectu amoris subsequens. Verum quia causalitatem

non exercent in genere causæ obiectiue, propterea necesse non est, ut præcognoscantur, sicut nec ipsa cognitio boni influit in amorem quatenus præcognita, sed solum quatenus proponit ipsum bonum. Demum, quia ex solo bono cognito, secundum se specificatur passio amoris, ut apparet ex dictis, propterea ipsum solum dicitur absolute causa vniuersalis amoris, licet influant in eum potentia etiam appetitiua, & nonnunquam aliæ etiam passionibus. Nempe quæstio procedit formaliter de causa amoris, quoad rationem eius specificam, ac differentialem.

QVÆSTIO IX.

Vtrum inter actus animæ amor sit maximè vnitius, ac inhaesius respectu amantis, & amati?

Videtur non esse. 1. Quia proprium vnionis, ac inhaesionis est, ut vnum sit in alio, & ut vtrumque fiat vnum. Hoc autem præstat magis cognitio, quam amor; Quia sentiens in actu fit sensibile in actu, & intelligens in actu fit intelligibile in actu, ut dicit Philosophus, Amans autem in actu non fit amatum in actu. Ergo cognitio est magis vnitua, quam amor.

2. Ita comparatur amor appetitus sensitui ad actum sentiendi, sicut amor intellectualis ad actum intellectus. Actus autem intellectus est magis vnitius, quam amor intellectualis: Quia beatitudo hominis consistit in vnione cum Deo, iuxta illud Ps. 72. 28. *Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Eadem autem beatitudo primò, ac principaliter consistit in actu intellectus, nempe in visione Dei, & non in eius dilectione, ut dictum est quæst. 3. de act. hum. Ergo & cognitio sensitua est magis vnitua, quam amor appetitus sensitui.

3. Bonum, quatenus præsens alicui, atque habitum ab eodem, est illi magis vnitum, quam quatenus absens, aut præfens ab absentia, & præfentia. Primum autem est obiectum delectationis, & gaudij; secundum vero amoris, vniuersaliter quidem quoad præfensionem, ut dictum est supra, & aliquando etiam quoad absentiam, ut patet ex illo ad Gal. 4. 20. *Vellem autem esse apud vos modò,* qui est actus amoris essentialiter erga absentes. Ergo vnio est magis propria delectationis, & gaudij, quam amoris.

4. Amor inter similes, cæteris paribus, est maior, ut apparet ex dictis quæst. præcedenti ad 4. Vnio autem ex suo conceptu est dissimilium, nempe perfectibilis, & perfectiui, quæ oportet esse inuicem dissimilia, cum nihil perfici possit per accessionem eius, quod iam præhabetur. Maximus igitur amor est minimè vnitius.

5. Amor non est vnitius, neque propriè quoad sentiam, neque appropriatiuè quoad similitudinem; Non quidem quoad essentiam: Quia homo homini est vel maxime amabilis, & tamen non est vnibilis quoad essentiam, atque plura alia amamus non vnita, imò nec vnibilia nobis entitatiuè, ac essentialiter, sed neque quoad similitudinem: Quia similitudo est causa potius, quam effectus amoris, ut dictum est in illa ipsa responsione ad 4. Nullum igitur genus vnionis est proprium amoris.

6. Vnio essentialiter est coniunctio mutua vtriuslibet extremi cum altero, Amor autem non est mutuus ex suo conceptu: Quia contingit amari inimicos, & odientes, iuxta illud Christi Domini apud Matt. 5. 44. *Diligite inimicos vestros.* Imò nullus

vnus amor potest reddere aliquos duos inuicem amantes, & amatos, cum vnus amor vni tantum inesse, vnumque efficere possit. Ergo vnio amantis, & amati non est de conceptu amoris.

Art. 1. Respondetur. Vis vniuiua, ipsaque formalis vnio tribuitur amoris vnanimi consensu super omnes alios actus animæ à scriptoribus, & factis, & prophanis. Et quidem apud poetas nihil est frequentius, aut significantius decantatum. Idem prosequitur fuscè Plato in Symposio, & Philosophus lib. 2. Polit. cap. 2. tradit ex Aristophane, *ex amantibus fieri quasi vnum*. Quod ipsum habetur ex Dionysio cap. 4. de diu. nom. par. 2. vbi ea de causâ amorem compellat *virtutem commiscentem*. Similiter August. lib. 10. de Trinit. cap. 8. *Amor est, inquit, quasi iunctura quadam duo aliqua copulans, vel copulare apparens*; nempe amantem, & amatum. Ac demum Act. 4. 32. exprimitur hic effectus tanquam proprius amoris, dum dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna*; Ex vi vtiq̃ue amoris, & charitatis.

Art. 2. Duplex autem inest amori vis vniendi, altera intentionalis, & purè affectiua in genere causæ formalis, altera realis, & physica in genere causæ efficientis, & vtrique præstatur per ipsum diuersimodè respectu obiecti amati amore amicitiae, & amati amore concupiscentiae, iuxta expositionem huius diuisionis traditam supra quæst. 7. Primum enim, quod amatur amore amicitiae, amatur vtiq̃ue eodem prorsus modo, quo amans prosequitur se ipsum. Vterque enim amatur ratione sui, ac proinde vt centrum ipsius amantis, & consequenter eadem omnia intenduntur vtrique, quantum fieri potest, Arithmetice nimirum, ac iustè, si sint pares naturâ, & conditione; sin minus, proportionaliter, ac geometricè. Vnde amans eo modo, & amatum quamdã quasi identitatem vniuersalem forisuntur mutuo ex vi amoris in genere causæ formalis, ita vt ipse amor sit forma intentionaliter identifica respectu amantis amicaliter, & amati.

Art. 3. Hinc apparet motiuum, respectu cuiusvis, vehementissimum omnium ad amandum aliquem, alium esse amorem eius amicabilem erga ipsum, iuxta illud Senecæ epist. 9. *Monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine vilius veneficæ carmine: Si vis amari, ama*. Quo etiam pertinet versus Martialis: *Hoc non sit verbis, Marce, vt ameris, ama*. Quæ intelligenda sunt de prædicto amore amicitiae. Quia, qui est concupiscentiae, potius est prouocatiuus iræ apud legitimum aestimatorem rerum, nec prodigum vilipensorem sui ratione prænotata superius quæst. 7. ad 4. Apparet, inquam, vis summa amoris amicitiae ad excitandum amorem reciprocum. Quia, cum is amor identificeet quodammodo amantem cum amato, vt dictum est, atque vniuersusque amet se ipsum necessariò, & expositum est quæst. 13. de act. hum. art. 1. & 2. consequens vtiq̃ue est, vt amet etiam quodammodo necessariò, quem conijcit esse verum amatorem sui, adeoque quasi alterum se. Nempe *amabile bonum, unicuique autem proprium*, vt dicit Philosophus lib. 8. Ethic. cap. 2. & 5. Amans autem amicaliter cum omnibus suis viribus, & facultatibus, est bonum summè appropriatum amato ex prædictâ vi quasi identificata amoris. Vnde videtur oblitus sui, omnemque amissile sensum, ac intelligentiam ad modum stipitis, aut feræ, qui potest non amare verum, ac sincerè amatore sui.

Art. 4. Qui verò ratione ducitur, atque amorem vnicuique impendit iuxta magnitudinem bonitatis conuenientis illi, respectu sui, summo profectò affectu prosequitur amantem se amicaliter. Nam vt ait

Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 4. *Ex omnibus bonis boni amici summopere diliguntur*. Quia videlicet amor amicalis est compendium, vigor, & applicatio efficac reliquæ omnis bonitatis relatiuæ conuenientis amanti, respectu amati, atque ab isto desiderabilis in illo iuxta capacitatem subiecti; vt patet consideranti singulas species eiusdem bonitatis relatiuæ, quas distinguit, ac enumerat diligenter ibidem Philosophus, & cuius sunt facile obuiæ, easdemque conferenti cum vi transformatiua, ac transmissiua amantis in amatum, quæ est amoris propria ex dictis. Hinc elucet insuperabilis vis argumenti, quo vitur Diuus Ioannes pro diuino in nobis amore excitando supponens, vt indubitatam doctrinam hic traditam in epist. 1. 4. 19. *Nos ergo, ait, diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*. Et quidem dilectione purissime amicali, qua & *Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*, vt dicitur ibidem ver. 9. & 10. Quid sit in eundem scopum virtutis quasi identificatiuæ amoris referendum videtur: quod inibi additur ver. 17. *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicii, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo*.

Art. 5. Deinde amor concupiscentiae constituit & ipse intimam quandam coniunctionem cum re amata. Quia fertur ad eam tanquam ad aliquid intrinsecè inherens amanti, eiusdemque perfectum. Quapropter quidquid amatur amore concupiscentiae, vel est aliquid re ipsa inherens amanti, eundemque perficiens, vel, siquidem sit re ipsa extrinsecum, comparatur nihilominus ex vi amoris cum amante perinde, atque si realiter rei inesset, eundemque perficeret, tanquam perfectio accidentalis ipsius, vt liquet ex dicta qu. 7. art. 4. Itaque sicut amor amicitiae est quodammodo identificus, & constituit quandã identitatem affectiuam inter amantem, & amatum; ita amor concupiscentiae est quodammodo vniuius, & constituit vnionem quandã affectiuam, assimilem vnioni substantiæ cum suo accidenti. Ex quo iterum apparet indignitas superius ponderata, quam exercet erga amatum, qui concupiscentialiter amat alium hominem. Fertur siquidem in ipsum, tanquam ad accidens suum, & tanquam ad rem inanimatam, aut rationis expertem, atque existentem gratia alterius tantum, tanquam finis sui.

Art. 6. Sed datur alia præterea inter vtramque prædictam coniunctionem affectiuam differentia. Quod nimirum per amorem amicitiae trahitur amans ad amatum, eidemque manenti immoto illabitur motus ipse per amorem ad eum modum, quo corpora ponderibus suis feruntur ad centrum, vt eidem iungantur. Vnde est illud Augustini lib. 12. Confess. cap. 9. *Amor meus, pondus meum, eo feror, quocumque feror*. Quod ipsum exponitur communiter, ac peridoneè analogia magnetis, cui quatenus trahenti ad se ferrum, quin ipse moueatur, æquiparatur obiectum, quatenus amicaliter amabile. At amor concupiscentiae trahit è conuerso rem amatam ad amantem, eundemque constituit quasi centrum illius, & comparat cum ea, tanquam magnetem cum ferro. Ratio huius discriminis est. Quia, vt dictum est supra, amor amicitiae fertur ad amatum tanquam ad finem, & rationem amandi; amor vero concupiscentiae ipsum concupiscentem constituit finem rei amatae. Omnia autem tendunt, & mouentur ad finem suum tanquam ad centrum suum, suumque magnetem.

Art. 7. vtrique hæc coniunctio intentionalis, & affectiua constituta per amorem in genere causæ formalis inducit deinde in genere causæ efficientis duplicem aliam proportionalem sibi coniunctionem

tionem realem, seu secundum rem ipsam. Et quidem amor amicitiae induceret ex genio suo identitatem realem amatum inter, & amantem, si ea esset possibilis. Quia, ut dicit Philosophus, ubi supra ex Aristophane: *Amantes desiderarent ex ambobus fieri unum*. Verum quia id est impossibile, nec fieri posset absque utriusque, vel alterutrius corruptione; atque hæc ipsa corruptio redderet implicantem mutuum coniunctionem præexistentium, & insuper contradiceret bono amanti, aut amati, aut utriusque intento per ipsum amorem: propterea inducitur coniunctio realis, quanta est possibilis, conueniens, ac decens per mutuum præsentiam, conuersationem, colloquutionem, per communicationem secretorum cordis, aliorumque bonorum, quatenus decenter transmissibile mutuo. Inquam decenter, quia limites decentis, ac honesti solus transgreditur amor concupiscentiae. Nocet enim communicatio dedecens, aut amanti, aut amato, aut utrique. Repugnat autem amori amicitiae, quales, nec degeneranti in concupiscentiam, ut inferat nocumentum. Quia pura amicitia est virtus in appetitu rationali, atque in appetitu sensitivo, aut est cum virtute, aut ad virtutem disponit.

Art. 8. At amor concupiscentiae inducit unionem physicam, ac realem mediatam, vel immediatam obiecti amati cum amante. Quia is amor ex conceptu suo aut utilitatem quaerit amanti, aut delectationem, aut utramque. Neutra vero haberi potest absque unionem mediatam, vel immediatam utilium, & delectabilium respectu eius, cui prodesse, & quem delectare possunt. Nec enim vtile quidquam, aut iucundum alicui esse potest, nisi quatenus hoc ei præstare potest, ut bene, aut melius delectabiliter, aut delectabiliter in se intrinsecè habeat. Manifestum verò est id fieri nequaquam posse absque intrinseca coniunctione, & informatione ipsius utilis, ipsiusque delectabilis cum subiecto, quod inde nanciscitur, ut in se intrinsece taliter habeat. Quapropter si bonum concupitum tale sit, quod per se ipsum immediate prodesse amanti possit, aut eundem delectare, ut sanitas, notitia rerum, calefactio, refrigeratio, &c. tota vi incumbit amor concupiscentiae, ut inducat unionem eius realem immediatam cum amante, nec, nisi ea inducta conquiescere potest. Si verò mediatè tantum prodesse, aut delectare, possit: nullus est conatus amoris pro præsentia, & coniunctione eius secundum se, cum non ametur ratione sui, sicut amatur, quicumque amicabiliter amatur. Totus igitur conatus amoris respectu talis boni est, ut ex eo eliciatur affectus, per se ipsum immediate, perfectius amanti, eiusdemque cum eodem vnio realis immediata subsequatur, utque cetera qualibet inducantur præcisè, quatenus ad id conferunt. Hæc eadem verificantur proportionaliter, in appetitu rationali circa amorem honesti.

Art. 9. Ex dictis huc vsque apparet, vim unitivam, ac inhæsiuam præminere in amore supra omnes alios actus animæ naturaliter possibiles, imò & supernaturalis, excepta visione beata. Cuius exceptionis ratio, & mox sublucebit satis, & exprimetur magis in responsione ad 2. De reliquo, quod ad actus voluntatis attinet, desiderium in primis non est vsque adeo unitivum, quia evanescit accedente reali præsentia, & coniunctione obiecti desiderati; cum amor utramque foueat, & augeatur per utramque. Deinde gaudium præsupponit ex suo conceptu, & non inducit, sicut amor, eandem realem præsentiam, & coniunctionem. Iam actus sentiendi, ac intelligendi solam habent ex genere suo vim coniungendi intentionaliter obiectum cogni-

tum cum cognoscente, idque non secundum esse reale obiecti, sed tantum secundum similitudinem eius contentam virtualiter in speciebus impressis, & formaliter in ipsis actibus representatiuis. Qui actus habet præterea vim inducendi in genere causæ efficientis unionem affectiuam, & ea mediantem, realem, modo superius explicato, si obiectum cognoscatur, ut bonum. Quod si obiectum representetur, ut coniunctum cum imperfectionibus, aut ad instar rerum habentium imperfectiones. uti contingit in omnibus cognitionibus naturalibus, imò & supernaturalibus proprijs viatoris adhuc cognoscens manet indifferens, dum nihil superadditur aliud, ut coniungatur obiecto affectiuè, ac deinde entitatiuè, utque ab eodem similiter recedat; ita ut per electionem liberam, aut per extrinsecas alias circumstantias ad alterutrum eorum vltimò determinetur, nec in cognitione secundum se vltima eadem determinatio, vel etiam eminenter, contineatur perfectè. Pater autem unionem secundum rem ipsam præminere unioni secundum similitudinem tantum, indifferentem ex se ad eandem unionem secundum rem ipsam, & ad eius carentiam. Concluditur ergo cum D. Thomas quæst. 28. art. 1 ad 2. amorem esse maxime unitivum, ac inhæsiuum inter omnes actus animæ proprios viatoris, præsertim naturaliter possibiles, inter quos proculdubio solos comparisonem instituit idem D. Thomas; cum directe agat de solis passionibus, quibus non erat de re, ut admisceretur sermo de actibus beatificis.

Ad 1. Sentiens, & intelligens actu fit sensibile, & intelligibile in actu secundum similitudinem tantum, & representationem. At amans in actu fit amatum in actu secundum rem ipsam, quantum, & qualiter possibile est, ut dictum est. Vnde vniuersalis conceptus unionis per amorem præminet conceptui vniuersali unionis per cognitionem ad eum modum, quo homo verus præminet homini picto.

Ad 2. Visio immediata Dei, ut obiecti beatifici, quia fertur ad purum bonum, ut est in se, ipsumque respicit ut tale, tum absolute, tum respectiuè, præcontinet in se summum genus amoris erga idem bonum, tanquam causa eiusdem amoris vltimò completa, atque essentialiter in impedibilis, ut expositum est in illa ipsa quæst. 3. ac proinde præcontinet in se perfectissimè totam vim unitivam propriam amoris simul cum vnione formali similitudinaria, & consequenter præminet absolute quoad vim unitivam ipsi amori secundum se præcisè considerato. Nihil autem eiusmodi conuenit vlli alij cognitioni, nec est vlla eatenus proportio visionis beatificæ cum aliqua alia cognitione, ut nuper innouit.

Ad 3. Præsentia, & vnio realis obiecti se habet præsuppositiuè ad gaudium, & delectationem, sicut se habet purè consequenter ad desiderium. Amor vero, & in absenti, & in præsentia vnio obiecto affectiuè, estque efficienter depulsiuus absentiae, & separationis, atque inductiuus, & conseruatiuus præsentiae, & coniunctionis, quantum fieri potest. Vis igitur unitiva amoris est, & vniuersaliior, & efficaciter.

Ad 4. Ratio, quæ eo in loco ostensum est augmentum amoris ex similitudine, æquè conuincit augmentum indidem unionis affectiuæ, quam præstat amor in genere causæ formalis. Neque, quoad hanc partem, quidquam vel apparenter suadet ratio obiectionis. In genere autem causæ efficientis, dictum est amorem in primis amicitiae inducere coniunctionem quoad mutuum præsentiam, & communicationem decentem interiorum, & exteriorum bonorum, seu ut compendio, & fundamentaliter signi

significat Philosophus lib. 9. Ethic. cap. 3. & lib. 2. Rhet. cap. 4. quoad volendum eadem, & quoad gaudium, & tristitiam de iisdem. Quod patet inter similes facilius, & efficacius, maiorque cum vniuersalitate communicationis prouenire, ceteris paribus. Dictum deinde est, amorem concupiscentiæ inducere vñionem realem mediatam, vel immediatam obiecti amati cum amante. Atque hæc etiam vñio eò quæritur avidius, & insinuat intus, quod vñibile participat magis naturam subiecti sui, estque eidem eatenus similis. Quapropter similitudo cum bono præhabito, quæ impedit eiusmodi vñionem, impedit etiam amorem concupiscentiæ; & quæ illam minuit, minuit & istum; atque e conuerso. Ex his patet etiam ad 5.

Art. 1. Ad 6. Non est de conceptu vñionis, vt sit vñiformiter mutua, seu vt vtrumque extremum vñiformiter afficiat. Fieri namque potest, & ita fit in plerisque vñionibus physicis, vt alterum vñiatur actiue, & tanquam perfectiuum, aut purè, aut principaliter; alterum vero vñiatur passiue, & tanquam perfectibile, aut purè, aut principaliter. Apparet hoc clare in vñione animæ, quæ est maximè perfectiua, & corporis, quod est maximè perfectibile; atque in vñione hypostatica, vi cuius Verbum diuinum purè perficit, & humanitas purè perficitur.

Art. 2. Hoc autem pacto omnis amor, tametsi mutuus non sit, vñit mutuò amantem, & amatum. Quia amor amicitie exercet vim vñitiuam, transferendo amantem in amatum, & applicando vires illius omnes in commodum huius, aut gloriam, quoad fieri potest, ita vt, licet physicè, & immanenter, ac intrinsecè perficiat solum amantem; affectiue nihilominus, & effectiue, ac extrinsecè solum perficiat amatum; siue amantem vicissim, siue non amantem, aut etiam odio habentem. Vnde qui amatur, inhæret, ac inest amanti, quatenus imprimit illi complacentiam erga se, perinde ipsi denuntiam, ac prouidentem, atque si esset sua ipsius propria erga se. Quia de causa dicuntur amantes habere in corde, & in visceribus suis eos, quos amant. Amans vero inhæret, ac inest amato, quatenus amor vires intentionales, & physicas amantis trahit omnes in amatum, eidemque impendit pro posse. Quia de causa dicitur, animam amatricem magis esse ubi amat, quam ubi animat. Amor concupiscentiæ vñit e conuerso obiectum amatum, vt perfectiuum, ipsi amanti, vt perfectibili, ac susceptiuo, vt patet ex dictis superius.

Art. 3. Vtrique præterea amori commune est, vt vñiat intellectualiter, amatum quidem amanti, quatenus inducit assiduam eius memoriam, ac inspectionem, per quam ille huius animo imprimitur, atque in eodem permanenter existit expressum tanquam per vitium simulacrum sui; amantem vero amato quatenus amans non est contentus superficiali, & extima cognitione amati, sed profundè eum scrutatur, atque in eiusdem intima peruadit meditatione irrequieta, ac insatiabili, per quam proinde rotius illi infunditur intrinsecus, atque cohæret inseparabiliter. Quod confirmat. D. Thomas art. illo 2. ex eo, quod dicitur de Spiritu Sancto, qui est amor Dei 1. ad Corinth. 2. 10. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

QVÆSTIO X.

*Vtrum amor sit causa omnium operationum
amantis?*

Videtur non esse 1. Quia plura sunt ad reprimendum amorem, quando est nimius. Plures

item operationes procedunt ex odio. Impossibile autem est, vt aliquid sit causa eorum, quæ ipsi aduerfantur, vtque der esse ijs, per quæ ipsum desinit esse; ita vt verificetur, ideo non dari causam, quia datur effectus. Et similiter est impossibile, vt idem simul procedat à causis contrarijs, vtque vnum contrarium cooperetur alteri contrario ad communem effectum, cum contrariorum sit tendere ad contraria. Plura insuper sunt ex electione aduersus imperium passionis, necnon præter eundem ex ignorantia, vt dicitur 5. Ethic. cap. 8. Quæ proinde non sunt ex amore, qui est passio quædam, prout dictum est supra.

2. Passiones datæ sunt animali, vt per eas moueatur, ac determinetur ad actiones inductiuas eorum, quibus ipsum indiget, & reiectiuas eorum, quæ nocent eidem, cum neutrum horum præstari possit, nisi per imperium appetitus, vt dicitur lib. 3. de Anima a textu 48. Si igitur amor esset causa omnium eiusmodi actionum, superfluerent reliquæ passiones, & perperam illas indidisset animali natura, quæ nihil perperam facit.

3. Odium est quædam operatio animalis. Repugnat autem, odium esse ex amore. Quia neutrum contrariorum est ex altero; cum, quæ ex opposito dicuntur, naturaliter sint simul, vt dicitur in post-prædicamentis cap. de simul, habeantque se proinde purè concomitanter. Quod si aliquis ordo prioris, & posterioris causæ, & effectus admittendus esset inter amorem, & odium, potius dicendum esset amore prius, eiusdemque causa. Quia, in quolibet motu, recessus à termino à quo est prior, quam accessus ad terminum ad quem; atque odium habet rationem recessus, accessus vero amor. Prius autem nequit esse ex posteriori; sed magis e conuerso. Ergo amor nequit esse vniuersalis causa operationum omnium.

4. Quod est fortius, est magis actiuum, quam quod debilius, neque hoc potest esse causa illius. Odium autem est fortius amore. Quod apparet ex effectu: tum quia sæpe vincitur amor ab odio, nempe quoties amor conuertitur in odium: tum quia vt dicit Augustinus lib. 83. qq. 36. *Nemo est, qui non magis dolorem fugiat, quod fit per odium, quam appetat voluptatem, quod fit per amorem; maiorque vi repelluntur odiosa, quam quærantur amabilia, vt ostendit Augustinus ibidem exemplo brutorum abstinentium à delectabilibus, vt vitent verbera.*

Art. 1. Responderetur. Dictum est supra quæst. 4. dari in animalibus quoddam operationum genus, quæ ita sunt necessariae ad eorum conseruationem, aut propagationem, vel quæ procedunt a potentijs vsque adeo remotis à ratione, & sensu propter summam ipsarum imperfectionem, vt nulli subsint directioni, ac motioni rationis, aut sensus efficientis intrinsecè ipsa animalia. Quas proinde operationes est certum non procedere ab vlllo appetitu, aut amore elicto ipsorum animalium, sed solum ab appetitu, & amore innato eorundem proprio, atque ab amore elicto causæ extrinsecæ, cuius solius cognitione, & voluntate eatenus diriguntur. Cæterum, facta eiusmodi operationum exceptione, quam in ipsa præsentis quæstionis propositione omnes Auctores proculdubio supponunt, reliqua omnia, quæ agit amans, ab amore certissimè procedunt immediatè, vel saltem mediatè. Ita docet D. Thomas quæst. 28. art. 6. alijque communiter ex principio Dionysij cap. 4. de diu. nom. part. 1. & 4. quod propter amorem boni omnia agunt, quæcumque agunt; nempe propter amorem innatum, quæ naturaliter agunt; propter amorem appetitus sensitui, quæ animaliter; propter intellectualem, aut rationalem, quæ intellectualiter, aut rationaliter.

Partitio

Partitionem istam amorum, & operum adstruit, & pluribus eleganter prosequitur August. lib. 11. de Ciuit. cap. 28. atque concludit: *Ita enim corpus ponere, sicut animus amore fertur, quocunque fertur.*

Art. 2. Ratio est, quia ante omnem cuiusvis agentis operationem circa aliquid praesupponitur necessarii aptitudo eius ad illud, atque ex aptitudine praesupposita omnis deinde actio procedit. Omne namque agens ideo agit, quia aptum erat agere. Quare ubi aptitudo circa aliquid habetur per operationem aliquam, necesse est ab eadem operatione omnem aliam operationem dependere, ac procedere. Dictum autem est quaest. 6. Coaptationem animalis propriam, respectu boni sibi conuenientis esse amorem. Necesse igitur est, ut omnis alia operatio animalis propria, seu animaliter exercita, & non pure naturalis, dependeat, atque procedat ab aliquo amore.

Art. 3. Praeterea quaecunque sunt, propter finem utique sunt aliquem, ipseque finis est causa omnium, quae aguntur, ut dictum est quaest. 1. de act. hum. praefertim art. 6. cum Philosopho, Augustino, & D. Thoma. Quare prima operatio circa finem est origo, & causa reliquarum omnium operationum. Prima autem operatio circa finem est amor; Obiectum nimirum, & causa amoris est bonum secundum se, quod quatenus tale est simplicius, vniuersalius, & prius, quam bonum ut abiens, aut ut praesens; id est ut terminans desiderium, spem, & gaudium. Ergo amor est prior ceteris affectibus prosequutivis, eorundemque consequenter est origo, & causa. Manifestius porro est similiter prior affectibus, qui versantur circa malum; Quia bonum est prius malo, ut dicitur in hunc eundem scopum quaest. 12. Ergo amor est origo prima, & causa ceterorum omnium affectuum; sensitiuus quidem eorum, qui pertinent ad appetitum sensitiuum; rationalis vero eorum, qui ad rationalem. Recte autem praemissum nuper est ex Philosopho in secunda ratione dubitandi appetitum per suos actus esse causam reliquarum omnium operationum, quae sunt propriae animalis, aut substantiae intelligentis. Concluditur ergo amorem esse, sensu iam explicato, causam reliquarum omnium operationum amantis.

Ad 1. Quae sunt ad reprimendum, aut etiam extinguendum amorem aliquem, procedunt ex alio amore cuius finis nocet amor, qui reprimatur, aut extinguitur. Et similiter quae procedunt ex odio, procedunt eo ipso, saltem mediate, ex amore aliquo. Quia ipsum odium procedit ex amore boni, cui nocet malum odio habitum. Non est enim vero absurdum aut vnum amorem contrariari alicui alij amori circa obiectum aliud, aut odium circa vnum obiectum cooperari, ac inservire amori circa obiectum oppositum obiecto priori. Nempe amor, & inhibito amoris, amor, & odium circa opposita non opponuntur inter se, sed connectuntur potius, atque inuicem consequuntur, ac iuuant. Iam quae ex electione sunt, aut ignorantia, ex amore similiter aliquo procedunt omnia, vel rationali, vel proprio appetitus sensitiui. Neque vero soli amori, qui est passio, tribuitur causalitas vniuersalis in omnia, sed proportionaliter, tum ipsi, tum rationi, seu intellectuali amori, ut notatum est supra.

Ad 2. Est quidem amor principium omnium operationum amantis, non tamen omnium eodem modo. Quia quasdam inducit per se ipsum immediate, quasdam alias mediate, ut delectationem per desiderium, aut spem; & sic de ceteris. Vnde non superfluum aliae passiones, alijque actus voluntatis. Quia sunt causae proximae, ac

immediate peculiarium vnaquaeque operationum sub motione, & causalitate partim mediata, partim immediata amoris, ut apparebit magis in decursu circa singulas.

Ad 3. Conceditur amorem circa aliquid non posse esse causam odij circa idem: quia eatenus contrariantur sibi inuicem. Ceterum circa diuersa, maxime vero circa opposita, possunt inuicem esse causae, & amor odij, & odium alicuius amoris. Quia eatenus non opponuntur, imo circa opposita connectuntur mutuo, atque vtrumlibet consequitur ad alterum ex natura rei, ut modo dicebatur. Documentum Philosophi, de similitudine dicibilium ex opposito, non est ad rem. Quia Philosophus agit ibi de ordine rationis quatenus diuidentis genus in differentias oppositas secundum abstractionem vniuersalem. In praesenti autem agitur de ordine causalitatis circa singula, secundum quem quaedam opposita sunt simul, quaedam non, ut obseruat, & confirmat exemplis D. Thomas quaest. 29. art. 2. ad 1. Quod additur de prioritate recessus, respectu accessus, est verum quoad ordinem executionis: Sed eo ipso est falsum quoad ordinem intentionis. Quia quod est prius in executione, est posterius in intentione, atque e conuerso, ut dicitur communiter, & verè. Inter affectus autem attenditur ordo intentionis; imo hic ordo per illos intrinsece constituitur. Vnde omne odium est ex amore aliquo, non autem e conuerso.

Art. 1. Ad 4. Contingere proculdubio potest, ut aliquod odium aliquo amore sit fortius. At contingere minimè potest, ut idem odium non praesupponat amorem alium tanquam causam sui, ut dictum est, & apparebit clarius in dicta quaest. 12. initio. Causa autem est fortior effectu, & dominatur eidem. Quapropter cum incipit odio haberi, qui prius diligebatur ut amicus adeoque prior amor vincitur ab odio subsequenti; ideo id contingit, quia, qui erat amicus incipit nocere, & contrariari amanti, atque ita incipit opponi maiori amori, quam qui exercebatur erga ipsum. Quicunque enim amat alium hominem, plus amat se, quam illum; atque minor amor cedit amori maiori. Vnde victoria odij supra aliquem amorem radicaliter, ac principaliter est victoria maioris alterius amoris, ex quo ipsum odium procedit.

Art. 2. Haec eadem est ratio, ob quam odium dolorum, ac verberum praeuallet amori voluptatis, & delectabilium. Quia nimirum dolores, ac verbera tendunt ad interitum animalis, eumque inducunt, nisi cessent; cum voluptas, & delectabilia non ita conferant ad vitae conseruationem; neque haec ita deficit, his interruptis, ac perditis, sicut sequitur interitus, illis continuatis. Quapropter amor vitae, qui est maximus cooperatur odio dolorum, atque hoc odium simul est odium interitus. Vnde dum amor voluptatis, & delectabilium vincitur ab odio dolorum simul vincitur ab amore vitae, & ab odio interitus; nec amor boni cedit vniquam odio mali directe oppositi, quin simul cedat amori alteri maiori, atque odio maioris alterius mali indirecte oppositi. Accedit sensum doloris,

& contristabilium esse maiorem, quam sensum voluptatis, & delectabilium, ut dicitur infra quaest. 23. & notat D. Thom.

quaest. 29. art. 3. c.

QVÆSTIO XI.

*Utrum amor noceat amanti, aut amato,
aut aliis?*

Videtur esse nocivum, respectu omnium, 1. Quia amor trahit amantem ad amatum, ut dictum est quæst. 9. Unde extasis, quæ est extra se positio, tribuitur amori à D. Thoma quæst. 28. art. 3. ex Dionysio cap. 4. de diu. nom. p. 1. & colligitur ex illo Apostoli ponderato à Dionysio ibidem: *Vino ego, iam non ego, vivit vero in me Christus; tanquam, subdit Dionysius, verus amator mentis excessum patiens.* Nocet autem unicuique, extra se esse, quantum prodest illi, ad quem fit transitus eo vel maxime, quia vires, & providentia amantis transferuntur eodem, ut dictum est in illa qu. 9.

2. Amor bonorum spiritualium nocet corpori, animæ vero amor bonorum temporalium. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Hac enim sibi invicem adversantur;* ut dicitur ad Gal. 5. 17. Omnis igitur amor nocet, aut corpori, aut animæ, aut utrique.

3. Zelus adscribitur amori tanquam effectus eius proprius tum à Dionysio, tum à D. Thoma locis nuper indicatis. Zelus autem est nocivus amanti, & aliis. Primum quia est origo contentionum, ut patet ex 1. ad Corinth. 3. 3. *Cum enim sit inter vos zelus, & contentio.* Deinde quia est impeditivus communicationis bonorum, ut patet ex zelo coniugatorum, qui nolunt uxores habere communes cum aliis, & eatenus dicuntur eas zelare.

4. Amor est origo omnium malorum, ut ponderat latè August. lib. 22. de Civit. cap. 22. ubi orditur sic catalogum eorum malorum bene longum: *Ex hoc, amore, mordaces curæ, perturbationes, maxores, formidines, insana gaudia, discordia, &c.* Unde est illud Terentij observatum à Cic. 4. Tuscul.

Iniuria;

Suspiciones, inimicitie, invidia;

Bellum, pax, rursum. Incerta hæc, si tu postules

Ratione certa facere, nihilo plus agas;

Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

Cum igitur eiusmodi sint, quæ ex amore procedunt, dubitari, minime potest, quin amor sit summè nocivus, respectu & amantis, & aliorum. Confirmatur ex necessitate multiplicis remedij adversus amorem, ut vitæ otij, meditationis eiusmodi malorum, & æternorum bonorum, atque novissimum Deum, aliorumque eiusmodi, quæ suggerit inter alios Valentia quæst. 2. punct. 2. Nocivum enim verò necesse est esse, adversus quod tot remedia sunt necessaria.

5. Languor est effectus amoris, idemque est nocivus languenti, utpote indigenti ea de causa remedio, & levamine. Utrumque patet ex illo Cant. 2. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Similiter liquefactio, quæ est remissionis, ideoque corruptiva liquefacti tribuitur amori Cant. 5. 6. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est.* Denique feror assertur pariter proprius amoris à Dionysio cap. 6. de cæl. Hier. prope initium, idemque patet ex Cant. 8. 6. ubi de dilectione dicitur: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Feror autem est excessus caliditatis, atque omnis excessus est nocivus.

Art. 1. Respondetur. Cum dictum sit quæst. 10. amorem esse principium omnium operationum amantis, tam videlicet malorum, quam bonarum; atque omne bonum, & malum certè præcipuum in ope-

ratione situm sit; manifestum est amorem esse principium omnis boni, omnisque mali, vel certè præcipui in vnoquoque, provt fuerit ipse amor; ac proinde amorem esse ex suo conceptu generico indifferenterem, ut sit summè nocivus, summèq; proficius.

Art. 2. Verum intercedit hoc inter utrumque extremum discrimen. Quod nimirum amor est per se utilis, & proficius; nocivus vero per accidens. Est quidem utilis per se, quia est coaptatio amantis, respectu boni convenientis ipsi, ut dictum est quæst. 6. Coaptatio autem, respectu boni convenientis non est læsiva per se, sed est potius utilis; nec fieri potest, ut, quod ita coaptatur, eo ipso lædatur, ac deterioretur. Igitur amor per se, exque sua natura præcisè est perfectivus, & meliorativus amantis, & neque amanti, neque cuiquam alij nocere potest nisi per accidens, ut concludit rectè D. Thomas quæst. 28. art. 5. Nocet autem per accidens triplici ex capite. Primo, nimirum, ratione cognitionis ipsum dirigentis conjunctæ cum errore, fallacia, ac deceptione. Secundò ratione organi corporalis patientis ex immutatione præternaturali qualitatum naturalium, quæ consequitur ad passionem amoris, sicut ad alias passiones, uti expositum est supra in genere qu. 3. art. 4. Tertiò ex limitatione, & imperfectione boni amati, quod applicatum vni per amorem ex ipso subtrahitur aliis, qui illo indigent.

Art. 3. Præcipua autem radix nocivorum, quæ invehit amor per accidens, est cognitio fallax. Quæ nimirum repræsentat bonum, cui adiacet malum, tanquam purum bonum, aut tanquam præeminentem bonitatem, ubi prævalet potius malitia. Inde enim fit, ut amor. *Qui est actius quantum potest,* ut dicit Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 4. vires omnes amantis impendat ad inducendum malum in ipsum amantem, vel in amatum, vel in alios, provt contigerit cognitionem directivam ipsius amoris subesse deceptioni, & fallaciæ. Vis nociva amoris, quæ provenit ex debilitate organi, secundum obtinet locum, estque minor, quam quæ ex imperfectione cognitionis procedit, & maior, quam quæ est ex limitatione boni concupiti. Ratio huius comparationis est, quia nocivum organi ex immutatione qualitatum naturalium, consequenti amorem afficit intrinsecè ipsum amantem, semperque consequitur ex nimia qualibet aut continuatione, aut intensione cuiusque amoris, ideoque prævalet nocivum, quod est ex limitatione rei concupitæ. Quia hoc nocivum est extrinsecum amanti, saltem ut in pluribus, & præterea Deus, & natura provident omnibus per se de necessariis ad salutem mentis, & corporis; ac demum nocivum ex hoc capite nullum subsequitur ex amore eorum bonorum, quæ ab omnibus simul haberi possunt, ut sunt cognitio veritatis, bona sana, & similia. Prævalet vero eidem nocivum ex organi læsione malum proveniens ex fallaciâ cognitionis, tum quia cognitio fallax inducit plerumque malum animæ, quod prævalet malo corporali, tum quia malum proveniens ex deceptione cognitionis, eo ipso placet amanti ob speciem boni illi affectam, ideoque difficilior remouetur, cum læsio protinus displiceat, ideoque stimulet ad remotionem sui. Unde fit, ut cito deficiat ex natura rei. Ex his igitur patet, amorem absolute esse dicendum vtilem, & proficiuum, respectu amantis, & amatis; nocivum vero, respectu utriusvis, & aliorum non nisi cum addito, & per accidens; Quia hoc dicitur de vnoquoque absolute, quod illi convenit per se.

Ad 1. Verum est extasim esse effectum amoris tum intellectualiter, tum affectivè, tum effectivè.

Quia

Quia amor applicat intellectum ad cogitandum de obiecto amato, eidemque vnit amantem affectiue, & effectiue, vti expositum est in illa quæst. 9. Cæterum quia hæc omnia præstat amor circa alios, & alia, coëxistente semper, ac necessariò maiori amore ipsius amantis erga se, propterea nihil eorum illi nocet, quia in omnia reliqua fertur, tanquam in bona conuenientia sibi, & quicquid deinde inducit in alios, vel alia, redundat in eundem, vel propter coniunctionem, quasi identificam amantis, & amati, vel propter coniunctionem physicam rei amata cum amanti perfectiuam eiusdem, vt ibidem dictum est.

Ad 2. Amor bonus, & conformis rectæ rationi tribuit & animæ, & corpori, quantum singulis debetur idcoque neutri nocet, sed proficit vtrique. Amor autem malus, & contrarius rectæ rationi indulget nimium corpori, proptereaque nomine carnis significatur ab Apostolo, non solum, quia corpori vtique prouidet, sed quia nimium ei prouidet, eidemque se dedit, quasi esset in ipso totum bonum simpliciter, eaque de causa nocet spiritui. Verum hoc ipsum nocuum est, ipse amor, non quia amor est; Nempe eatenus solum habet inducere bonum vtile, & delectabile, adeoque prodesse: Sed quia dirigitur cognitione fallaci representante bonum secundum quid, ad instar boni simpliciter. Atque hinc accedit eiusmodi amor, vt sit realiter, ac identice nocius.

Ad 3. Zelus est affectus repulsans mali nocentis bono amato. Vnde eo est in vnoquoque maior, quò maior fuerit amor cui inferuit. Verum sicut amor, ita & zelus alius est bonus, & alius malus, alius correspondens amoris amicitia, alius, qui correspondet amoris concupiscentia. Zelus autem, qui est malus, est origo contentionum, atque de eo solo loquitur Apostolus. Similiter zelus coniugatorum proprius correspondet amoris concupiscentia, qui non est communicatiuus bonorum, nisi respectu eorum, quibus amantur eadem bona. Quapropter sicut in amore, ita etiam in zelo causalitas inductiua malorum prouenit per accedens ex triplici illa radice præassignata respectu, amoris. De reliquo enim zelus per se, & ex sua natura solum tendit ad repellendum malum, idque præstat zelus etiam nequam ad eum modum, & cum ea limitatione, quâ dictum est omnem amorem esse inductiuum boni.

Art. 1. Ad 4. Dictum iam est amorem boni esse principium omnium bonarum operationum, omniumque proinde bonorum, quæ sunt in potestate vniuersalisque, & similiter amorem malum esse actiuum malorum. Sed quia amor etiam ad malum tendit sub ratione boni, propterea vis inductiua bonorum illi conuenit per se, & ex sua natura, at vis inductiua malorum, tametsi æquæ vt minimum vniuersalis sit, atque efficax, inest tamen per accedens ex defectu bonæ cognitionis legitimè representantis bona. Patet itaque ratio discriminis, ob quam amor secundum suum conceptum vniuersalem potissimum adscribatur vis inductiua bonorum, nec nocuus perinde dici possit, atque proficiuus. Quod ad remedia attinet, ea sunt necessaria aduersus amorem malum, quâ malus est. Vnde quia, vt malus sit, ei accedit ex defectu cognitionis, propterea omnia remedia amoris mali, quæ vulgò circumferuntur, ad hoc denique vnum reuocantur, vt inducatur cognitio legitima, & clara, quantum fieri potest bonorum, tum æternorum, tum temporalium. Quælibet nimirum alia, hoc secluso, nihil valent.

Art. 2. Certè quod dicitur de vitiatione otij reprimendo, ac extinguendo amore malo, non po-

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

test subsistere, vt sonat, quin subintelligatur aliquid aliud. Quia omnis amor ex suo conceptu siue bonus sit, siue malus, est actiuus quantum potest, vt habetur ex Philosopho, vbi supra. Ac proinde componi cum otio minime potest. Cum igitur dicitur vitandum otium, vt medeamur amori malo, nomine otij intelliguntur operationes simpliciter inutiles, ac nociuæ. Perinde igitur id est, atque præscribere, vt ab operationibus malis conuertamur ad operationes bonas, & non tantum secundum quid viles aut delectabiles. Quod quia fieri non potest absque præexistentia, & causalitate amoris boni iuxta dicta superius, perinde rursus id est, atque consilium, vt amori malo substituatur amor bonus. Quod nihil est dictum.

Art. 3. Necessè igitur est fateri remedium amoris mali situm esse in cognitione legitima rerum, & in exclusionem, ac emendationem cognitionum fallaciarum, inque inducendis iis, ac procurandis, ex quibus suboritur, & quibus perficitur prior cognitio, atque in vitandis, ac repellendis iis, quibus similiter ingeritur, & fouetur posterior cognitio. Hæc autem qualia sint, facillè quisque cognoscit in vtramque partem, solumque desideratur velle, quatenus vnicuique liberum est.

Ad 5. Liquefactio, languor, & feruor dicuntur metaphoricè tantum, seu analogicè de amore secundum se; maiori verò aliquatenus cum proprietate de immutatione organi corporalis inducta per ipsum amorem. Liquefactio in primis, respectu amoris secundum se, seu ratione ordinis, & habitudinis, quâ refertur ad obiectum, significat dispositionem amantis, vt in ipsum subintret obiectum amatum per coniunctionem affectiuam, modo superius explicato quæst. 9. Sicut enim in rebus corporalibus liquidis congelatio impedit, quominus alia corpora subintrent in congelatum: liquefactio verò disponit, vt eadem subintrent facillè; ita odium impedit prædictam coniunctionem rerum odio habitatum cum auctore odij, & amor faciliat eandem, imò & adducit secum ex sua natura. Hinc si bonum amatum sit abiens, neque amor vnioni, quam præstat in genere causæ formalis, adicere possit coniunctionem physicam in genere causæ efficientis, suboritur tristitia de absentia, quæ nomine languoris significatur, & desiderium præsentia, quod significatur nomine feruoris, quando vterque affectus est intensus, ac vehemens. Sed nullo ex iis modo amor est nocius amanti, quandoquidem liquefactio superaddit, atque coniungit amanti bonum amatum, languor verò, & feruor tendunt ad repellendam absentiam, & ad inducendam præsentiam boni amati, ac perfectiui. Sed si eadem proprietates considerentur relatiue ad organum corporale, non negatur, quin noceant amanti, propter relaxationem, dissipationem, aut accensionem nimiam spirituum vitalium, & sanguinis. Sed hoc est per accedens ex debilitate organi, vt dictum est.

QVÆSTIO XII.

*Vtrum odium sit passio opposita amoris
quoad omnia?*

Videtur non esse. 1. Quia de ratione passionis est, vt habeat causam extrinsecam passio, eidemque eatenus dominantem, vt dictum est quæst. 1. Odium autem nullam habet talem causam, quia versatur circa malum: *Malum autem non est*

in rebus, sed in usu peccantium, nec habet vllum esse, per quod causalitatem exercere possit, vt tradit Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 3. & alibi frequenter. Ergo odium non habet rationem passionis.

2. Omnes aliae passiones procedunt ab amore, vt dictum est quaest. 10. Odium autem, si esset passio opposita amori, non posset ab eo procedere, quia nihil procedit ab opposito sui. Ergo odium non est passio opposita amori.

3. Amor est solius boni, vt dictum est supra: Odium autem non est solius mali. Quia odium mali est bonum, vt apparet inter alia, ex lib. 2. Machab. 3. 1. vbi laudantur animi odio habentes mala. Non autem omne odium est bonum, vt patet inter alia, ex Psalmo 24. 19. *Odio iniquo oderunt me.* Ergo odium non est solius mali, ac proinde non opponitur amori, quoad omnia.

4. Omnis affectus prosequutius habet pro obiecto bonum, vt docet D. Thomas quaest. 42. artic. 1. Aliquod autem odium habet rationem prosequutionis. Quia odium inimicitiae intendit inferre malum malo, ac proinde non est purè auersatiuum, ac fugitiuum mali, sed prosequutiuum, ac intensiuum alicuius bonitatis. Cum igitur amor feratur ad solam rationem bonitatis, sequitur idem, quod prius.

5. Vnusquisque amat seipsum necessariò, vt dictum est quaest. 13. art. 2. de act. hum. Non autem simili necessitate vitatur ab omnibus odium sui, vt patet ex Psal. 10. 16. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Confirmatur, quia qui interimunt seipsum, malum sibi intendunt, ac inferunt, atque ideo oderunt seipsum; cum odisse aliquem nihil sit aliud, quàm velle, & inferre eidem malum. Ergo neque, quoad hoc, opponitur odium amori, nec saluatur iusta inter vtrumque oppositionis proportio.

6. Veritas potest esse obiectum, & amoris, & odij indiscriminatum. Amoris quidem, quia veritas est magnum quoddam bonum. Vnde est amor scientiarum, per quas cognoscitur veritas, vt habetur lib. 1. metaph. initio; necnon amor erga non fictos, vt traditur à Philosopho lib. 2. Rhetor. cap. 4. vtiue propter veritatem. Odij verò obiectum potest esse eadem veritas, vt patet ex Apostolo dicente ad Galat. 4. 16. *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis, & ex vulgari proloquio: Veritas odium parit.* Nulla autem est oppositio actuum, quorum obiectum est idem, seu inter quorum obiecta nulla est oppositio. Ergo odium non est passio opposita amori.

Art. 1. Respondetur. Bono, quod est obiectum amoris, opponitur malum, quod est obiectum odij. Necesse autem est actus circa obiecta opposita esse pariter inuicem oppositos. Eo igitur pacto opponitur odium amori, quo opponitur bono malum. Duo porro sunt, quae bono potissimum conueniunt, quorum opposita malo conuenire non possunt. Primum enim possibile est purum bonum, cui nullum insit malum. At purum malum nullum est possibile, vt ostensum est quaest. 29. de act. hum. ab art. 3. Deinde non est de ratione boni, vt sic, vt praesupponat aliquod malum, vt patet in Deo. De ratione autem mali est, vt praesupponat aliquod bonum. De ratione namque mali est, vt noceat alicui bono, vt ponderat August. cap. illo 3. nuper indicato, atque ideo resultare non potest, quin praesupponat bonum, cui nocere possit. Hinc consequitur, amori itidem conuenire quadam duo, quorum opposita non possunt proportionaliter conuenire odio. Primum nimirum, quod amor potest esse purus absque vlla admixtione odij. Talis enim est amor puri boni representati, quā tale est. At odium non

potest similiter esse purum absque vlla admixtione amoris: Quia quicumque odio habet aliquod malum, eo ipso tendit ad exclusionem eiusdem mali ab aliquo, cui illud est nocuum. Patet autem voluntatem excludendi malum ab eo cui nocet habere eatenus rationem amoris, respectu eiusdem. Eiusdem namque rationis est, velle bonum alicui, & nolle malum eidem, iuxta illud Philosophi, *minus de malo, est plus de bono.* Alterum est, quod non est de conceptu amoris, vt praesupponat odium aliquod. Est autem è conuerso de conceptu odij, vt praesupponat amorem aliquem, vt liquet ex quaest. 10. Quoad haec igitur duo non conueniunt proportionaliter odio opposita eorum, quae conueniunt amori.

Art. 2. Caterum quoad reliqua omnia odium opponitur amori, atque illi conueniunt vniuersaliter opposita eorum, quae conueniunt amori cum iusta eatenus inter vtrumque proportionem. Quia videlicet, sicut se habet obiectum ad obiectum; Ita se habet actus ad actum. Malum autem, & bonum exceptis illis duobus praedicatis opposito modo se habent proportionaliter, quoad omnia; Quapropter sicut amor est passio comparatiua animalis, respectu conuenientium sibi, ita odium est passio indispositiua animalis, respectu disconuenientium sibi, & sicut amor imitatur appetitum innatum rerum insensibilium respectu conuenientium ipsis; ita odium imitatur repugnantiam, ac dissonantiam eorundem, respectu disconuenientium sibi. Hinc odium definiri potest, sicut amor superius, *Passio indispositiua animalis, respectu disconuenientium sibi*; ac demum sicut bonum cognitum, est obiectum, & causa amoris; ita malum cognitum, est obiectum, & causa odij; atque odisse, est velle malum alicui; sicut amare, est velle bonum alicui.

Art. 3. Praeterea sicut amor dictus est alius esse amicitiae, & alius concupiscentiae; ita odium aliud est inimicitiae, aliud abominationis. Quanquam quoad hoc datur aliquod discrimen inter vtrumque. Dictum namque est, omnem amorem necessariò esse amicitiae, respectu alicuius obiecti, simulque concupiscentiae, respectu alicuius alterius obiecti. Odium autem, licet inimicitiae esse non possit respectu alicuius, quin simul sit abominationis, respectu alicuius alterius obiecti; fieri nihilominus potest è conuerso, vt detur odium abominationis, cui nihil insit inimicitiae. Qui enim odit aegritudinem amici, ita abominatur malum aegritudinis, vt neminem propterea prosequatur odio inimicitiae. Ratio huius discriminis est. Quia malum inesse potest, & malo, respectu nostri, & bono sub eodem respectu. Quando autem consideratur malum, respectu subiecti itidem mali comparatione considerantis, sequitur odium inimicitiae indistinctum ab odio abominationis. Quando verò consideratur malum, respectu subiecti boni comparatione considerantis, sequitur odium purè abominationis. At bonum, quod concupiscitur non potest non prodesse subiecto, cui est volitum, proptereaque amor concupiscentiae est inseparabilis ab amore amicitiae erga aliquem.

Art. 4. Considerare vltterius oportet circa praedictam diuisionem odij, in odium abominationis, & odium inimicitiae, rationem abominationis conuenire odio, respectu mali, quod nolumus alicui inesse; rationem verò inimicitiae conuenire, respectu subiecti, cui volumus inesse malum. Quapropter actus, qui est odium inimicitiae, respectu alicuius secundum se, est odium simul abominationis, respectu eiusdem quatenus relati ad ipsum odio habentem. Sicut enim per amorem amicitiae erga aliquem volumus aegritudinem illi nocetam, quod odium dicitur eatenus

eatenus abominatio; ita amor, quem quisque gerit erga seipsum, auertit à quolibet alio nociuo respectu ipsius, quem proinde odit odio, quod simul est inimicitia comparatione odio habiti secundum se, & abominatio comparatione eiusdem relatiue ad odio habentē. Perinde enim hic non vult sibi inimicum, ac nocentem, atque non vult amico aegritudinem. Ex quibus confirmatur quod dictum est, odium inimicitia respectu vnus semper, ac necessariū esse simul odium abominationis sub alio respectu. Ceterum sicut dictum est amorem amicitia esse amorem simpliciter, & amorem concupiscentia tantum secundum quid; ita dicendum est odium inimicitia esse odium simpliciter; odium verò abominationis tantum secundum quid, idque eadem utrobique proportionali ratione.

Art. 5. Conueniunt præterea cum eadem proportionis ratione vis disiungendi odio habentem ab obiecto, quod odio habetur, vis continendi in se, seu intra se eundem odio habentem, nec non congelandis, ac indurandis, & similia omnia iis opposita, quæ attributa sunt amoris; atque inter alia augmentum odij, cæteris paribus, ex dissimilitudine, & fœditate. Maxime verò omnium conuenit odio, vt sit principium vniuersale omnium operationum, quibus abiguntur mala à subiectis amatis, & quibus eadem inducuntur in inimicos, ac odio habitos; idque mediata, vel immediata ad eum omnino modum, quo dictum est amorem esse principium vniuersale omnium prorsus operationum. Adde odium circa vnum obiectum posse esse principium amoris circa obiectum aliud; sicut dictum est amorem circa aliquid posse esse principium odij circa aliquid aliud. Eadem namque ratione, qua odio habetur, quod potest nocere subiecto amato, aut impedire rem amatam, præcisè quia amantur, ita è conuerso amatur bonum, quod potest nocere subiecto odio habito, aut tollere rem odio habitam, præcisè quia odio habentur. Quod tamen dicitur, salua differentia iam ante prænotata, quod omne odium est ab aliquo amore, & consequenter non est è conuerso omnis amor ab aliquo odio. Cuius rei ratio reddita est superius. In hunc igitur modum conueniunt odio omnia opposita eorum, quæ conueniunt amoris, seu vt iustius dicatur, quæcunque conueniunt odio sunt opposita proportionaliter iis, quæ conueniunt amoris; tametsi eadem amoris secundum totam suam latitudinem conueniant aliqua, nempe illa duo initio obseruata, quibus nihil est proportionale in odio.

Ad 1. Verum est mali, vt mali, nullam esse entitatem, nullamque proinde causalitatem, ac vim motiuam. Sed verum itidem est, nullum esse purum malum re ipsa, atque omne malum inesse alicui bono, tanquam subiecto, cui nocet. Bonitas igitur adiuncta realiter malitiae, aut quæ conuenit subiecto capaci mali exerceat causalitatem, & vim motiuam in odium. Dicitur autem odium affectus refugiens à malo, eisdemque dissonans, atque repugnans, quia fertur ad bonitatem præcisè, quatenus est repulsiua mali, cum amor fertur ad bonum secundum se, aut quatenus est inductiuum alterius boni. Habet igitur odium rationem passionis non minus, quam amor.

Ad 2. Dictum iam iterum est, nullum odium procedere ab amore, cui opponitur, sed solum ab eo amore, cui non opponitur, & cui inferuit. Omne nempe odium fauet alicui bono. Ei videlicet, cui nocet malum odio habitum. Ab eiusmodi igitur boni amore procedit vnumquodque odium.

Ad 3. Sicut amor diuinus est in bonum, & malum, iuxta diuisionem boni veri, & apparentis, seu simpliciter boni, & boni tantum secundum quid; ita

odium diuiditur in bonum, & malum, iuxta similem diuisionem mali veri, & apparentis, seu mali simpliciter, & impediens beatitudinem, ac coniunctionem cum summo bono, seu mali tantum secundum quid, nihilque nocentis beatitudini. Itaque quod dicitur, odium mali esse bonum, verificatur de malo simpliciter, atque de tali odio sermo est in illo Machabæorum loco. Quod verò dicitur de odio iniquo, verificatur de malo tantum apparente, & secundum quid; atque de hoc odio loquitur Psalmista. Ex quibus apparet potius amoris, & odio conuenire opposita cum proportionem, & iusta affinitate prædicatorum, penes quæ opponuntur.

Ad 4. Illo argumento mouetur Valentia, vt asserat odium inimicitia moueri formaliter bonitate, quæ in eo elucet, vt malum malo ingeratur, ac insit. Quæ sanè est opinio singularis, opposita manifestè D. Thomæ quæst. 29. toto articulo 1. & de malo quæst. 12. art. 4. aliisque communiter docentibus ex professo, ac indubitanter causam, & obiectum odij esse malum. Ratio æquiuocationis est: Quia sicut intellectus pronunciat plura de negationibus ad instar affirmantis; ita vt, cum realiter diuidat, procedat nihilominus instar componentis; sic etiam voluntas versatur sæpè circa malum ad eum modum, quo versatur circa bonum; & cum re ipsa intendat nocere, aut auertere malum, id tamen præstet ad instar prosequentis bonum. Quod totum negotium procedit ex prædicato principio, quod ita se habet malum ad malum, sicut bonum ad bonum; & reiectio mali est sicut inductio boni. De reliquo intendens bonitatem, quæ elucet in ingerendo malum malo, non odit, sed maxime amat. Pater enim verberans filium nequam, non odit, sed amat profecto; eademque est ratio de medico torquente ægrotum, vt sanet. Igitur qui odit odio inimicitia, non intendit vllam bonitatem, respectu inimici, cui videlicet est mala, ac nociua coniunctio cum malo, quod ipsi intenditur, idèque inducit eadem coniunctio per idem odium, quia est nociua. Igitur odium inimicitia, quatenus intentionum, ac inductiuum eiusmodi coniunctionis mali cum malo, non est affectus prosequutiuius re ipsa, sed maxime auersatiuius, licet modus tendendi sit assimilis prosecutioni. Vnde ratio prosecutionis conuenit odio inimicitia tantum, respectu ipsius odio habentis, aut amici eius, cui nocet, aut apprehenditur nociuus, qui odio habetur, vt inimicus.

Ad 5. Multo maior est impossibilitas odij, respectu sui, loquendo per se, & formaliter, quam sit necessitas amoris erga se. Quia fieri potest, vt quis non cogitet de bonis suis, deque sua ipsius bonitate erga se. Fieri tamen nullo pacto potest, vt aliquid sit, aut apprehendatur nociuum respectu sui secundum se, & secundum suam essentiam. Quia vnumquodque perficitur per se ipsum, quatenus est, & conceptus identitatis est formaliter conceptus perficiens se, & dantis sibi esse, quod est bonum fundans omnem aliam bonitatem. Solum igitur contingere potest, vt quis per accidens sibi noceat, vel itque nocementum sibi inferre. Nimirum quatenus apprehenditur bonum secundum quid, & cui plus inest mali, quam boni, tanquam bonum simpliciter, & in quo præponderet ratio boni rationi mali, aut insit pura bonitas. Hoc pacto dicuntur odisse se, & re ipsa odio habent animam suam, qui diligunt bona temporalia cum iactura bonorum spiritualium, ac æternorum. Quæ nimirum plus mali eatenus sibi inferunt, quam acquirant boni. Verum, quia affectus eorum fertur formaliter ad rationem bonitatis, quæ bona est, propterea iam affectus non est odij

odij formaliter, & per se, sed tantum identice, ac per accidens. Similiter qui interimunt se ipsos, eatenus id faciunt, quia apprehendunt interitum, tanquam terminum, & finem aliorum malorum, quæ patiuntur, & putant animam separatam à corpore melius habituram, quam coniunctam cum corpore. Amant igitur se eatenus, quoad partem suam principalem, quæ est anima, & contemnendo interim corpus, & coniunctionem cum corpore propter apprehensionem minoris eatenus bonitatis.

Art. 1. Ad 6. Hoc est commune veritati cum omnibus aliis rebus, ut non possit odio haberi, quatenus est, & quatenus bona est. Quia in omni ente ipsum esse secundum se est bonum, & nihil odio haberi potest, quia bonum est. Contingit nihilominus, ut quod est bonum simpliciter, aut alicui, habeat nihilominus, aut apprehendatur habere adiunctam sibi malitiam aliquatenus nocentem alicui alij. Atque sub hac ratione potest quilibet odio haberi, quaecunque demum in se sit. Ita frigus est bonum aquæ, & malum igni, atque idem homo uni noceat, tanquam inimicus, & alij prodest, tanquam amicus. Unde sicut aqua appetitu innato fertur in frigus, & ab eodem refugit similiter ignis: ita idem homo amatur ab uno, quia est bonus ipsi, & odio habetur ab alio, quia est ipsi malus, & sic de similibus vniuersaliter.

Art. 2. Hac igitur ratione potest etiam veritas odio haberi, non quidem in vniuersali, & secundum conceptum abstractum, bene tamen in particulari, & secundum differentiam aliquam specificam, vel individualement. Quia licet veritas secundum se sit purum bonum, ideoque odio haberi minime possit, quia veritas præcisa est, & secundum suum conceptum vniuersalem veritatis ut sic: aliqua nihilominus veritas in particulari potest esse molesta, ac noxia respectu alicuius, quatenus est infamatoria eius, aut continet documentum eidem acerbum, ac displicens, vel alio simili modo dissonat, ac repugnat appetitui. De veritate huiusmodi conditionis est sermo apud Apostolum in illo loco. Sermo namque ipsi est de veritate exprobratoria, ac increpatoria vitiorum, quibus suberant Galatæ. Atque commune Proverbium accipitur eodem modo de veritate contradicente vitiosis affectibus. Itaque veritas odio habetur per accidens, sicut alia vniuersaliter bona secundum naturam, & mala tantum respectu propter circumstantiam sibi adiunctam.

Art. 3. Illud discrimen odij in vniuersali, & in particulari non datur formaliter in appetitu sensitivo, sed tantum in appetitu rationali; datur tamen æquiualeuter etiam in appetitu sensitivo. Quia abstractio vniuersalis solum datur in intellectu formaliter, ideoque sola appetitio, quæ dirigitur cognitione intellectualem, potest ferri in rationem vniuersalem, & abstractam formaliter, ut talis est. Quia de causa odium intellectuale fertur ad malum in communi, ad ægritudinem, insipientiam, infamiam, & similia, prout abstrahunt à rationibus indiuiduantibus. Quod ipsum appetitus sensitivus præstare nequaquam potest. Quia sensus est adstrictus conditionibus indiuiduantibus, nec potest apprehendere nisi singularia, ut sunt in se. Verum, quia sensus apprehendit nihilominus simul cum conditionibus indiuiduantibus naturam cuiusque rei, quæ est abstrahibilis per intellectum, fieri potest, ut appetitus sensitivus æquiualeuter odio habeat aliquid in vniuersali, alia verò nec æquiualeuter quidem, nisi in particulari, & singulariter. Quædam enim mouent appetitum sensitivum ad odium ratione contrarietatis conuenientis naturæ eorum vniuersaliter, respectu animalis; quædam verò alia solum

ratione conditionis alicuius individualis, aut circumstantiæ inexistens per accidens. Ita ovis odit, ac fugit lupum cognitum ut talem, qualiscunque demum, & qualitercunque circumstantionatus sit, hominem verò non nisi minitantem, aut qui iam nocuerit. Fugit igitur lupum odio æquiualeuter vniuersali ratione motui formalis, re ipsa communis omni lupo; hominem verò ne æquiualeuter quidem, nisi in particulari, & singulariter, propter rationem oppositam. Hæc doctrina est communis odio cum aliis affectibus, ut patet consideranti; libuit tamen eam obiter notare circa odium, quatenus vniuersalitas videtur ratione speciali apparenti repugnare odio, cum res omnes secundum se sint bonæ, & volitæ à Deo, ideoque amabiles potius vniuersaliter. Quia itidem de causa D. Thom. agit de hoc puncto solum circa odium, q. 29. art. 5. & 6.

QVÆSTIO XIII.

Virum concupiscentia, seu desiderium sit passio mouens ad præsentiam delectabilis secundum sensum?

Videtur non esse. 1. Quia passiones sunt in solo appetitu sensitivo, ut dictum est quæst. 1. Concupiscentia autem datur etiam in appetitu rationali. Qui videlicet solus ad bona spiritualia ferri potest, quorum dari concupiscentiam patet ex illo Sap. 6. 21. *Concupiscentia itaque sapientia deducit ad regnum perpetuum*, & Pl. 118. 20. *Concupiscit anima mea desiderare iustificationes tuas*, & iterum vers. 40. *Ece concupiscit mandata tua*. Accedit quamlibet potentiam æque concupiscere proprium bonum, atque conari ad ipsum. Ergo concupiscentia non est passio, sed quid vniuersalis passio.

2. Obiectum concupiscentiæ non distinguitur ab obiecto amoris, & gaudij: Quia secundum Philosophum lib. 1. Rhet. cap. 11. sub initium: *Cupiditas, iucundi appetitio est*, adeoque obiectum concupiscentiæ est delectabile secundum sensum, cuius, & de quo amorem quoque, & gaudium esse patet. Vbi autem obiecta non distinguuntur, neque actus distinguuntur. Ergo concupiscentia non est passio specialis distincta ab amore, & gaudio. Confirmatur quoad amorem ex Augustino dicente lib. 83. q. 35. *Cupiditas est amor rerum transcurrentium*. Ergo concupiscentia est nomen generale potentie concupiscibilis, omniumque eius actuum, & non passionis particularis.

3. Quælibet passio, præter iram, habet passionem sibi contrariam, ut dictum est quæst. 2. Concupiscentiæ autem nulla passio opponitur directe. Quia Damasc. lib. 2. fidei Orth. cap. 12. solum timorem contraponit concupiscentiæ. Timor autem non pertinet ad concupiscibilem, sed ad irascibilem, adeoque non opponitur directe ipsi concupiscentiæ. Ergo concupiscentia non est passio.

4. Passiones sunt affectus homini, aliisque animalibus connaturales; etiam quatenus deuiant à ratione, ut innotuit supra quæst. præsertim 4. ab art. 3. Concupiscentiæ autem diuiduntur à Philosopho in naturales, & non naturales lib. 3. Ethic. cap. 11. & lib. 1. Rhet. cap. 11. Non igitur est de conceptu concupiscentiæ, ut sit passio.

5. Repugnat infinito, ut fiat præsens; nullusque est motus ad impossibile. Concupiscentiæ autem aliquæ sunt infinitæ, ut habetur ex Philosopho 1. Polit. c. 6. Ergo non recte dicitur concupiscentiam mouere ex suo conceptu ad præsentiam delectabilis.

Art. 1.

Art. 1. Respondetur: Concupiscere est simul, ac coniunctim cupere. Simultas autem, & coniunctio in cupiendo, alia est ex parte obiecti tantum, alia ex parte & obiecti, & subiecti. Quæcunque enim sunt volita alicui tanquam subiecto perfectibili per illa, amantur coniunctim, & per modum compositionis ex parte obiecti, siue ea velit principium in se simplex, vel quoad partem simplicem sui, siue compositum, & quoad omnem partem componentem. Qua de causa dictus est supra quæst. 7. amor concupiscentiæ, quicunque vult aliquid, tanquam adiacens alteri, & quatenus illi prodest. Alia verò sunt, quorum affectus est coniunctiuus etiam ex parte principij, vt patet in bonis sensibilibus, quæ afficiunt animam simul cum corpore, ideòque terminant affectum, quatenus vtrique coniunctim prodesse possunt. Patet verò maiorem esse rationem concupiscentiæ, seu cupiditatis quasi compositiæ, vbi intercedit coniunctio, & compositio ex parte obiecti, & subiecti simul, quam vbi ex parte obiecti tantum. Bona porò spiritalia pertinent ad solam animam, & solum per redundantiam possunt afficere corpus. At bona sensibilia corpus pariter, & animam afficiunt ex sua natura. Itaque concupiscentia maxime, ac propriissime dicitur de appetitu sensitivo, qui solum versatur circa sensibilia directè.

Art. 2. Iam appetitus sensitivus solum mouetur bono delectabili sensibili, cum non sit capax honesti, vt honestum est; atque vtile non habeat vim mouendi appetitum ratione sui, vt vtile formaliter est, sed semper, ac necessariò ametur ratione alterius, nempe eius, ad quod est vtile, & respectu cuius proinde habet rationem puri mediij, de cuius conceptu est, vt sit appetibile tantum ratione alterius. Totum igitur motuum appetitus sensitivus est delectabile secundum sensum. Delectabile porò ipsum, sicut apprehensum secundum se, mouet ad amorem sui, per quem adaptat sibi animal, vt dictum est supra; Ita apprehensum, vt absens, mouet ad affectum intensiuum præsentis, & exclusiuum absentis, vt pote nocentis animali, & contradicentis inclinationi amoris præsuppositi. Huic autem affectui accommodatum est specialiter nomen concupiscentiæ, quanquam sit ex natura rei commune omni affectui appetitus sensitivi, ratione iam dicta. Quia videlicet impressio, ac motio appetibilis, quatenus absens, in appetituum est præ cæteris manifesta, ac sensibilis, vt notatum est iterum supra, & exponitur magis quæst. 23. Patet igitur, concupiscentiam, maxime, ac propriissime talem, esse in primis passionem, vt pote existentem in appetitu sensitivo, ac deinde mouere ad præsentiam delectabilis secundum sensum; vt pote conceptam ex motione ipsius delectabilis, vt absens, ac proinde displicentis eatenus, & impellentis appetituum ad vitationem, & exclusionem huiusmodi circumstantiæ ex se odiosæ in re amabili secundum se.

Art. 3. Rectè igitur definitur concupiscentia passio mouens ad præsentiam delectabilis secundum sensum. Certè in hoc potissimum sensu accipitur in præsentem. Quod tamen non tollit, quo minus frequenter confundatur cum desiderio, quod latius patet, & communiter tribuitur appetitui rationali, cuius sphaera patet latius. Hoc autem pacto concupiscentia est affectus circa bonum absens, intensiuus, ac inductiuus præsentis eius. Obseruatum nimirum sæpius est, nomina passionum traduci sæpè ad significandos affectus rationales, atque vice versa, propter affinitatem, & mutue proportionis rationem vtrisque communem: Quod tamen in hac voce concupiscentiæ est aliquatenus minus familiare. Quia peculiaris sensibilitas, ac notorietas affectus

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

sensitivi circa delectabilem absens, notata nuper, effecit, vt nomen concupiscentiæ potissimum, & ex vltu magis familiari ipsi adhereret, vt etiam effectum est eadem ferè ratione, vt eadem vox accipitur plerumque in malo, vt obseruatum est supra cum D. Thoma. Atque ex his patet ad 1. Quia in illis locis sumitur concupiscentia in latiori, quam hic sumatur, significatione, & confunditur cum desiderio.

Ad 2. Dicitur similiter, concupiscentiam in latiori significatione, & iuxta suam originem à cupiendo cum similitate, & coniunctione, accommodari posse amoris quoque, & gaudio præsertim appetitus sensitivi; sed tamen pressius sumptam congruere soli appetitioni delectabilis secundum sensum, eiusque absentis. Atque hoc modo accipiendi sunt, & Philosophus, & Augustinus, nisi quod Augustinus accipi etiam potest in sensu causali, quatenus amor est causa concupiscentiæ strictè sumptæ, vt dictum est supra.

Ad 3. Patebit responsio infra quæst. 16. Interim Damascenus usurpat timorem in latiori significatione, vt notat D. Thomas quæst. 30. art. 2. ad 3. Quo pacto solet timor, & spes poni pro omni motu in bonum, & in malum absens. In præsentem autem sumitur concupiscentia strictè, atque eodem pacto exponetur infra timor quæst. 34.

Ad 4. Dum diuidit Philosophus concupiscentias in naturales, & non naturales, nequaquam significat supernaturales, seu superantes virtutem actiuam naturæ, nomine non naturalium, sed alio longè diuerso loquitur sensu, vt apparebit infra opportuniùs quæst. 42. Videri interim potest D. Thomas in præsentem quæst. 30. art. 3. Quapropter non naturalitas, seu præternaturalitas attributa à Philosopho quibusdam concupiscentiis nihil contradicit connaturalitati, qualis à nobis agnita est superius in passionibus vniuersaliter omnibus.

Ad 5. Repugnat quidem infinito, vt fiat cathegorematicè præsens, seu secundum omnes suas partes collectiue. Cæterum non repugnat, vt fiat præsens secundum quolibet suas partes determinatè cum successione alterius post alteram sine fine. Hoc autem solum secundo modo dicuntur à Philosopho, nec non à D. Thoma art. 4. eiusdem quæstionis concupiscentiæ aliquæ infinite: Quia, videlicet, habita vna parte boni concupiti vt pecuniarum, tendunt vltèrius ad inducendam præsentiam vltèriorem alterius, & alterius partis sine fine.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum causa concupiscentiæ sit delectabile absens?

Videtur non esse 1. Quia in delectabili, quod sit absens, est malum, & priuatio. Malum autem, & priuatio non est causa concupiscendi, ne quidem partialis, sed magis abominandi, ac fugiendi. Ergo delectabile non est causa concupiscentiæ, quatenus affectum absentis.

2. Quilibet affectus prosequentiùs coniungit affectiue subiectum, cui inest cum obiecto, quod est motiuum, & causa illius, idemque obiectum necessariò placet eidem subiecto ex vi eiusdem affectus. Quia omnis alius affectus prosequentiùs participat naturam amoris, vt pote causæ suæ eatenus homogeneæ. Amori verò attributa est superius veraque ea vis coniungendi, & complacendi. Impossibile autem est, vt placeat cuiquam delectabile, vt absens, vtque eidem, vt absenti coniungatur quis affectiue, cum

omnibus displiceat absentia ipsius delectabilis, omnesque ab ea fugiant, quantum possunt. Repugnat igitur, ut obiectum, & causa concupiscentiae, quae est affectus prosequutius, sit delectabile absens.

3. Concupiscentia intendit praesentiam delectabilis, atque, ut eam inducat, operatur, quantum potest. Praesentia igitur potius, quam absentia est conditio requisita in ipso delectabili, quatenus mouente ad concupiscendum.

4. Quod est concupiscentia in appetitu sensibili, hoc est desiderium in rationali. Desiderium autem fertur ad delectabile, etiam ut praesens, iuxta illud 1. Petri 1. 12. *In quem desiderant Angeli prospicere.* Ergo concupiscentia ferri similiter potest ad delectabile secundum sensum, etiam quatenus praesens.

5. Experientia voluptatis praesentis accendit concupiscentiam similium in posterum voluptatum, ac proinde ipsum frui est causa iterum concupiscendi. Qua de causa delectatio dicitur causare sitim, & desiderium sui, ut docet D. Thomas quaest. 33. art. 2. Eamque in rem adduci solet illud Poetae: *Nec gramina riuis, Nec cythis saturantur apes, nec fronde capellae.* Ergo delectabile praesens non minus, vel etiam magis, quam absens, est causa concupiscentiae. Confirmatur ex Augustino tract. 15. in Ioan. ad illud: *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum. Pone ergo, ait, hydriam esse cupiditatem, & aquam de profundo voluptatem. Cum peruenierit quisque ad voluptatem saeculi huius, cibus est, potus est, spectaculum est, &c. Numquid non iterum sitiet?*

6. Nullus effectus excludit vi sua, saltem per se, principium, & causam suam. Concupiscentia autem tota vi in hoc incumbit, ut excludat absentiam delectabilium, & inducat eorum praesentiam. Igitur delectabile, ut absens, non est principium concupiscentiae.

7. Si delectabile esset causa concupiscentiae, tot essent species concupiscentiarum, quot sunt species delectabilium. Quia actus appetitus, & sensus multiplicantur specie iuxta multiplicatam obiectorum formalium, quae sunt causae mouentes ad illos. Sequela autem contradicit D. Thom. quaest. 30. art. 2. initio, aliorumque communis consensus ibidem.

8. Quod est causa amoris, quatenus praescindens ab absentia, & praesentia, idem est causa concupiscentiae, quatenus absens. Dictum autem est supra, causam amoris esse bonum cognitum, utique, ut praescindens ab omnibus speciebus boni, praesertim utilis, & delectabilis, seu potius, ut complectens eandem indiscriminatim. Dicendum igitur est, causam concupiscentiae esse bonum absens cum eadem vniuersalitate, & absque restrictione ad speciem particularem boni delectabilis; idque adiuncta cognitione, tanquam causa partiali, siquidem requiritur ad concupiscendum, non minus, aut aliter, quam ad amandum.

Respondetur. Diuersas specifica affectuum dependet ex diuersitate specifica obiectorum mouentium ad illos secundum virtutem actiuam, quam exercent circa ipsos. Nempe diuersitas obiectorum entitativa, & quoad naturam ipsorum secundum se, nihil facit pro diuersitate actuum, si vis actiua exercita circa ipsos est nihilominus eiusdem prorsus rationis. Quia effectus respicit causam suam praecise, quatenus agentem, ac influentem, & non quoad praedicata alia, quae materialiter se habent, quoad modum causalitatis. Patet autem, delectabilia omnia eodem modo afficere, ac mouere appetitum, dum representantur in eodem statu, quantumcunque sint diuersa, quoad entitatem. Igitur ex hac sola diuersitate, non alia, quam pure materialis diuersitas affectuum resultare potest, quod ad esse natu-

rale, & perfectionem physicam ipsorum attinet; tametsi, quoad esse morale multiplex indidem diuersitas specifica prouenire possit, quatenus delectabilia entitativè diuersa possunt eo ipso inducere priuationem multiplicis honestatis specie diuersae. De quo alibi dictum est. At idem delectabile pro diuerso statu, & sub diuersa consideratione inducit affectus specie diuersos. Quia consideratum secundum se praecise, abstrahendo à praesentia, & absentia, adaptat, & conformat sibi appetitum, & eatenus causat amorem, ut dictum est supra. Consideratum verò, ut absens trahit ad se appetitum, & cogit quodammodo, ut moueatur ad ipsum, & eatenus causat concupiscentiam in appetitu sensitivo, & desiderium in rationali: Sicut consideratum, ut praesens, quietat appetitum, & eatenus causat delectationem. Quos tres motus patet esse valde diuersos inter se formaliter, atque adeò dissidere inter se specie. Causa igitur concupiscentiae secundum suam rationem specificam, ut delectabile, quatenus consideratum, ut absens. Licet enim absenti nihil moueat, nihilque causet, cum sit in se nihil; confert tamen, ut bonum, cui adiacet, operetur aliter, atque operatur, idem ut praesens. Quia ipsa praesentia boni est bonum quoddam particulare potens per se ipsam mouere, & agere simul cum bono, quod reddit praesens. Patet autem, amota vna causa partiali, alteram partem exercere se sola diuersam actiuitatem, nec sufficere ad eundem effectum specie, ad quem sufficeret simul cum alia concausa. Itaque absentia delectabilis non variat speciem affectus, tanquam causa partialis specialiter influens ratione sui, sed solum tanquam impedimentum causae cuiusdam partialis, quaeclusa, necesse est, ut virtus causatiua, quae superest, inducat effectum specie diuersum, nempe minus essentialiter perfectum, quam posset inducere coniuncta, cum alia concausa partiali. Igitur delectabile absens est causa concupiscentiae, existente tota vi causatiua penes ipsum delectabile secundum se, penes absentiam verò eiusdem delectabilis, sola vi diminutiva causalitatis, & influxus exhibendi à delectabili, & perfectionis peculiaris, ac maioris communicandae affectui. Hinc apparet responsio facilis ad rationes dubitandi, ut vix necesse sit quidquam addere specialiter circa singulas. Maioris igitur tantummodo claritatis gratia nonnihil adiicitur.

Ad 1. Concupiscentia est affectus ex sua natura imperfectus, & vexans magis animal, quam delectans. Fatigat enim ipsum, tenetque irrequietum, donec perueniat ad praesentiam, & possessionem obiecti delectabilis. Quapropter assignare oportuit in causa eius perfectionem obiectiuam coniunctam cum imperfectione, eademque affectam, ac debilitatam. Haec autem imperfectio est absentia ipsius delectabilis, quae, minuendo eius vim actiuam, est ratio inductiua concupiscentiae per modum negationis remouentis ab illa peculiarem delectationis perfectionem.

Ad 2. Affectus prosequutius, qua prosequutius est, coniungit quidem appetitum cum suo obiecto: Sed si prosequutio sit imperfecta, coniunctio quoque euadit pariter imperfecta, & similiter complacentia, estque eatenus coniuncta cum auersione, & displicentia aliqua, saltem implicite, ac virtualiter. Concupiscentia autem est prosequutio imperfecta, & habet admixtam auersionem aliquam. Qua igitur prosequutio est, causatur à delectabili formaliter, ut tali. Qua verò auersio est, causatur, seu quasi causatur ab absentia formaliter, ut tali. Atque quoad hoc posterius descendit ab amore, & participat rationem odij, & includit in se recessum affectuum,

Quæst. XV. Vtrum concupiscentia, &c. 31

affectuum, atque displicentiam. Concupiscenti enim ita placet, & insinuat, atque vnitur delectabile, quâ tale, vt simul displiceat, quâ abiens est, atque eatenus recedat ab illo.

Ad 3. Præsentia delectabilis intenditur per concupiscentiam, tanquam finis remotus, ad eum modum, quo per omnes electiones mediorum intenditur finis, ad quem ordinantur eadem media. Vnusquisque autem affectus specificatur ex fine suo proximo, & non ex remoto, ac extrinsecò. Quapropter causa proxima, ac immediata concupiscentiæ est delectabile abiens, quatenus conferens ad inducendam præsentiam sui.

Ad 4. Conceditur proportio concupiscentiæ strictè talis cum desiderio strictè tali. Sed negatur desiderium strictè tale ferri posse ad bonum præsens, vt præsens; cum hoc sit obiectum proprium gaudij, vt infra dicitur. Est tamen gaudium perfectum assimilabile, quoad aliquid, desiderio: Quoad hoc mirum, vt non fatiet, nec generet fastidium aliquod, ac molestiam, ratione cuius contingit in delectationibus imperfectis, vt succedat appetitus eas remouendi, nec perseverandi amplius in eisdem. Quod est contrarium naturæ desiderij, vt pote inhians semper ad consequentiam boni desiderati, nec permittentis fastidium, aut remotionem, respectu eius. Quia igitur beati incumbunt bono beatifico ad modum eatenus desiderantium, propterea dicuntur desiderare, tametsi desiderium strictè, ac propriè tale nullum habeant circa bonum suum substantiale.

Ad 5. Voluptates præcedentes habent vim accendendi, & excitandi concupiscentiam, quatenus habent vim augendi experimentalis notitiæ cognitionem delectabilem. Et præterea voluptates corporales iam præteritæ ostendunt per eandem experientiam insufficientiam suam ad quietandum, & explendum appetitum, nisi repetantur sæpius, atque ita augent cognitionem necessitatis querendi alia rursus, atque alia delectabilia. Quapropter delectabile præsens est causa concupiscendi, non directè, sed indirectè tantum, ob incrementum notitiæ circa delectabilia, vel conuenientiam magnam, vel magnam necessitatem. Verum hoc pacto possunt ex alio capite delectationes præteritæ valere plurimum ad compescendas concupiscentias in futurum. Quia per eandem earum experientiam innotescit, quàm sint propudiosa, & quot causent incommoda aduersus partem superiorem, & sæpè quoad bona etiam temporalia salutis, diuitiarum, aliorumque eiusmodi. Quam in rem est magni ponderis documentum Philosophi ponderosè obseruatum à Valerio Maximo lib. 7. cap. 7. *Aristoteles*, inquit, *est vtilissimum præceptum, vt voluptates abicimus consideremus. Quas quidem sic ostendendo minuit. Fessas enim, penitentiaque plenas animis nostris subiecit, quominus cupide reperantur.* Nempe in voluptatibus, quatum experientia præcessit, facilius, & efficacius, atque clarissimè deprehenduntur defectus, & incommoda, quibus subiacent, & ob quæ in posterum vitentur diligenter, atque compescatur concupiscentia demens, quam fouet cognitio delectabilium sensus coniuncta cum ignorantia, & in consideratione nocumentorum, quibus scatent.

Ad 6. Dictum iam est concupiscentiam non esse effectum absentiae positivè influentis in ipsam, sed solum vt remouentis perfectionem peculiarem ab eadem. Mirum igitur non est, quod concupiscens per suum affectum pergat ad remotionem eius imperfectionis, & ad substitutionem affectus alterius carentis eadem imperfectione. Notandum præterea est, affectus non existere gratia sui, sed gratia subie-

cti, cui insunt. Interest autem concupiscentis, vt, deposita ipsa concupiscentia, perueniat ad delectationem, eaque de causa interponit affectum ex sua natura essentialiter transitorium, nec placentem, nisi in ratione medij ad terminum impossibilem cum eodem.

Ad 7. Sufficit notatio præmissa in responsione ad quæstionem initio, ex doctrina D. Thomæ eodem illo in loco. Ad 8. Amor est affectus præcisiuus, supra omnes alios affectus, à particularibus omnibus conditionibus appetibilem, eaque propter attributa illi est, tanquam causa, sola ratio boni secundum se. De reliquo, vtile, vt utile habet rationem puri medij, ac proinde & obiecti purè materialis, nullam secundum se exercentis causalitatem, & vim motiuam in affectus vltos. Hæc igitur de causa, concupiscentiæ, quæ est affectus non vsque adeo vniuersalis, ac præcisiuus, attribuitur determinatè delectabile, vt causa. Quia videlicet vnicum, & adequatum motiuum appetitus sensitiui est ipsum delectabile. Ratio porro, ob quam non suggeritur explicite cognitio in expositione causæ concupiscendi, est, quia necessitas præcognitionis est vniuniformiter communis omnibus affectibus, ideòque exposita semel circa primum, ac vniuersalissimum affectum, non necesse est eam repetere circa singulos alios, sed solum expedit exponere rationem differentialem obiecti motiui subintellecta eatenus cognitione ipsius.

QVÆSTIO XV.

Vtrum concupiscentia sit causa actionum solum exteriorum; earumque omnium?

VIdetur, nec earum solum, nec omnium esse causa. 1. Quia concupiscentia, & abominatio, seu fuga comparantur inter se, sicut amor, & odium. Amor autem est causa odij, nec est possibile vllum odium, quod non sit ex aliquo amore. Ergo concupiscentia est similiter vniuersalis causa abominationis, seu fugæ, nec est possibilis vlla abominatio, seu fuga, quæ non sit ex concupiscentia. Quæ proinde non est causa actionum solum exteriorum.

2. Sicut ad amorem consequitur concupiscentia, si bonum amatum cognoscatur esse abiens; ita ad concupiscentiam consequitur gaudium, si bonum concupitum cognoscatur esse præsens. Dicendum igitur est, concupiscentiam esse causam gaudij, seu delectationis, sicut dictum est supra amorem esse causam concupiscentiæ. Confirmatur verbis August. tract. 15. in Ioann. ad illud: *Qui biberit ex hac aqua. Fruuntur, ait, voluptate præcedente, & præmissa cupiditate: nam, qui non præmisit cupiditatem, peruenire non potest ad voluptatem.* Ergo cupiditas est causa interioris quoque affectus.

3. Dictum est supra quæst. 10. amorem esse causam vniuersalem omnium operationum amantis. Nullarum igitur eiusdem operationum, ne quidem exteriorum causa est concupiscentia.

4. Delectatio est causa aliquarum operationum exteriorum, vt tripudij, & exultationis, vt dicitur infra quæst. 19. Ergo concupiscentia non est causa omnium operationum exteriorum concupiscentis.

Art. 1. Respondetur. Duo sunt genera effectuum concupiscentiæ, sicut & aliarum passionum. Alij namque sunt, qui procedunt ex ipsa per se, & vniuersaliter; ita vt quilibet affectus concupiscentiæ inducat illos ex sua natura in quolibet concupiscente nisi

nisi impediatur per accidens ab extrinseco. Alij è contra procedunt ex concupiscentia per accidens, & absque eiusmodi vniuersalitate; ita vt illos inducat aliqua tantum concupiscentia, & aliquando propter circumstantias per accidens illi superadditas.

Art. 2. Hoc supposito dicendum est, concupiscentiam tantum esse per se causam omnium operationum exteriorum concupiscentis; per accidens verò posse esse causam quorumlibet etiam interiorum affectuum. Ratio est, quia inter concupiscentiam, & delectationem nullus alius affectus interijciatur, loquendo per se; cum concupiscentia sit passio mouens ex sua natura ad presentiam delectabilis, ad quam protinus sequitur ipsa delectatio, recedente in eodem instanti affectu concupiscentia. Quapropter concupiscentia non conuenit vniuersaliter ex sua natura, vt interponat vltimos alios affectus interiores, sed vt pergat recta ad executionem operationum exteriorum, quæ sufficere possunt ad inducendam presentiam delectabilis concupiti. Sed neque delectationis causa esse potest concupiscentia, præterquam dispositiua, ac remota. Quia cum feratur ad delectabile, quatenus cognitum vt absens, non potest perseverare superueniente cognitione delectabilis, vt presentis, qua cognitione dirigitur delectatio; ac proinde nequit concupiscentia coexistere delectationi, quæ sibi correspondet, seu quæ fertur ad idem delectabile, quod mouet ad concupiscendum. Patet autem, quod nequit coexistere alicui, non posse, eiusdem esse causam propriè, & strictè talem. Est verò concupiscentia causa dispositiua, & remota delectationis, quatenus inducit presentiam delectabilis, quod est immediata illius causa, & quatenus memoria præcedentis concupiscentia, & molestia, ac operosi laboris consequentium ad illam, auget delectationem circa bonum præsens. Iam verò operationes exteriores omnes ordinantur ad delectationem. Nemo enim agit, aut operatur aliquid, nisi vt inde consequatur aliquam delectationem. Ergo affectus tendens ex sua natura ad ipsam delectationem est causa per se omnium operationum exteriorum; ita vt nulla sit, aut esse possit operatio exterior, quæ non procedat ex aliquo actu concupiscendi, & neque per se, neque per accidens oppositum accidere potest, quoad operationes animaliter exercitas, iuxta notationem præmissam supra quæst. illa 10. initio.

Art. 3. Fieri verò per accidens potest, vt affectus concupiscentia inducat vi sua alios affectus interiores. Quia nimirum fieri potest, vt appareat concupiscenti, alios affectus interiores, cum effectibus eorum propriis, esse opportunos ad consequutionem delectabilis; quam cum velit, intendatque efficaciter concupiscentia, non potest non inducere vi sua, quidquid animaduersum fuerit ad illam conferre, simulque erit constitutum in potestate concupiscentis, in hunc modum inducere concupiscentia amorem, si superueniat cognitio representans aliquem iuuare posse ad consequutionem concupita, maxime verò si insuper representetur, eundem id velle præstare, atque præstiturum, vel simpliciter, vel melius, ac efficacius, interposito amore erga ipsum, eodemque eidem manifestato. Similiter inducit vnus affectus concupiscentia alium concupiscentia affectum circa delectabile aliud, si representetur, hunc alium affectum, aliudque delectabile conferre ad finem intentum.

Art. 4. Imò & delectatio circa aliud delectabile potest eadem ratione induci per concupiscentiam, causalitate immediata propriè tali. Si nimirum representetur, interposita delectatione circa de-

lectabile aliud, ipsoque delectabili, perueniri posse, aut simpliciter, aut melius ad delectabile absens, cuius concupiscentia præexistit iam, idemque dicitur de aliis quibuscumque affectibus, eorumque obiectis. Itaque concupiscentia est causa per se, & vniuersaliter omnium operationum exteriorum; per accidens verò, & particulariter affectuum quoque interiorum quorumlibet.

Ad 1. Comparantur quidem vniiformiter quoad oppositionem mutuam amor, & odium; concupiscentia, & abominatio, seu fuga. At quoad mutuam dependentiam non comparantur vniiformiter. Quia nullus potest esse motus agentis circa passum non præsupposita aptitudine eius ad illud. Vnde, cum amor sit aptitudo appetitiui ad appetibile, vt dictum est supra, nullus potest esse motus, aut prosequutionis, aut fuga, qui non præsupponat amorem, & ab eodem non procedat. At præsupposita eadem aptitudine sequitur mox qualibet species motus iuxta conditionem obiecti propositi. Quapropter amans aliquid, protinus erumpit in abominationem, & fugam cuiuslibet nocentis amato, tamen nulla interposita fuerit concupiscentia; sicut etiam resultat immediate delectatio ex amore, si ad hunc immediate subsequatur representatio delectabilis iam presentis. Non igitur ita prærequiritur concupiscentia per se, & vniuersaliter ad abominationem, seu fugam; sicut amor ad odium.

Ad 2. Conceditur similiter, delectationem subsequi ad concupiscentiam, sicut subsequitur concupiscentia ad amorem, siquidem præierit cognitio delectabilis absens ad cognitionem delectabilis presentis. Sed negatur ita esse necessarium per se, & vniuersaliter, vt præcedat, ante cognitionem presentia, cognitio absentia, quæ posterior cognitio est omnino requisita ad concupiscendum, sicut necesse est, vt ante concupiscentiam præeat amor, ad quem sufficit cognitio boni conuenientis siue coniuncta, siue separata a cognitione absentia, aut presentia eiusdem boni. Negatur itaque vniuersalitas dependentia delectationis à concupiscentia, qualis conuenit ipsi concupiscentia, respectu amoris. Nec Augustinus quidquam contradicit: Quia loquitur de voluptate circa res, quarum absentia, & defectus præcesserit, nec asserit vltèrius esse de conceptu voluptatis, vt præcesserit cognitio absentia, & defectus delectabilium.

Ad 3. & 4. Amor est causa vniuersalis operationum omnium, quarundam proxima, quarundam remota, ac mediata, ideoque operationes exteriores inducere potest, ac inducit mediante concupiscentia. Similiter concupiscentia inducit saltem mediata effectus exteriores, resultantes ex delectatione, quando hæc illam præsupponit. Et præterea effectus exteriores sublequentes ad delectationem ordinantur ad augmentum, & cumulum nondum habitum delectationis præexistentis, ideoque oriuntur immediate ex concupiscentia augmenti eius, & cumuli.

QVÆSTIO XVI.

Virum abominatio sit passio contraria concupiscentia?

Videtur non esse. 1. Quia passio directè opposita concupiscentia est innominata, vt dicit D. Thomas quæst. 30. art. 2. ad 3. Ergo non rectè dicitur abominationem esse passionem contrariam concupiscentia.

2. Damascè

D. Thomas quæst. 30. art. 2. ad 3. Ergo non rectè dicitur abominationem esse passionem contrariam concupiscentiæ.

2. Damascenus lib. 2. fidei Orth. c. 12. in fine, concupiscentiæ solum contraponit timorem. Timor ergo, & non abominatio est passio opposita concupiscentiæ.

3. Non solum abominamur malum absens, sed etiam, & multò magis malum præsens. Concupiscentia autem est solum de bono absenti. Igitur abominatio latius patet in genere suo, quam concupiscentia in suo, ac proinde non opponuntur inuicem directè. Nempe directè oppositis eadem omnia, & sola conueniunt proportionaliter, vnicuique iuxta genus suum.

Respondetur. Vbi sunt obiecta inuicem opposita, consequuntur actus pariter inter se oppositi. Sicut autem contingit delectabile esse, & cognosci absens; ita contingit contristatium esse, & cognosci similiter absens. Datur igitur passio de contristatium absenti perinde contraria passioni circa delectabile absens; sicut ipsum contristatium absens est contrarium delectabili absenti. Passio autem circa contristatium absens dicitur communiter abominatio, seu fuga, sicut passio circa delectabile absens dicitur concupiscentia ex communi vsu, tamen ista vox latius pateat ex vi originis suæ, vt notatum est in quæstione præcedenti. Conueniunt autem abominationi omnia iis proportionaliter contraria, quæ dicta sunt conuenire concupiscentiæ ad eum modum, quo dictum est suprà de amore, & odio. Nempe seruatis seruandis eadem hic etiam recurrunt omnia, nec expedit similia suggerere distinctius. Tadiolum nimirum id est, nec necessarium, aut vtile; quando cuius est faciliis accommodatio prorsus similium expostis.

Ad 1. Plures, & passiones, & maxime virtutes dixit innominatas Philosophus, quibus nihilominus postea nomina imposuerunt opportunè, restrictis communibus ad particularia, aut adiunctis de nouo vocibus. Hoc igitur pacto abominatio, & fuga, quæ prius erant communes omnibus affectibus auersatiuis, restrictæ sunt ad affectum circa contristatium absens.

Ad 2. Parum pro nihilo reputatur, vt vulgò dicitur, & obseruat pro expositione Damasceni D. Thomas in dicta responsione ad 7. Vnde omnis motus in bonum, & malum futurum dicitur frequenter spes, & timor, quæ propriæ sunt de bono arduo, & malo terribili, nec habetur ratio de paruo bono, & paruo malo, de quibus sunt concupiscentia, & abominatio propriè tales. Quod tamen non tollit, quin pro exacta de affectibus doctrina, distinctè & exponantur; & nominentur passiones prædictæ. Igitur Damascenus sequutus est latiore significationem timoris, eumque posuit pro fuga cuiusvis mali absens, ac imminens; cum propriè, & strictè sit de malo terribili, & spectet eatenus non ad concupiscentiam facultatem, cuius actus est abominatio, sed ad irascibilem, vt infrà exponetur.

Ad 3. Sapius suggerimus, & sapius necesse est suggerere nomina singularum passionum, & latè usurpari frequenter, & strictè, propter affinitatem vtique, & connexionem, ac dependentiam, quam habent multiplicem mutuo à parte rei, eaque proniter redundat inde ad conceptus, & pronius ad voces, quæ sunt pauciores conceptibus. Abominatio igitur accommodatur malo præsentis, sicut amor bono absenti, vt dictum est suprà pro expositione Augustini, in latiori vtique, minùsque propria significatione, cum strictè sumpta pertineat ad malum absens. Noto in fine, concupiscentiam, & abo-

minationem exponi per solum delectabile, & contristatium absens, nulla facta expressione possibilitatis, & imminentiæ, seu futuritionis. Quia ex quo aliquod bonum cognoscitur ab aliquo, tanquam impossibile, respectu ipsius, non habet amplius rationem delectabilis, respectu eiusdem. Quia quod non potest haberi, eo ipso nec delectare potest, ac proinde nec delectabile est simpliciter, sub eodem respectu. Idem dicitur suo modo de malo, seu contristatium.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum delectatio sit passio quietatiua animalis?

Videretur non esse. 1. Quia delectatio est operatio, vt habetur ex Philosopho lib. 7. Ethic. c. 12. & 13. & lib. 10. cap. 1. & in sequentibus sapè. Passio autem non est operatio, vt patet ex contrapositione Damasceni lib. 2. fidei Orth. cap. 22. ante med. *Operatio est motus, qui est secundum naturam; passio verò est motus contra naturam.* Ergo delectatio non est passio.

2. Delectatio est perfectio. Perficit enim operationem, vt dicitur lib. 10. Ethic. cap. 4. Perfici autem non est pati, aut alterari. Nihil enim patitur, qui perficitur, ex hoc præcisè, quod perficitur. Ergo delectatio non est passio, neque cum passione.

3. Passio est in tempore. Quia est motus, atque de ratione motus est, vt sit in tempore; cum tempus sit numerus motus ex Philosopho. Præterea passiones sunt omnes vnius generis. Aliquæ autem passiones sunt in tempore. Ergo omnes sunt in tempore. At delectatio est in instanti. Quia est terminus motus; atque terminus motus est in instanti, vt dicit Comment. cum Philosopho 6. phys. tex. 25. Vnde idem Philos. lib. 10. Ethic. cap. 4. dicit, quod *secundum nullum tempus accipiet quis delectationem.*

4. Delectatio, & gaudium sunt idem: Quia sunt de eodem obiecto, nempe de bono præsentis, ac possessio; nec fieri potest, vt distinguantur actus, vbi nulla est distinctio obiectorum. Et præterea si gaudium dicitur distingui à delectatione; similiter dicenda erunt distincta ab eadem latitia, & exultatio, & iucunditas, & hilaritas. Quæ proinde erunt totidem passiones diuersæ: Quod nemo admittit. Gaudium autem non est passio, quia conuenit Deo etiam, & Angelis, qui sunt expertes passionum. Ergo nec delectatio est passio. Eodem recidit, quod delectatio tam est, imò est multo magis in appetitu rationali, quam est in appetitu sensitivo, vt patet in alia ex illo Pl. 36. 4. *Delectare in Domino.* Deus enim non cadit sub sensum. In appetitu autem rationali nulla est passio, sed solum in sensitivo, vt dictum est supra. Ergo delectatio præscindit à passione.

5. Passiones ex suo conceptu sunt homini contrariæ, vt iterum suppositum est nuper ex antea dictis. Delectationes autem aliquæ sunt contra naturam, & aggritudinales, vt habetur ex Philosopho lib. 7. Ethic. capite 12. sub initium. Ergo delectationes non sunt passiones.

6. Passio est motus, & perturbatio, vt conclusum est quæst. 1. art. 5. cum August. Greg. Nyssen. & Damasc. Motus autem opponitur quieti. Quies enim est terminus, & cessatio motus. Opponitur verò multo magis perturbatio. Quia perturbatio est con-

traria naturæ, & per eam malè habet animal. Quies verò est conformis naturæ, & per eam benè habet animal. Implicat igitur in adiecto, quòd dicitur, passio quietatiua.

7. Voluptates corporales, quibus solis conuenire potest ratio passionis, non quietant, sed magis irrequietam causant sitim, & audiatem. Huc pertinet directè illud Augustini paulò priùs memoratum ex tract. 15. in Ioan. *Cum peruenerit quisque ad voluptatem seculi huius, cibus est, potus est, spectaculum est, &c. Numquid non iterum sitiet? Ergo de hac aqua qui biberit, iterum inquit, sitiet.* Eodem pertinet vulgaris comparatio voluptatum corporalium, cum hydropè, de qua dicitur: *Quòd plus sunt potus, plus sitimur aqua.* Accedit voluptates corporales esse maximè nociuas, & plurimorum initia, & causas dolorum. Quod & Philosophi agnouerunt, vt ostendit pluribus eorum testimoniis Valentia q. 5. punct. 1. atque illud Plauti est nimis verum: *Voluptas est malorum esca.* Vnde est salutare monitum Horatij. *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Exprimit autem hanc veritatem multò magis illud Christi Domini Luca 8. 15. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vite cunctis, suffocantur, & non referunt fructum.* Accedit rursus, delectationes corporales se inuicem impedire, vt dicitur lib. 10. Ethic. cap. 5. Causa autem sitis, & sollicitudinis, atque malorum, ac dolorum, & quod est impeditiuum delectationis alicuius, non est quies, nec causa quietis. Ergo delectatio non est passio quietatiua.

Art. 1. Respondetur. Quodcumque peruenit ad finem intentum, quiescit eatenus. Quia finis comparatur centro, ad quod cum peruenit corpus quodlibet, quiescit. Propterea omnis motus ordinatur ad quietem, quatenus ordinatur tanquam medium ad consequutionem finis. Nihil enim mouetur, vt moueatur absque fine vilo, & termino motus, atque conatus. Cum igitur dictum sit, concupiscentiam esse motum tendentem ad præsentiam delectabilis; necesse est, vt cum hoc fuerit præsens, succedat motui quies, adeoque actus circa idem delectabile erit quietatiuus in genere causæ formalis, tanquam ipsa quies, seu forma quiescendi. Verum, quia hic actus, quando est circa delectabile proprium sensus, ac proinde pertinet ad appetitum sensitium, necessariò inducit transmutationem aliquam corporalem, vt patet ex dictis suprà in communi, & manifestabitur magis in particulari quæst. 19. ideò delectatio, siquidem est circa delectabile secundum sensum, quatenus præsens, habet rationem passionis, propter dictam transmutationem corporalem sibi necessariò adiunctam; simulque habet rationem quietis, quatenus versatur circa finem præintendum, vt præsentem iam, ac possessum. Rectè igitur definitur delectatio, passio quietatiua animalis, passio posita loco generis, & quiete loco differentia.

Art. 2. Eodem recidit definitio Philosophi lib. 1. Rhet. extremo cap. 10. Delectatio est *Motus animi quidam, & affectio, tota simul, & sensibiliter in naturam proficiens*; vel, vt habetur apud D. Thom. q. 31. art. 1. *Est quidam motus animæ, & constitutio simul tota, & sensibilis in naturam existentem.* Vbi motus, & affectio, necnon sensibilitas ponitur loco generis. Additur verò, tanquam ratio differentialis, simul tas totius motus, & quod fit in naturam proficiens, seu constitutio in naturam existentem, hoc est, correspondens exigentiæ, & naturali inclinationi subiecti, cui inest. Eo namque ipso quiescit vnumquodque, quia constituitur in statu sibi connaturali, & consequitur bonum sibi proportionatum,

atque conforme naturæ, & exigentiæ suæ. Vnde D. Thomas ibidem art. 2. ad 1. breuius eadem omnia complexus est dicens, delectationem esse *actum perfecti.* Consequitur enim ad perfectionem iam inexistentem animali, & præsupponit mutationem, ac motum, ferturque in ipsum mutatum esse, secundum naturam, ideòque non habet ex suo conceptu successionem vllam, quæ solùm datur in ipso opere acquirendi, non verò in ipso acquisitum, ac possessum esse. Patet igitur delectationem ex mente Philosophi, & D. Thomæ, quibus ceteri subscribunt, esse passionem, càmque quietatiuam animalis. Suffragantur præterea expressè huic expositioni verba D. Thomæ quæst. 34. art. 4. c. *Quies autem voluntatis, & cuiuslibet appetitus in bono est delectatio.* Et iterum ad 2. *Omnis delectatio in hoc est uniformis, quod est quies in aliquo bono.* Ac demum quæst. 38. art. 1. c. *Delectatio est quadam quies appetitus in bono conuenienti.*

Ad 1. Delectatio dicitur operatio à Philosopho, non in sensu formali, sed in sensu causali, quatenus ex operatione consequitur delectatio, vt exponit ipse iisdem illis in locis. Damascenus autè operationi contraponit passionem, non quidem considerando vtramque adæquatè, sed exponendo in passionem rationem differentialem ipsius, quia passio est, à reliquis operationibus, quæ non sunt passionis. Cæterum non est contra conceptum vniuersalem motus, qui est passio, seu coniunctus cum passione, vt præemineat in ipso adæquatè considerato ratio quietis, & conformitatis cum natura patientis, seu passi. Rectè autem exponitur quidditas cuiusque rei per id, quod præeminet in ipsa. Præeminet verò in delectatione ratio quietis, & conformitatis cum natura, rationi motus, & contrarietatis cum eadem. Igitur, licet passio exponatur rectè per contrarietatem motus respectu naturæ, exponitur nihilominus etiam rectè delectatio, quæ est passio re ipsa, per quietem, & conformitatem, cum natura. Quia ea contrarietas est per se respectu passionis, vt passio est. At respectu delectationis, vt delectatio est, è contra est per se conformitas cum natura, & consequitur per accidens motus contra naturam ex conditione organi, dependenter à quo exercetur. Nulla igitur est contradictio, si sumantur singula in sensu formali, vti sumere oportet exponentem quidditates.

Ad 2. Est quidem perfectio, delectatio, quæ talis. Sed quæ est sensibilis, habet adiunctam sibi imperfectionem ex natura subiecti, & obiecti, cui inest, & circa quod versatur. Atque hinc fit, vt delectatio sensibilis ita perficiat, vt tamen inducat passionem propriè talem, quæ dimoueat animal ab statu, & dispositione sibi permanenter connaturali. Dicitur ergo delectationem esse perfectionem, non quod sit pura perfectio, sed quia præeminet ratio perfectionis, magisque prodest, quàm officiat subiecto per se.

Ad 3. Delectatio secundum se præcisè, & ex genere suo non est in tempore. Quia illa dicuntur esse in tempore per se, & ex genere suo, de quorum conceptu est successio partis ad partem. Non est autem huiusmodi delectatio: Quia non consistit in fieri, & motu acquisitiuo, sed in facto esse, & in termino executionis, vt ostendit Philosophus dicto lib. 7. Ethic. cap. 12. aduersus Platonem, qui dicebat delectationem esse generationem, ac proinde consistere in ipso fieri. Accidit nihilominus delectationi sensibili, vt fit in tempore, tum ratione obiecti, tum ratione subiecti: Vtrumque enim est transmutabile. Et quidem ex parte subiecti omnis delectatio sensibilis habet adiunctam transmutationem successiuè

successiue existentem, propter diffusionem sanguinis, & dilatationem cordis, quam inducit, vt infra dicitur. Ex parte vero obiecti datur idem successio, quando delectabile ipsum existit ex sua natura successiue, qualia sunt pleraque delectabilia sensus. Bene igitur coheret, quod delectatio sensibilis, quia delectatio est, sit per se in instanti, & nihilominus sit passio temporis commensurata propter adiunctam transmutationem ex parte subiecti, aut etiam obiecti. Ceterum vbi delectabile fuerit exemptum à transmutatione, atque delectatio habebitur independentem ab organo corporeo, eiusque imperfectione praesenti, quod erit in patria, delectatio non commensurabitur temporis, nec erit in tempore, sed aeterno, & in aeterno, atque Deus eam habet in instanti aeternitatis.

Ad 4. Differentia inter delectationem, & gaudium est similis differentiae superius notatae inter concupiscentiam, & desiderium. Nempe delectatio proprie, & strictè talis, & prout distincta à gaudio, est circa bonum sensibile, & dependenter à sensatione, atque ab organo corporeo, ideoque est passio. Gaudium verò proprie, & strictè tale est circa bonum intelligibile, aut etiam sensibile, sed prout terminat intellectum, atque inde appetitum independentem à sensatione, atque ab organo corporeo, ideoque non est passio. Saepe nihilominus delectatio ponitur pro gaudio, atque ita ponitur apud Psalmistam. Et similiter, licet non ita frequenter, ponitur gaudium pro delectatione. Vnde gaudium nunquam supponit pro passione, & delectatio pro non passione. Atque hoc secundum contingit frequentius, quam primum. Quia sensibilia sunt nobis notiora, quam intelligibilia, atque ex notioribus prout transfertur nominatio in minus nota. Sed vtrumque hoc se habeat, delectatio sumitur in praesenti strictè, proptereaque dicitur passio, eique adscribitur obiectum diuersum ab obiecto gaudij strictè idem sumptum, non quidem in ratione praesentis, ac possessi, quod est vtrique commune; bene tamen in ratione sensibilis, & intelligibilis, quae sunt valde diuersa, vel materialiter, & quoad entitatem, vel certe quoad rationem formalem motiuam, ex qua specificantur actus animae.

Ad 5. Connaturale dicitur dupliciter. Primum pro eo, quod necessarid consequitur ad naturam cuiusque rei. Secundò pro eo, quod inest vnicuique rei permanentem iuxta exigentiam ipsius secundum se praecise consideratam. Passiones autem priori modo sunt homini connaturales, idque solum ostensum est supra in communi. At secundo modo sunt praeternaturales, & contra naturam, vt inibi expositum est: Praeterea Philosophus distinguit in illis locis alio modo delectationes naturales, & innaturales. Delectationes namque naturales dicit, quae consequuntur ad bonum sensibile congruens naturae animalis secundum se. Innaturales verò appellantur eas, quae consequuntur ad apprehensionem rationis, quae proinde dicuntur rationales, vel ad eandem cuiusque animalis naturam prout affectam aliquo accidenti, aut proprietate individuali notitia, respectu eiusdem; quae proinde sunt naturales secundum quid ex praecincti apprehensione, aut qualitate naturali defectuosa; innaturales verò simpliciter respectu naturae animalis secundum se. Quia tamen haec eadem diuersitas aequè, eodemque modo cadit, & in delectationes, & in passiones rectè dicitur absolute, quod delectatio sit passio.

Ad 6. Motus dicitur etiam dupliciter. Secundum nimirum intentionem, & secundum executionem. Atque delectatio est terminus motus, quoad ordinem exe-

cutionis: Quia exequutio cessat, ex quo bonum intentum redditur praesens, ac possessum. At secundum ordinem intentionis, delectatio non est cessatio, & terminus motus, sed est motus omnium maximus. Quia delectabile praesens maxime omnium mouet appetitum, vt adhareat sibi per actum suum. Quapropter delectatio dicitur quietatiua, non pure negatiue, quasi esset pura cessatio omnis actionis, sed positue, vt actio praecipua imponens finem ordini exequutionis. Quod ad perturbationem attinet, ea adiacet delectationi per accidens ratione organi corporalis, vt dictum est. Oportuit verò, vt exponeretur quidditatiue per id, quod est per se, quodque praeminet in ipsa. Praeminet autem ratio quietis imponens finem ordini exequutionis; & labori, atque defatigationi.

Ad 7. Quod voluptates corporales sint coniunctae cum siti, & sollicitudine irrequieta vltiorum voluptatum, accidit eis ex natura delectabilium sensus, quae sunt fugacia, nec singula sufficiunt, sed indigent assidua successione, ac substitutione aliorum post alia: Quapropter sitis, & anxietas non consequitur ad cognitionem boni praesentis, & ad praesentem voluptatem secundum se, sed ratione adiacentis simul cognitionis delectabilium absentium, & necessitatis eorum. Et quia haec cognitio quoad vtrumque euadit maior ex experientia vniuscuiusque delectationis corporalis, insufficientis ex se ad facilitatem, dicuntur eiusmodi delectationes inducere sitim, & inquietudinem, non in genere causae formalis, sed tantum obiectiue. Quidditas autem cuiusque formae consideratur penes id, quod praestat per se ipsam praecise in genere causae formalis. Idem dicitur de vi nociua voluptatum, nec non de vi impeditiua cuiusque delectationis, respectu aliarum delectationum. Primum enim accidit ex nimietate, & non ex conceptu, & natura delectationis, vt delectatio est. Secundum verò prouenit ex impossibilitate mutua delectabilium sensus, cum delectatio, quia delectatio est, nulla impedit vllam aliam delectationem directè, & ratione sui, sed magis foueant se, atque augeant vicissim delectationes quaelibet, quatenus delectationes praecise sunt.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum causa delectationis sit bonum praesens, ac possessum.

Videtur non esse. 1. Quia possessio boni vnicuique conueniens est conditio sine qua non, vt ipsum bonum caufer delectationem, ad eum vtrique modum, quo applicatio agentis ad passum est tantum conditio sine qua non, vt agens influat in passum. Ergo bonum solum est causa delectationis, & non etiam praesentia eius, ac possessio. Cuiusmodi itidem argumento nititur Scotus in 3. dist. 15. vt dicat bonum conueniens esse causam delectationis secundum conceptum absolutum, nempe ratione solius praedicati, quod fundat conuenientiam, & non etiam secundum conceptum relationum conuenientis, qui inde consequitur, sicut causa quaelibet efficiens causat, non quatenus effectiua est, sed per eam solum perfectionem, ratione cuius praecinet in se effectum, & fundat relationem effectiui.

2. Operatio, est vniuersalis causa delectationis, nec vllum bonum independentem ab operatione, bona est delectabile. Quia Delectatio est operatio connaturalis, non imprudens, vt dicit Philosoph. lib. 7. Ethic. cap. 12. in quo, & in proxime sequenti 13. nec non lib. 10. cap. 4.

cap. 4. & 5. probat pluribus ex professio delectationem omnem in operatione fundari. Multiplex autem bonum fit nobis præsens, atque à nobis possidetur absque vlla nostra operatione, vt patet in primis in esse proprio, quod est magnum cuiusque bonum, & habetur, ac possidetur absque propria cuiusque operatione. Similiter est bonum calefieri patienti frigus, & refrigerari æstuant; & tamen neutrum fit per operationem propriam calefacti, & refrigerati. Eadem est ratio de loco, qui vnicuique est conueniens. Fieri namque potest, vt per operationem tantum alienam constituatur quis in tali loco, & sic de aliis eiusmodi pluribus. Multiplex igitur bonum potest esse præsens, ac possessum, quin vlla inde proueniat delectatio, propter defectum operationis connaturalis.

3. Motus est causa delectationis, vt patet experientia; & docetur à Philosopho lib. 7. Ethic. cap. 7. & lib. 1. Rhet. cap. 11. idemque delectabiliter demonstrat August. lib. 8. Confess. cap. 3. concludens gaudia viatorum alternantibus defectu, & profectu, offensionibus, & conciliationibus, quod fit per motum, coalescere. Et tamen per motum non fit præsens, nec possidetur vllum bonum. Quia de ratione motus est, vt pars eius adsit, & pars adhuc desit, ideoque non habet rationem præsens potius, quam absens. Ergo præsencia, & possessio boni non est causa adæquata, & vniuersalis delectationis.

4. Memoria præteritorum, & spes futurorum bonorum, ac delectationum, sunt causa delectationis præsens; vt docet D. Thomas quæst. 32. art. 3. alique communiter ibidem; & probatur ex illo ad Rom. 12. 12. *Spe gaudentes, & Psalm. 76. 4. Memor fui Dei, & delectatus sum.* Memoria autem, & spes versantur circa obiectum absens. Ergo præsencia boni non est de conceptu causæ delectationis.

5. Narratio, & memoria malorum præteritorum, & euentus funesti, atque periculorum, è quibus quis euasit incolumis, est delectabilis, vt habetur ex Augustino lib. 22. de Ciuit. cap. 11. *Sapè, ait, leri tristitiam meminimus, & sani dolorum sine dolore, & inde amplius leri, & grati sumus;* additque lib. 8. Confess. cap. 3. *Quanto maius fuit periculum in prælio, tanto maius erit gaudium in triumpho.* Imò lacrymæ sunt sæpè delitiosæ, vt apparet in lacrymis audientium delectabiliter tragædias, & tragicos euentus, quibus eliciuntur lacrymæ. Patet autem nihil horum habere rationem boni præsens. Ergo.

6. Plures aliorum operationes sunt causa delectationis, vt patet ex illo 2. Ioan. 4. *Gauisus sum valde, quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in veritate.* Idemque patet experientia Parentum, & Magistrorum omnis generis, qui plurimum delectantur, cum vident filios, aut discipulos benè operantes, conformiter ad directionem præhabitam. Operationes autem alienæ solis suis auctoribus sunt præsentes, certè ab eisdem solis possidentur, & non à videntibus, aut Parentibus, aut Magistris. Ergo bonum cognitum potest esse causa delectationis, quin possideatur.

7. *Largiri, & auxiliari amicis, aut extraneis est delectabilissimum,* vt tradit Philosophus lib. 1. Polit. cap. 3. Largitio autem vsque adeo non inducit præsencia, & possessionem boni, respectu largientis, vt potius eum spoliaret bono præhabito, transferendo illud in alium. Ergo non sola possessio, sed etiam spoliatio, & amissio boni potest esse causa delectationis. Idem à fortiori conuincit delectatio proueniens frequenter ex nocimento illato aliis per victoriam, redargutionem, increpationem, & maxime per punitionem illatam ab irato, quàm esse val-

dè delectabilem affirmat Philosophus lib. 1. Rhet. cap. 11. Et tamen nihil eorum perficit auctorem suum accessione, & præsencia vllius sui boni.

8. Similitudo, & admiratio sunt causa delectationis. Quia similes delectantur similibus, & admirationi tribuit virtutem causatiuam delectationis Philosophus in dicto lib. 1. Rhet. cap. 11. & ex eo D. Thomas in dicta quæst. 32. art. 8. Similitudo autem, cum sit pura relatio, ac denominatio extrinseca, nullam specialem rationem boni, præsens, ac possessi ponit in consimili. Multò verò minus admiratio, & admirabile, quàm admirabile est, inducit bonum aliquod præsens in admirantem. Quia admirari est ignorantis natura, vt dicit Damascen. lib. 2. fidei Orth. cap. 22. atque admirabile, quàm admirabile est, consequenter connotat ignorantiam causæ. Ignorantia verò est vacuitas, & absentia boni. Patet igitur delectationem aliunde, quàm ex bono præsenti, ac possesso, prouenire posse.

9. Si bonum præsens, ac possessum esset causa delectationis, quo bonum esset maius, eo delectatio inde suborta esset maior: Quia causæ perfectioris perfectior est effectus. Delectationes autem sunt è conuerso maiores, quæ suboriuntur ex inferiori genere bonorum. Quia delectationes corporales, ac sensibiles, quæ suboriuntur ex infimo bonorum genere, nempe ex rebus temporalibus, ac sensibilibus, sunt maiores, quàm delectationes spirituales, ac intelligibiles, quæ consequuntur ad supremum bonorum genus. Plures enim sequuntur delectationes corporales, quàm spirituales. Quod non contingeret, si corporalium, quàm spiritualium vis motiua, ac allicitiua maior non esset. Accedit, delectationes corporales transmutare corpus, atque inducere nonnunquam insaniam, vt dicitur lib. 7. Ethic. cap. 3. eaque de causa necesse est temperare, & resignare vehementiam eiusmodi delectationum. Neutrum autem horum conuenit delectationibus spiritualibus. Sunt igitur fortiores, ac proinde maiores delectationes corporales, quàm spirituales. Non est igitur causa delectationis bonum præsens, ac possessum.

10. Inter delectationes sensibiles eæ sunt maximæ, quæ sunt secundum tactum, vt habetur ex lib. 3. Ethic. cap. 10. & probatur ibidem ex eo, quod omnia animalia reuocent obiecta cæterorum sensuum ad delectationem secundum tactum. Quia canes non gaudent odore leporum, sed comestione, eademque delectatur leo, respectu bouis, & non eius voce, & sic de aliis similibus. Tactus autem tenet infimum locum inter sensus; certè est inferior visu, vt ostendit Philosophus initio metaphysicæ, & consequenter obiectum tactus est infimum inter omnia sensibilia. Ergo magnitudo delectationis non commensuratur magnitudini boni præsens, ac possessi, & consequenter hoc non est illius causa, saltem adæquata.

Art. 1. Respondetur. Eadem est causa, & amoris, & concupiscentiæ, & delectationis, cum hac differentia, quod bonum est causa amoris secundum se præcisè, atque independentè à præsencia, & absentia ipsius: concupiscentiæ verò, quatenus est absens, atque delectationis, quatenus est præsens. Nempe quod cuique est adaptatum, quod fit per amorem, eo ipso placet secundum se. Idemque, si absit, ingerit sollicitudinem sui, quæ pertinet ad effectum concupiscentiæ. Cum autem præsens fuerit, inducit quietem; vt dictum est supra, quod pertinet ad delectationem. Dictum autem fuit causam amoris esse bonum cognitum secundum se; & similiter de bono absenti cognito, respectu concupiscentiæ. Ergo causa delectationis est idem bonum quatenus

quatenus praesens, quod sit per coniunctionem boni, & possessum, quod sit per cognitionem eiusdem boni ut coniuncti. Tria itaque sunt, quae concurrunt ad delectationem tanquam causa eius. Bonum scilicet delectabile, praesentia, & coniunctio eius, atque cognitio, & possessio eiusdem boni, & coniunctionis. Conuertitur porro possessio cum cognitione boni coniuncti, quia per cognitionem subiicitur bonum appetitui, eidemque subordinatur, tanquam dominanti, nec absque cognitione id ipsum haberi potest villo pacto. Quapropter delectatio existit tribus illis praesuppositis, & deficit ex defectu cuiuslibet eorum. Et similiter crescit, ac decrescit iuxta augmentum, & diminutionem eorundem trium, & cuiuslibet ex iisdem.

Art. 2. Itaque quo bonum praesens, ac possessum fuerit maius, eo ceteris paribus delectatio euadet maior, & minor, quod idem minus fuerit. Sed si praesentia, & coniunctio boni minoris sit intimior, ac maior, quam boni maioris, fieri poterit, ut compensetur excessus, aut defectus boni, contrario excessu, ac defectu praesentiae, coniunctionis. Eadem est ratio de cognitione comparata cum magnitudine boni, & coniunctionis. Quia paruum bonum perfecte cognitum, simul cum praesentia, & coniunctione sua saepe delectat magis, quam magnum bonum imperfecte cognitum, simul cum sua praesentia, & cognitione. Et sane cognitio est praecipua causa delectationis augenda, ac minuenda. Quia appetitus fertur ad bonum, non ut est in se, sed quatenus appareret in cognitione, ideoque mensura proxima, atque ultimo determinatiua delectationis quoad suam magnitudinem, ac paruitatem est cognitio. Ex quo apparet ea omnia, & sola conferre ad inducendam, & remouendam delectationem, quae & quatenus cōferunt ad perfectam cognitionem bonitatis, & malitiae conuenientis unicuique rei, necnon coniunctionis, & remotionis eiusdem rei. In hunc igitur modum, & cum hac coordinatione mutua formalitatum est causa delectationis bonum praesens, ac possessum.

Art. 3. Obseruare autem oportet, fieri posse, ut idem bonum simultaneum sit aliquatenus praesens, & aliquatenus absens respectu eiusdem, vique cognoscatur, ut tale indiuisum quoad utramque eam conditionem, & consequenter ut simul sit causa delectationis, & concupiscentiae, imò & doloris, ac tristitiae. Fieri namque potest, ut idem bonum sit praesens in causa contentiua ipsius, aut in imagine sui, seu intentionali, seu physica, simulque sit absens secundum entitatem; idque per absentiam, vel euitabilem, vel inuitabilem. In quo euentu idem bonum quatenus aliquatenus praesens, erit causa delectationis, simulque erit causa vel concupiscentiae, vel tristitiae, quatenus est absens. Perfecta igitur delectatio respectu cuiusque boni est, quae consequitur ad perfectam, secundum se, praesentiam, & realem, ac entitatiuam, & intentionalem, ac representatiuam. Imperfecta vero est, & admixta cum concupiscentia, aut tristitia, quae consequitur ad praesentiam boni tantum in causa, vel in imagine sui. Verum ex his duobus praesentia in causa est potior ad delectandum, quam praesentia in sola imagine. Quia causa boni est sufficiens ad inducendam, & cognitionem representatiuam eius, & eiusdem realem praesentiam. Quod secundum praestare imago, quae imago praecise est, minimè potest.

Art. 4. Hinc omnis delectatio reuocari facile potest ad operationem unicuique congruentem, cui vniuersaliter illam deuincunt Philosophus, & ex eo D. Thomas in dicta quaest. 52. art. 1. nonnullis plurimum tergiversantibus circa eam doctrinam.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

Rationem autem eius efficax depromitur ex conceptu felicitatis comparato cum conceptu delectationis. Felicitas consistit in operatione, & vnumquodque est propter suam operationem, tanquam propter finem suum, ut positum est cum Philosopho, D. Thoma, aliisque communiter, atque ostensum quaest. 3. de act. hum. ab artic. 4. Rursus omnis delectatio resultat immediate ex fine, ut obtento, ac possessio, uti praesuppositum modo est ex communi consensu. Ergo omnis delectatio est ex operatione congruenti naturae, eiusdemque perfectiua, vel naturaliter, vel moraliter, iuxta naturam delectationis, vel pure naturalis, vel moralis; atque cetera omnia eatenus praecise delectare possunt, quatenus conferunt ad eiusmodi operationem, eandemque aut includunt, aut iuuant aliquatenus. Nempe felicitas, quae habet rationem ultimi finis, sola est, quae perfecte delectare potest, & cetera omnia eatenus praecise delectare possunt, quatenus illam in se includunt, aut iuuant aliquatenus. Ea scilicet magis, quae magis iuuant, & minus, quae iuuant minus. Concluditur itaque causam delectationis esse bonum praesens, ac possessum; atque hoc bonum, ut tale esse conuertibile cum operatione unicuique connaturali, perfecte quidem, & proxime cum operatione ipsa secundum se, ut actualiter existente, atque perficiente intrinsece operantem; imperfecte vero, & inchoatiue in causa, & requisitis continentibus in se, ac promouentibus sufficientiam ad eandem operationem.

Art. 1. Ad 1. Possessio boni conuenientis est & ipsa bona, & conueniens, atque specialiter perfectiua possidentis. Quapropter possessio, quae etiam ipsa possidetur, per se ipsam formaliter, est causa delectationis non minus, aut aliter, quam bonum conueniens, quod possidetur per possessionem à se distinctam. Non igitur se habet tanquam pura conditio sine qua non. Quia haec non continet in se perfectionem, aut partem perfectionis peculiarem, quae inest causa, quaeque est transmittenda in effectum. Idem dicitur suo modo de bono conuenienti respectu cuiusque, deque conuenientia eius. Quia ipsa ratio conuenientiae est per se aestimabilis, & bona respectu subiecti, cui conuenit bonum.

Art. 2. Verum notare oportet, conuenientiam vnius rei respectu alterius non ita distingui ab entitate, quae conuenit, & cui conuenit, sicut in plerisque rebus distinguitur possessio à possidente, & à bono possessio. Fieri namque potest, ut sanitas Ex. gr. habeatur, & non habeatur, ab animali. At fieri nequaquam potest, ut eadem sanitas sit, & non sit conueniens eidem animali. Vnde praedicatum absolutum, ratione cuius aliquid alicui conuenit, & conuenientia eiusdem ad idem solum distinguuntur ratione. Quatenus nimirum eadem res modò cognoscitur cognitione comparatiua eius cum subiecto, cui congruit, modò absolute tali comparatione. Ex quibus conceptibus comparatiuus est posterior, quam non comparatiuus, seu absolutus, quia simplex in quolibet genere est prius composito. Inde autem prouenit apparentia quaedam fallax, quod itidem à parte rei praecedat realiter praedicatum, per quod conuenit aliquid alicui, rationem conuenientiae, seu conuenientiam ipsam, cum obiectiue, & ut sunt in se nihil differant omnino. Quapropter controuersia, quam instituit Caietanus cum Scoto circa hoc punctum ad quaest. 2. D. Thomae art. 1. in posteriori commentarii parte, meo quidem iudicio, ut cum bona optimorum auctorum venia sincere dicam, est plene leuis, nulliusque momenti, quod ad rem praesentem attinet.

Art. 1. Ad 2. Conceditur, & admittitur, ut verissima

suma doctrina illa Philosophi de delectatione vniuersaliter consistente in operatione connaturali, non impedita, tanquam in motu eius, & causa vniuersali. Sed quia quædam sunt causa operationis in genere efficientis, quædam verò in genere finis, & obiecti; contingit quædam esse causatiua delectationis, quatenus habita præcisè, alia verò quatenus possibilia haberi. Quia causa efficiens nihil agit, nisi quatenus existens. At causa finalis agit per cognitionem sui, etiam dum non existit in se intrinsecè. Hac distinctione occurritur rationibus, & exemplis obiectionis. Quia proprium esse in primis, quod habetur per operationem alienam, idè est delectabile, quia continet in se sufficientiam ad operationes vnicuique connaturales: Quod à postèriori ex eo colligitur clarè, quia quicunque per aegritudinem, aut aliam accidentalem malam dispositionem, vel per violentiam alienam impeditur, quominus operari possit iuxta exigentiam suæ naturæ, eo ipso contristatur, & incidit in mæstitiam. Calefactio è contra patientis frigus, & refrigeratio æstuantis, ideo causant delectationem, quia inducunt dispositionem, & sufficientiam ad operandum, prout oportet, atque depellunt nimietatem, aut frigoris, aut caloris impeditiuam, aut retardatiuam eiusdem operationis. Eadem est ratio delectationis ex loco cõuenienti. Is namque locus est delectabilis, qui confert sufficientiam, & expeditionem operandi benè, is verò est contristatiuus, qui tollit eandem.

Ad 2. Idem dicitur de rebus omnibus aliis absque vlla exceptione. Omnia namque distincta ab operatione sunt delectabilia, vel acerba, quatenus conferunt ad operationem connaturalem, vel eandem impediunt; atque cum ventum est ad operationem ipsam executioni mandandam, tunc enim uero resultat delectatio, quàm maxima esse potest, vel ex causa efficiendi qualibet, vel ex quolibet obiecto potentiæ cognoscitiuæ, & appetitiuæ. Pecuniæ enim verbi gratia, vel cibus tunc maximè delectant cum existit actualiter eorum vsus, qui in operatione consistit formaliter, tunc verò minùs, cum solam conferunt sufficientiam eius, & spem; tunc minimè omnium, ac prorsus nihil, cum eadem sufficientia, & spes ligatur, ac extinguatur penitus. Vnde est illud: *Quis mihi diuitiæ, si non conceditur vti?* Nucleus igitur delectationis rerum omnium est penes solam operationem, plenæ quidem, & perfectæ in vnoquoque genere, penes ipsam actu existentem; imperfectæ verò, & inchoatiuæ, penes sufficientiam ad illam, ita ut crescat, aut decrescat delectatio iuxta maiorem, vel minorem propinquitatem ad operationem appetitiuam congruentem; cumuletur verò eadem, vel extinguatur per operationem ipsam actu exercitam; vel per eiusdem impossibilitatem. Quo discursu apparet clariùs conuertibilitas superius obseruata inter delectabile præsens, ac possessum, & inter operationem connaturalem existentem, vel in se, vel in sua causa.

Ad 3. Delectatio perfecta, nullique admixta molestia, ac dolori non potest esse ex motu, sed solum imperfecta, & coniuncta cum aliqua molestia, & dolore, proueniente ex malo nondum totaliter excluso. Quia verò nulla Viatorum gaudia sunt vndeque perfecta, & completa, propterea Augustinus optimè statuit ea in transmutatione, vicissitudine, & motu consistere. Motus enim transfert de vno delectabili ad aliud, quod nondum habitum est, & cuius propterea experientia desideratur magis, & de vna parte delectabilis ad aliam eiusdem partem. Quatenus autem reddit præsens delectabile aliquod, aut aliquam eius partem, est causa delectationis; & similiter est causa molestiæ, ac doloris

quatenus tendit ad delectabile aliud aut aliam eius partem adhuc absente, uti exponit optimè D. Thom. dicta quæst. 32. art. 2. atque à nobis expositum est supra in genere quæst. 3. art. 4. & 5. quod attinet ad peculiarem conditionem delectationum corporaliū, quæ dependent ab organo corporeo specialiter indigo motus, ac transitus ab vno ad aliud, atque aliud delectabile.

Ad 4. Memoria delectationis præteritæ, si secundum se præcisè consideretur, idè delectat, quia delectationem, & rem delectantem, absentes entitatiuè, & secundum se, reddit præsentis intentionaliter, ac repræsentatiuè. Quæ repræsentatio, & intentionalis existentia est bonum quoddam præsens, ac possessum, ut per se patet. Non igitur causat delectationem quidquam absens, quia absens est, sed quia nihilominus aliquantulum est præsens, ac possessum. Similiter spes futurorum bonorum est delectabilis, quatenus nititur possibilitate eorum, & sufficientia causarum ad illa inducenda, quæ possibilitas, & sufficientia sunt bonum quoddam præsens speranti, atque complentur, ac promouentur per ipsam spem, quæ itidem est bonum præsens, ac possessum. Vtrobique igitur vis delectandi est tota penes bonum præsens. Verum spes delectat magis per se, quàm sola memoria præteritorum; tum quia spes est necessariò coniuncta cum intentionali præsentia bonorum, sicut memoria, eique superaddit; tum quia coniunctio boni secundum rem, nec non possibilitas, & sufficientia huius coniunctionis præminet coniunctioni secundum similitudinem tantum, & repræsentationem.

Ad 5. Ratio delectationis ex memoria præteritorum malorum, laborum, periculorum hæc traditur à D. Thoma ibidem art. 4. à Dandino, & aliis communiter. Quod scilicet ea memoria est coniuncta cum cognitione præsentis incolumitatis à malo, quod præterit. Verum hoc non satisfacit vniuersaliter. Primò quia inde fieret, non esse magis delectabilem memoriam priorum malorum, & periculorum, quàm alienorum, quandoquidem æqualiter potest esse liber ab vtriusque, qui meminit eorum. Quod tamen contradicit experientiæ, & verbis illis Augustini. Deinde quia si quis euasit periculum indecenter, ac ignominiosè, ut miles per fugam non est delectabilis memoria talis periculi; tamen si præsens exemptio ab illo perinde adfit, atque si vitatio præcessisset absque labe. Dicendum igitur est, memoriam præteritorum malorum esse delectabilem, quia est coniuncta cum cognitione industriæ, aut fortitudinis laudabilis, quæ adhuc insunt vel numinis specialiter propitiæ, quod adhuc creditur specialiter propitium, adeoque mala præterita delectant indirectè, quatenus testimonium perhibent bono alicui præsentis, eiusque ut præsentis cognitionem vel augment, vel confirmant, magisque reddunt certam argumento à posteriori. Narratio verò malorum alienorum delectat, tum propter eandem præsentem incolumitatem audientis, tum quia excitant cognitionem oppositorum bonorum, quàm dictum nuper est, esse delectabilem per se ipsam, tum propter præsentem cõcinnitatem, aliaque narrationis gratas circumstantias itidem præsentis. Lacrymæ verò, quatenus superadditæ bonitati modò prænotatæ, habent vim delectandi, quia eiectione humoris superflui subleuant caput, & reliquū corpus, tum quia ingerunt cognitionem affectus interioris impeni, qualem, laudabile est, exercere circa mala proposita. De reliquo lacrymæ saltem ut plurimum sunt effectus tristitiæ opprimentis cor, & constringentis alias etiam corporis partes ad emissionem eius humoris, & quia se-

fione

sione sui augere valent cognitionem mali, ex qua procedunt, habent vim ex hac parte augendi tristitiam. Nihil porro est incommodi, quod idem sit causa delectationis, & tristitiae secundum diuersa. Imò ita necesse est, vt tristet in omnibus, quibus inest bonum aliquod praesens, coniunctum cum aliquo malo praesenti.

Ad 6. Operationes aliorum possunt esse delectabiles consideranti illas, quadruplici ex capite, vt exponit optimè D. Thomas in eadem quaest. 32. art. 5. Primò nimirum quia operationes aliorum, sunt beneficae respectu considerantis, vel largitione bonorum temporalium, vel illuminatione intellectus, & instructione morum, atque incitamento ad bene operandum per exempla virtutum. Secundò quia ex operationibus aliorum laudatiuis obsequiosis, gratificatoriis innotescit magis excellentia, & bonitas peculiaris, quae inest ei, qui laudatur, cui exhibetur obsequium, & gratia aguntur. Quo etiam ex capite adulatores sunt causa delectationis apud superficialem auscultatorem eorum. Quia gignunt in eo maiorem, aestimationem bonorum, & dotium suarum seu naturalium, seu acquisitarum. Sed apud sincereum, & intimum scrutatorem sermonis adulatorij oritur indidem dolor potius, atque molestia. Quia conicit, inde se constitui in periculo deceptionis, & arrogantiae, quae sunt magna mala. Tertiò oritur delectatio ex operationibus bonis qualibuscunque eorum, quos diligimus, propter vim vnitiuam amoris, superius expositam q. 9. Inde enim fit, vt perfectio, ac melioratio, accrescens dilectis ex bona operatione, aestimetur quasi propria, ideoque delectet, sicut proprium bonum. Quartò sunt similiter delectabiles operationes malae inimicorum, quatenus sunt nociuae, ac deterioratiuae ipsorum, seu naturaliter, seu moraliter. Quia malum inimici reputatur, tanquam bonum proprium odio habentis illum, vt dictum similiter est supra q. 12. Hac de causa dicitur de charitate, 1. ad Corinth. 13. 6. *Charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Ex quibus omnibus apparet, operationes aliorum eamtenus esse posse delectabiles respectu cuiusque quatenus ex illis redundat bonum aliquod eius proprium, aut boni proprii praesistentis cognitio maior aut magis certa.

Ad 7. Beneficentia saepe exercetur absque vllò beneficentis nocumento, vt cum laudantur, aut instruuntur alij verbo, aut opere; & tunc subsequitur pura delectatio ex perfectione operationis propriae, & ex emolumento beneficiarij dilecti à benefactore, eidemque propterea quasi identificati. Saepe itidem beneficentia est aliquatenus nociua respectu benefactoris, vt cum quis largitur aliis pecunias suas, aliaque pecuniis aestimabilia; & tunc sequitur delectatio mixta dolori. Iactura namque propria inducit per se dolorem, & tristitiam in eo, qui spoliatur bonis suis. At perfectio propria ex operatione benefica, & bonum accrescens beneficiario dilecto, & si adit spes gratitudinis, delectationem inducunt. Quod si largitio sit prodiga, ac nimia, & plus nocens benefactori, quam profit beneficiario, tristitia subsequens praeualet delectationi, eamque quodammodo absorbet. Sed vice versa praeualet delectatio, & impedit totaliter sensum tristitiae, si nocumentum benefactoris sit ad modum exiguum, maximum verò commodum beneficiarij, accedente praesertim aestimatione excellentiae propriae ex sufficientia respectu sui simul, & aliorum; quam aestimationem gignit, vel certe auget, atque confirmat omnis operatio benefica. Apparet igitur hic etiam, delectationem beneficentiae

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

immediatè prouenire ex bono proprio benefactoris, exque eiusdem boni cognitione. Eadem est proportionaliter ratio de delectatione, quae resultat ex damno aliis illato. Quia quando inferitur per victoriam, accrescit aestimatio excellentiae propriae per excessum virium, corporis, aut animi, & fortitudinis, aut industriae, ac peritiae. Et similiter effulget in redargutione, increpatione, & punitione, excessus sapientiae, probitatis, aut potentiae. Quod si quid horum fiat ab irato, accrescit praeterea specialis delectatio ex depressione iniuriantis, quae est bona iniuriato, vt dicitur inferius circa iram.

Ad 8. Quod ad similitudinem attinet, dictum est supra circa amorem quaest. 8. ad 4. Similitudinem alicuius cum aliquo continere in se specialem bonitatem relatiuam comparatione ipsius. Quapropter delectatio ex similibus non est absque proprio bono cognoscentis similitudinem sui cum aliis. Admiratio autem gignit spem augendi cognitionem rei adhuc occultae. Dictum autem est, spem esse delectabilem ratione boni alicuius praesentis, licet non sit pura eiusmodi delectatio, quatenus est coniuncta cum absentia boni sperati secundum se. Eodem igitur pacto admiratio est partim delectatiua, & partim contristatiua, idque plus, vel minus in vtriusque partem, prout contigerit praeualere, vel non praeualere spem acquirendae nouae cognitionis, eiusque magnae, vel paruae.

Art. 1. Ad 9. Dictum est, delectationem oriri ex bono praesenti, prout possessio, seu cognitio. Vnde delectatio crescit, & minuitur iuxta augmentum, & diminutionem, tum boni delectabilis, tum cognitionis eius. Bona autem spiritualia, ac intelligibilia sunt maiora, quam bona corporalia. Sed cognitio rerum spiritualium, & intelligibilium est minor in nobis, quam cognitio bonorum temporalium. Quapropter delectationes vtriusque resultantes sunt dispariter aequilibratae in diuersis. Et quidem primus aspectus, primaque perceptio sensibilibus superat in nobis primum aspectum primamque perceptionem bonorum spiritualium usque adeò, vt excessus prioris cognitionis supra posteriorem, sit maior, quam excessus bonorum spiritualium supra bona sensibilia. Quia sensibilia bona innotescunt sensibus immediatè, ideoque manifestantur totaliter sub primo aspectu. Spiritualia verò innotescunt enigmaticè mediantibus sensibilibus, ideoque sub primo aspectu manifestantur solum quoad perfectionem affinem perfectioni rerum sensibilibus, cum hac differentia, vt illa mediatè, ideoque minus, haec verò immediatè, ideoque magis innotescant. Plerique autem haerent in prima superficiali rerum apprehensione, eiusque ductum proniter sequuntur. Ex quo fit, vt plerique magis delectentur sensibilibus, quam spiritualibus bonis, non per se, sed per accidens; quia quatenus eligunt haerere in prima superficie primamque rerum apprehensionem; nec volunt attendere meditatione, & discursu accuratiori ad indagandam mensuram, & magnitudinem legitimam cuiusque boni.

Art. 2. Sed non sunt excusabiles, qui eligunt ita torpere circa spiritualia. Quia sub primo illo eorum aspectu, licet non appareat explicitè excessus incomparabilis bonitatis, conuenientis ipsis; apparet nihilominus possibilitas proficiendi in cognitione eorum, & dignitas, vt quaeratur diligenter istiusmodi profectus. Quod si adhibeatur diligentia, qualis decet, perueniunt tandem ad cognitionem spiritualium bonorum, quae coniuncta cum reali eorum magnitudine, superat coniunctum eorum bonis sensibilibus, ipsorumque cognitione; atque delectationes deinde consequentes circa spiritualia euadunt absolutè

D 2 maiores;

maiores, quàm quæ sunt circa sensibilia. Quæ de causa dicebat Apostolus: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*; id est carere omni delectatione sensibili, & frui sola spirituali. Iam quod ad transmutationem attinet corporalem, ea provenit, ex delectatione corporali, non ob eius præstantiam, & magnitudinem, ac fortitudinem maiorem, quàm quæ convenit delectationi spirituali, sed ex natura, & debilitate organi corporalis, in quo & dependenter à quo eiusmodi delectatio percipitur, utque vitetur eius læsio quando delectatio est vehemens, aut diuturna, est necessarium temperare illam, ac refrænare. Quod in delectatione spirituali ideo non evenit saltem directe, & per se, quia percipitur absque cooperatione organi corporalis & consequenter absque eius læsione.

Art. 1. ad 10. Inter ea, quæ habent rationem finis, quod est magis necessarium, est melius; ut patet in Deo, qui est finis ultimus omnium, idemque est summè necessarius; & sic de cæteris finibus, ut pote subordinatis primò cum imitatione eius, & participatione, qua fines sunt. At inter ea, quæ habent rationem mediæ, ac instrumenti, quod est magis necessarium, est e converso minus bonum, atque ignobilius: quia eo ipso distat magis à fine, quàm mediæ minùs necessaria. Medium enim, ac instrumentum magis necessarium ad finem, non solum est necessarium ad ipsum finem, sed etiam ad reliqua mediæ minùs necessaria. Quapropter inter finem, & medium magis necessarium interiacent hæc aliæ mediæ minùs necessaria, quæ immediatè, vel certè propinquius inducunt finem: sicut calor ut ostendat ignem, à quo distat magis calor ut quatuor, magis verò calor ut duo, & adhuc magis applicatio agentis ad passum, magis gradatim necessaria ad existentiam novi ignis. Quod autem maximè distat ab optimo, quod est finis, est minimæ bonitatis.

Art. 2. Iam in brutis operationes sensuum, & appetitus sensitivi habent rationem puri finis inter ea quæ insunt ipsis intrinsecè. Quia nihil est in illis nobilius, ac præstantius, ad quod tanquam, ad ulteriorem finem ordinantur operationes eiusmodi. Manifestum autem est, operationes tactus esse præ cæteris omnibus operationibus necessaria ad conservationem individui, & speciei brutorum. Eadem igitur sunt præstantissima in brutis, ideoque ad delectationem secundum tactum ordinantur reliquæ omnes eorum operationes, tanquam ad finem suum ultimum intrinsecè perfectiorem, ipsorum, uti rectè constituit Philosophus illo in loco.

Art. 3. At in homine eadem sensuum, & appetitus sensitivi operationes habent rationem mediæ, potius ac instrumenti. Ordinatur enim ad operationes intellectus, & voluntatis quæ in homine præcellunt reliquis omnibus eius bonis, ideoque habent rationem finis, ad quem reliqua omnia ordinantur, ut mediæ, ac instrumenta. Eadem igitur ratione maioris necessitatis, convenientis tactui, quàm visui, concluditur operationes, & delectationes circa tangibilia esse minoris momenti, minorisque æstimationis apud hominem, quàm operationes, & delectationes circa visibilia; uti non minus rectè tradit idem Philosophus. Cohærent itaque optimè inter se, & cum doctrina, tradita duo illa Philosophi documenta, nec enim repugnat idem respectu eiusdem esse melius, & minus bonum, maius, & minus sub diuersa comparatione, & secundum conceptus diuersos, uti est diuersa comparatio in ratione finium, & in ratione mediorum, ac instrumentorum.

QVÆSTIO XIX.

Verum delectatio sit inductiva dilatationis, & sitis; impeditiva vsus rationis, & perfectiva operationis?

Videtur non esse. 1. Quia amor est causa omnium affectuum interiorum, & concupiscentia omnium operationum exteriorum, ut dictum est supra. Nullus igitur superest effectus, cuius delectatio possit esse causa.

2. Dilatatio pertinet potius ad amorem, & concupiscentiam; ad amorem quidem quia Apostolus loquens de dilectione charitatis 2. ad Cor. 6. 11. dicit: *Cor nostrum dilatum est*. Ad concupiscentiam verò, quia hic affectus ordinatur ad recipiendum bonum nondum habitum, ideoque ad ipsum pertinet dilatare, & sic disponere cupientem ad receptionem. Ergo dilatatio non pertinet tanquam effectus, sed solum tanquam prævia dispositio ad delectationem, quæ est de bono iam recepto. Imò videtur constrictionem potius esse effectum eius. Quia bono iam præfenti adhæremus per voluntatem illud firmiter retinendi. Quod fit constringendo, & non dilatando. Quia dilatatio disponit, ut effluat bonum habitum, & constrictione, ut retineatur.

3. Sitis, quæ metaphora significatur concupiscentia, seu desiderium, opponitur tranquillitati, & quieti, quam dictum est esse propriam delectationis. Nihil autem est causa sui oppositi. Ergo delectatio nequit esse inductiva sitis, seu concupiscentiæ, ac desiderij. Accedit ad delectationes corporales sæpè subsequi fastidium, ut apparet in cibo, & potu, cum delectauerint usque ad saturitatem. Fastidium autem opponitur siti, & nihil est causa oppositorum.

4. Impossibile est, ut sit impeditivum vsus rationis, quod confert ad scientiam, & prudentiam. Quies autem animi, quæ pertinet ad quidditatem delectationis, confert plurimum ad utramque. Quia 7. physic. text. 20. dicitur, *sedendo, & quiescendo fieri animam scientem, & prudentem*, atque Sap. 8. 16. *Intrans, ait sapiens, in domum meam, conquiescam cum illa*, nempe sapientia.

5. Vsus rationis præit delectationem, tanquam eius causa, ut apparuit superius. Nihil autem impeditur per suum effectum. Ergo vsus rationis non impeditur per delectationem. Accedit per exercitium alicuius potentie non posse impediti exercitium alterius potentie non subordinatæ priori potentie. Delectatio autem est in appetitu sensitivo, cui non subordinatur intellectus, seu ratio, sed magis e converso, ut dictum est q. 4. Ergo fieri non potest ut vi delectationis corrumpatur vsus rationis.

6. Operatio est vniuersalis causa delectationis, ut patet ex questione præcedenti. Nihil autem est perfectiorem suæ causæ, utpote conferentis, adeoque præhabentis in se totam perfectionem effectus. Ergo delectatio non est causa perfectiva operationis. Confirmatur quia si delectatio perficeret operationem, delectationes quærerentur, ut fines operationum: Quia in omni genere perfectio habet rationem finis. Operationes autem non sunt propter delectationes, sed e converso delectationes instituit, indultitque natura propter operationes.

7. Perfectio operationum provenit ex directione rationis, & prudentiæ. Repugnat igitur, atque implicat in terminis delectationem simul esse, & impeditivum vsus rationis, & perfectivum operationum.

Art. 1.

Art. 1. Respondetur. Quatuor effectus attribuuntur communiter delectationi cum D. Thoma quæst. 34. nempe, dilatio, ac ampliatio quædam delectati; & sitis, seu concupiscentia, ac desiderium boni delectantis; perturbatio, ac impeditio, & excæcatio vsus rationis; ac demum vis perfectiua operationis. Sed non eodem modo hæc omnia delectationi conueniunt. Primum enim dilatio & ampliatio attribuitur metaphoricè tantum, ac improprie delectationi secundum se, & quatenus afficit substantiam animæ; comparatione verò corporis proprie, & sine metaphora. Ratio metaphora est, quia delectatio est quasi acceptatio boni præsentis, eiusque in animum inductio: Vnde habet similitudinem quandam analogicam cum receptione, ac inductione vnius corporis in aliud; Receptio autem dilatat corpus recipiens, quantum necesse est, vt subingrediatur corpus, quod recipitur. Igitur delectatio se habet in animo ad modum dilatantis plus minus, prout fuerit magnitudo boni præsentis, & possessi, ex quo ipsa suboritur. Ratio proprietatis respectu corporis est, quia vnusquisque affectus immutat organum corporale, à quo dependet, iuxta naturam, & conditionem suam peculiarem, quæ dependet ex natura apprehensionis præcedentis, qua dirigitur. Delectatio autem sublequitur ad præuiam apprehensionem boni præsentis, & subingredientis in substantiam animalis. Quapropter affectus delectationis operatur in organo transmutationem dilatatiuam, qualis vti que est idonea ad recipiendum, & continendum bonum, quod subintrat. Hoc autem præstat diffundendo sanguinem, & spiritus vitales, penes quos est præcipua vis caloris. Calor autem est rarefactius, & dilatatiuus corporis, cui inest ad maius spatium. Itaque delectatio dilatat re ipsa cor, & reliquas corporis partes, & quasi dilatat, & ampliat animam secundum se, multum quidem si præuia apprehensio faciat apparere magnum delectabile; & parum, si eadem apparentia sit parua. Vtraque porro dilatationis ratione, delectatio dicitur lætitia, quasi lætitia quædam.

Art. 2. Sitis, seu concupiscentia, aut desiderium potest sumi, & positivè, & negativè, nempe pro exclusione fastidij, & pro inclusione conatus tendentis ad bonum absens. Exclusio fastidij conuenit per se delectationi: quia ex sua natura adheret libenter bono præsentis, tanquam perfectiuo animalis. Accidit nihilominus, vt generet fastidium per accidens ratione organi corporalis labefacti ex assidua, nimiumque protracta diffusionis sanguinis, & spirituum, ideoque aucta nimium, iuxta expositionem præmissam supra in communi quæst. 3. art. 4. Eodem pertinet delectatio effusa ad nimietatem delectabilium. Hinc enim sequitur etiam, vel maxime fastidium circa ipsa delectabilia, vt patet in nimietate ciborum, & sic de aliis obiectis delectationis corporalis. Quia verò in delectationibus spiritualibus nihil eiusmodi reperitur, sitis negatiua, & exclusio fastidij inest illis vniuersaliter, loquendo per se, seu præscindendo à redundantia delectationis spiritualis in corpus; quod contingit indirectè vexari, & malè habere propter illam, dum est anima vnita corpori corruptibili. Sitis autem positivam, & concupiscentiam, ac desiderium causat indirectè delectatio, tum per memoriam sui, tum maxime ratione cognitionis representantis simul cum delectabili præsentis absentiam, vel quoad partes eius nondum habitas, vel quoad delectabile aliud; ad quod disponit delectabile præsens, aut cum quo idem est impossibile. Ex priori consideratione delectationes corporales sunt omnes sitis-

bunda, quia existunt successiue adueniente vna parte delectabilis post aliam. Et præterea vnumquodque delectabile corporale est pars tantum delectabilis adæquati, quo indiget animal. Nihil namque vnum est, per quod solum benè habere possit absque vltiori semper progressu ad alia, atque alia delectabilia. Coniunctio autem cognitionis circa partem delectabilis adhuc absens cum cognitione præsentis suauitatis, ac dulcedinis, acut appetitum, augètque auditatem concupiscentiæ. Quo pacto dicit Augustinus lib. 4. confessionum cap. 11. audita prima parte versus, eaque delectante, desiderari propterea audius alteram partem versus, eiusque auditionem, & delectationem audiendi similem delectationi præsentis, eiusque completiuam. Ex posteriori consideratione delectationes etiam spirituales causant sitim, ac desiderium, quando adest imperfecta possessio delectabilis spiritualis, & abest adhuc perfecta possessio, ad quam illa disponit. Sic cognitio inchoata veritatis cum delectatione imperfecta circa ipsam accendit sitim, ac desiderium cognitionis magis intimæ vsque ad cumulum totius perfectionis absolute possibilis. Quo etiam pacto cognitio, & delectatio viatoris circa Deum accendit sitim, ac desiderium visionis Dei, & delectationis visualis circa ipsum. Itaque sitis, & desiderium consequitur ad delectationem, non ex conceptu eius secundum se, sed ex imperfectione, vel delectabilis, seu successiui, seu insufficientis se solo, vel possessionis, ac præsentia obiecti delectabilis.

Art. 3. Vfus rationis impeditur per delectationes corporales; perficitur verò per spirituales. Perficitur quidem per delectationes spirituales, quia proueniunt ex ipso vsu rationis, vel terminante, atque causante delectationem circa se immediatè, vel proponente delectabile aliud. Delectatio autem applicat animum ad causam, & originem sui, ideoque delectatus vsu rationis, & cognitione veritatis firmatur eo ipso magis in vsu rationis, & attentione rationali ad veritatem, aliisque delectabilia proposita per rationem. At delectationes corporales minuunt, & aliquando extinguunt vsu rationis, vniuersaliter quidem omnes duplici de causa. Primo nimirum, quia delectatio est causa applicationis animi, & virium eius ad obiectum actualiter delectans. Vehemens autem attentio, & applicatio animi ad aliquid, minuit vires eius, & attentionem circa reliqua. Vnde vehemens applicatio sensus ad bonum sensibile impedit attentionem rationis ad intelligibilia. Quia verò bonum præsens maiori vi pertrahit animum ad se, quàm absens, aut præscindens à præsentia, propterea impeditur magis vsus rationis per delectationem, quàm per amorem aut concupiscentiam. Secundo delectatio corporalis causat, vt dictum est, transmutationem corporalem, eamque eadem ratione maiorem, quàm amor, & concupiscentia. Transmutatio autem corporalis, quæ est perturbatio dimouens ab statu permanenti connaturali partium, & organorum corporaliū, officit vsui rationis, quæ exercetur melius organo corporali mediocriter temperato, & consequenter debilitatur, & minuitur, & quandoque extinguitur totaliter, eodem præternaturaliter affecto, ac indisposito, vt patet in delectatione ebrietatis Venereorum, aliorumque eiusmodi. Particulariter verò aliquæ delectationes corporales impediunt vsu rationis practicæ, quia sunt intrinsecè inhoneste, vel excedunt limites rectæ rationis, ideoque opponuntur eidem & auertunt animum à consideratione eorum, quæ fonent, ac promouent principia, & conclusiones, quæ perducunt ad rectam operationem, & consequenter eadem delecta-

tiones gignunt apparentiam obiectorum contrariam rectæ rationi. Quia qualis vnusquisque est, & qualis est affectus eius, talis finis videtur ei, vt dicit Philosophus. Vnde idem Philosophus 6. Ethic. cap. 5. docet delectationes corporales, nimirum excessiuas, ac turpes corrumpere existimationem prudentiæ. Ex hoc igitur postremo capite aliquæ delectationes impediunt vsum rationis practicæ speciali, & maiori quadam vi; vsum verò rationis tam practicæ, quam speculatiuæ impediunt omnes vniuersim delectationes duplici illa priori ratione. Vtraque verò viget magis, nocetque vehementius in postremo isto delectationum genere, vtpote perturbatiuo magis temperamenti naturalis, magisque diuersiuo virtutis intellectualis.

Art. 4. Perficit nihilominus delectatio operationem, ad quam consequitur, moraliter quidem si sit moderata, & conformis dictamini rationis rectæ; si minus naturaliter, seu physicè, & quoad entitatem. Perficit autem dupliciter. Primò, in genere causæ formalis, quatenus est vltimum complementum bonitatis conuenientis operationi, & intentæ ab operante, dum operatur. Vnumquodque autem perficitur per suum complementum, & maxime vltimum, vtpote quietatiuum, atque expletium appetitus. Qua de causa dicit Philosophus 10. Ethic. cap. 4. operationem perfici delectatione non sicut à medico sanum, sed sicut eundem à sanitate. Deinde perficit operationem delectatio in genere causæ finalis: quia expertus delectationem redundantem ex operatione incumbit illi vehementius, & perstat in eadem constantius, & auget conatum operandi, vt delectatio subsequatur vberior. Qua de causa dicitur ibidem à Philosopho cap. 5. delectationibus augeri proprias operationes, & impediri extraneas, prout exponetur infra q. 26. art. 6. Vnde natura operationibus bonis adiunxit delectationes puras, nec infectas admixta, aut superueniente mox amaritudine, vt iis tanquam esca traheremus ad operationes bonas absolute, atque perfectius operantis simpliciter, & non tantum secundum quid, cum præponderantia nocuenti. In hunc igitur modum delectatio est inductiua dilatationis, & sitis, seu prosecutionis boni absentis, & impeditiua vsum rationis, atque perfectiua operationis.

Ad 1. Dictum est superius non semel, quemlibet affectum posse saltem indirectè inducere quamlibet speciem aliorum affectuum circa obiecta alia, quorum accessio iuuare potest existentiam, aut conseruationem obiecti, quod est motiuum, & causa eiusdem affectus. Quapropter delectatio etiam potest proculdubio inducere hoc pacto, & amorem, & concupiscentiam, & quosvis alios affectus. Cæterum directè, & per se, atque ex conceptu suo vniuersali, nullum aut affectum interiore, aut exteriorum effectum inducit delectatio. Quia est terminus, & complementum omnis alterius affectus, & effectus. Quod nec amor conuenit, neque concupiscentiæ, vt innotuit supra; atque istud discrimen intentum est inter exponendum conceptum quidditatiuum delectationis. Verum hoc non tollit, quominus eadem delectatio inducat effectus modò illi attributos ratione, aut organi corporalis, aut peculiaris conditionis conuenientis obiecto ex se insufficienti ad quietandum perfectè, & adæquatè appetitum. Vnde amor, & concupiscentiæ conuenit vis actiua ex se, exque conceptu suo intrinseco, ac vniuersali; delectationi serò per accidens modo dicto.

Ad 2. Omnes affectus prosequutiui conueniunt inter se mutua quadam affinitate, & propterea conueniunt aliquatenus quoad vim etiam dilatandi, tum

metaphoricè, tum propriè. Verum ea vis præeminet in delectatione, ideoque ipsi specialiter, ac antonomasticè attribuitur. Amor enim dilatat dispositiue tantum, quatenus fertur ad bonum secundum se, nec præsupponit apprehensionem præsentis eiusdem boni. Concupiscentia verò, quia fertur ad bonum, vt coniunctum cum absentia, solumque præsupponit apprehensionem boni concupiti, vt præsentis non secundum se, sed tantum in causa, dilatat parum, vtpote constringente simul præuia apprehensione absentis boni. At delectatio, quia suboritur ad apprehensionem præsentis boni, dilatat perfectè, non quidem inducendo aptitudinem physicam recipiendi, quæ iam præsupponitur exercita, bene tamen affectiue informando animum ad modum continentis, plusquam contineret prius, atque inde redundante in corpus effusione, ac dilatatione congruente affectui. Subiungitur porro nonnunquam constrictio, non ex natura delectationis secundum se, quæ præsupponit bonum receptum, sed ex natura boni delectabilis, quando apprehenditur esse fugax, atque adesse periculum, vt elabatur, & perdat. Sed tunc delectatio est coniuncta cum superaddita sibi concupiscentia, aut timore, atque ex iis, & non ex ipsa delectatione provenit constrictio.

Ad 3. Nihil obstat, quominus insit alicui per accidens, & extrinsecus, oppositum eius, quod conuenit sibi per se, & ex sua præcisa natura. Tametsi igitur delectatio sit per se quietatiua naturæ appetentis; potest nihilominus esse sitibunda, & irrequieta ratione obiecti, vel nondum habiti adæquatè, & quoad omnes suas partes, vel fugacis, aut insufficientis ex sua natura. Idemque dicitur suo modo circa fastidium, vt patet clarè ex dictis ad questionem.

Ad 4. Quies perfectæ, & non permixta cum inquietudine, nec coniuncta cum perturbatione organi corporalis iuuat vsum rationis, & scientiam, atque de huiusmodi quiete sermo est in textibus obiecti. Neutrum autem conuenit quieti, quæ est propria appetitus sensitiui, & passionis, ideoque huiusmodi quies impedit indirectè vsum rationis, & nonnunquam etiam directè, vt expositum est superius.

Ad 5. Aliquas delectationes inducit recta ratio, atque per eas non impeditur vsum rationis. Alias verò inducit ratio apparens, & fallax, alias sola cognitio sensus, atque per istas contingit impediri vsum rationis, tum practicæ aliquando, tum vniuersalius etiam speculatiuæ, vt distinctum est superius. Nec obstat diuersitas potentiarum, quia eadem anima substantia concurrat ad omne genus operationum, ideoque redditur debilior ad aliquas operationes per exercitium maxime intensum aliarum. Licet autem intellectus non subordinetur appetitui sensitiui per modum imperij, de quo fuit sermo in quæst. illa 4. subordinatur tamen dispositiue, quatenus intellectus dependet indirectè ab organo corporeo, cuius dispositio alteratur, ac inuertitur per actum appetitus sensitiui.

Ad 6. Operatio, & delectatio ad eam consequens, constituunt vnum finem adæquatum; ita tamen vt operatio sit finis partialis præcipuus, & magis intentus à natura, delectatio verò sit finis secundarius, & minus intentus ab eadem. Vnumquodlibet autem partiale perficitur per coniunctionem cum sua comparte, tametsi ignobiliori. Perficit igitur delectatio operationem. Quia verò operatio, quatenus causatiua delectationis, operatur vitaliter, & ab intrinseco, necesse est, vt operans melius habeat superaddita delectatione: quia operatio immanens est perfectiua

perfectiua suæ causæ. Neque hinc sequitur operationes esse simpliciter propter delectationes, & non è conuerso: quia in omni genere nobilior, ac præeminentior habet rationem finis simpliciter; & tantum secundariò, atque cum subordinatione, quod est ignobilior. Quo pacto dicitur corpus esse propter animam, & non è conuerso; tametsi corpus etiam perficiat animam, & eatenus habeat rationem finis secundarij. Eodem igitur modo delectatio habet rationem finis respectu operationis, & vt talis potest mouere ad operandum.

Ad 7. Perfectio operationis est duplex, alia naturalis, & alia moralis. Perfectionem naturalem adicit semper operationi quælibet delectatio; moralem verò sola delectatio conformis rectæ rationi, & regulata per eandem. Vnde obiectio laborat æquiuocatione.

Q V Æ S T I O XX.

Vtrum delectatio sit mensura bonitatis rerum omnium?

Videtur non esse. 1. Quia aliqua delectationes sunt malæ ex sua natura. Imò omnes delectationes sensibiles habent adiunctam sibi aliquam malitiam, tum quia impediunt aliquatenus vsum rationis, vt dictum est in quæstione præcedenti, idque èd magis, quò maiores sunt, vt pater in delectationibus Venereis, quæ sunt maiores reliquis omnibus corporalibus, proptereaque absorbent penitus, atque suspendunt vsum rationis, ligantque totaliter intellectum, vt dicitur lib. 7. Ethic. cap. 11. tum quia quod prosequitur improbus quisque, & expers rationis, fugit verò compos rationis, idemque probus, ac virtuosus, est malum, quia vt dicit Philosoph. lib. 10. Ethic. cap. 5. *Virtuosus est mensura, & regula humanorum actuum; atque spiritalis iudicat omnia*, vt dicitur 1. ad Corinth. 2. 15. Fugit autem delectationes corporales probus quisque, ac virtuosus, & eandem prosequuntur bestia; & pueri, atque improbi quique, & èd magis quò sunt deteriores. Impossibile porò est, vt quod est malum, aut habet adiunctam malitiam sit mensura bonitatis.

2. Summum in vnoquoque genere est mensura ceterorum, vt dicitur lib. 10. metaph. text. 3. Delectatio autem non est summum bonum: quia operatio, quæ est causa delectationis, est melior eadem. Deinde summum bonum nulla additione fit maius. Delectatio autem est melior superaddita virtute. Ac demum, quod est summum bonum, est bonum semper, ac vniuersaliter. Non autem omnis delectatio est bona, sed plures sunt malæ tum moraliter, tum etiam naturaliter, vt pote nocentes, & animo, & nonnunquam corpori. Ergo delectatio nequit esse vniuersalis mensura, & regula bonitatis.

3. Causa est mensura effectus, & non è conuerso. Operatio autem est causa delectationis, & non è conuerso, vt dictum est quæst. 18. Ergo operatio magis, quàm delectatio est mensura bonitatis. Vnde delectationes iudicantur esse bonæ, vel malæ, quia consequuntur ad operationes bonas, vel malas; & non è conuerso.

4. Amorem, & concupiscentiam non minùs, quàm delectationem causat vnumquodque obiectum, maiorem, vel minorem, prout contigerit ipsum esse magis, vel minùs bonum. Et præterea iidem affectus amoris, & concupiscentiæ, ac desiderij sunt noti vnicuique non minùs, quàm delectationes. Licet igitur mensurare bonitatem obiecto-

rum omnium amore, & concupiscentia, seu desiderio non minùs, aut aliter, quàm delectatione. Nulla igitur speciali ratione conuenit delectationi, vt sit mensura bonitatis.

Art. 1. Respondetur. Finis est mensura, & regula eorum, quæ sunt ad finem. Dictum autem est, delectationem simul cum operatione, ad quam subsequitur, & cum qua facit vnum, velut eius forma, habere rationem finis. Ergo delectatio simul cum operatione, ad quam subsequitur, est mensura, & regula bonitatis ceterorum omnium, tum affectuum, tum etiam obiectorum, respectu vniuscuiusque. Quia verò in concreto ex operatione, & delectatione subsequente, delectatio habet rationem quandam specialem finis, quam non habet operatio ipsa, quatenus delectatio est finis etiam tanquam terminus vltimus, vltra quem nullus est progressus agentis circa vnumquodque obiectum; propterea delectationi potissimum attribuitur ratio regulæ, ac mensuræ bonitatis. Qua de causa Philosophus lib. 7. Ethic. cap. 11. dicit, delectationem esse finem architectum, hoc est principalem, ad quem respicientes, vnumquodque, hoc quidem bonum, hoc autem malum simpliciter dicimus. Atque Augustinus ad illud Psalm. 7. 10. *Scrutans cordas, & renes Deus: finis, ait, cura, & cognitionis est delectatio ad quam quis nititur peruenire*. Confirmatur, quia simplicia habent rationem regulæ, & mensuræ respectu mixtorum sui generis. Delectatio autem habet bonitatem simplicissimam, maximèque impermixtam malo. Quia concupiscentia fertur ad bonum absens, ideòque habet bonitatem infectam malo aliquo, ex absentia boni. Et similiter amorì deest aliqua ratio bonitatis quatenus deest ratio præsentia ex parte obiecti, atque eodem modo ceteris affectibus admiscetur ratio mali aliqua, vt patebit in progressu.

Art. 2. Sola delectatio est, quam nulla inficit admixtio malitiæ, iuxta tamen modificationem mox adhibendam. Quia est de bono præsentia, ac possessio, ac proinde circa eius obiectum, quò obiectum eius est, nullus superest locus, aut sollicitudini, & inquietudini concupiscentiæ, ac desiderij, aut amaritudini doloris, ac tristitiæ. Qua de causa dixit Philosophus lib. 2. Ethic. cap. 2. *Ridiculum esse querere ab aliquo, propter quid velit delectari*. Quia nimirum perinde id est, atque querere, propter quid velit purum bonum, purumque volubile. Vnde quoad hoc præeminet delectatio operationi, ad quam consequitur. Quia operatio plerumque est laboriosa, & habet adiunctam fatigationem, quam inducit, vel difficultatem, cum qua pugnat, quàmque superat. Delectatio verò imponit finem toti molestiæ, & adiungit cumulum putæ bonitatis, ac iucunditatis. Igitur delectatio est mensura bonitatis reliquorum omnium affectuum, omniumque operationum. Quia verò omnia sensibilia, quæ sensibilia sunt, habent pro fine substantias sensitiuas, atque ipsæ substantiæ sensitiuæ habent rursus pro fine operationem, atque pro fine reliquarum operationum habent operationem, seu actum præcipuam, maximæque bonitatis; concluditur delectationem esse finem modo dicto rerum omnium sensibilibum, quæ sensibiles sunt. Paret autem eandem esse proportionaliter rationem de bonis intelligibilibus infra Deum, comparatione delectationis spiritalis. Igitur delectatio in genere est regula bonitatis omnium rerum infra Deum, sensibilis quidem sensibilibum, intellectualis verò intelligibilibum.

Art. 3. Sicut autem delectatio in genere est mensura, & regula bonitatis in omni alio genere: ita summa delectatio est mensura, & regula bonitatis reliquarum omnium delectationum. Quia verò

summa delectatio est de summo bono ; Summum autem hominis bonum est Deus ; brutorum verò est supremum tangibile iuxta dicta in quaest. 18. ad 7. sequitur mensuram , & regulam humanarum delectationum esse delectationem circa Deum , mensuram verò , & regulam delectationum brutalium esse delectationem contactus mutui brutorum , quatenus summè inuicem congruentium in vnaquaque specie. Quapropter delectationes humanae , quae impediunt , aut minuunt delectationem circa Deum in patria , eo ipso sunt malae. Quae verò conferunt ad eandem sunt bonae , & physice , & moraliter. Ac demum quae neque iuuant illam , neque impediunt , aut minuunt sunt tantum physice , & naturaliter bonae absque vlla aut bonitate , aut malitia morali. Idem dicitur proportionaliter de bonitate , & malitia purè naturali , ac physica delectationum brutalium relatiuè ad praedictam delectationem secundum tactum. In hunc igitur modum delectatio est mensura , & regula bonitatis rerum omnium , vt tradit D. Thomas quaest. 34. art. 4. Licet enim non instituerit quaestionem vsque adeo vniuersalem , vsus tamen est ratione applicabili vniuersaliter , vt à nobis factum est pro modo praesentis instituti , siquidem agitur de delectatione , eiusque bonitate in communi , & quidem magis directè de bonitate naturali quam de morali , ad quam se restrinxit D. Thomas.

Ad 1. Quod aliqua delectationes sint malae moraliter , atque eò deteriores , quò maiores sunt , inter eas , quae pertinent ad appetitum sensitium , non tollit quominus eadem sint naturaliter bonae , & mensura bonitatis purè naturalis suorum obiectorum. Multò verò minus id ipsum impedit , quò minus delectatio in genere sit mensura , & regula omnis bonitatis tam honestae , quam vtilis , & iucundae , aut quominus aliqua delectatio sit similiter mensura , & regula bonitatis omnis moralis , vt apparet ex dictis. Neque verò id subsistit , quod assumitur , probum quemque , ac virtuosum vitare omnem delectationem corporalem , absque delectu , & exceptione. Prosequitur enim potius eas delectationes corporales , quibus fouetur honesta aliqua operatio , quaeque iuuant ad superandam difficultatem , & incommodum temporale , quod adiacet operationi honestae. Differentia itaque hominis probi à prauo , & à bruto haec est , quod hi prosequuntur delectationes corporales praecise ratione sui. At virtuosus admittit easdem cum subordinatione ad delectationem spirituales , praesertim circa Deum , eademque metitur terminos delectationis circa sensibilia.

Ad 2. Dictum iam est , delectationem in primis facere vnum cum operatione , ad quam subsequitur , ac proinde non esse illi contraponendam : quia vt dicit Philof. lib. 1. Ethic. cap. 8. delectatio non est aliquid extraneum ab operatione virtutis , sed aliquid ipsam concomitans. Dictum deinde est delectationem habere rationem mensurae cum proportionem , & ordine quodam. Nempe delectatio in genere esse mensuram bonitatis in genere , & sensitiuam sensibilibus bonorum , atque intellectualem intelligibilem. Qua distinctione occurritur rationi obiectionis , & simul excluditur duplex error , alter Stoicorum dicentium omnes delectationes esse malas , alter Epicureorum dicentium omnes delectationes esse bonas. Epicurei enim confuderunt bonum secundum quid , quod vt minimum inest cuilibet delectationi , cum bono simpliciter , seu cum bono cui non adiacet ratio mali cum praereminentia supra bonitatem. Stoici verò restrinxerunt totum genus delectationis ad delectationem sensibilem ,

ac corporalem , eamque quassitam , ac admissam ratione sui , nec regulatam superiori alia delectatione ; nempe ea , quae est suprema in parte intellectuali. Patet autem ex dictis superius vtriusque halucinatos esse , sed magis Epicureos.

Ad 3. Dicitur iterum operationem facere vnum cum delectatione , quam ingerit , ideoque rationem regulae tribui re ipsa coniunctim vtrique. Verum quia delectatio est vltimum complementum bonitatis conuenientis toti concreto , ideoque habet specialem quandam rationem finis , & termini vltimi ; propterea ipsi potissimum adscribitur , & realiter conuenit , vt sit mensura , & regula bonitatis.

Ad 4. Finis amoris , & concupiscentiae est delectatio. Ergo eadem delectatio est mensura bonitatis conuenientis amori , & concupiscentiae , & consequenter eorum etiam , circa quae versatur vterque hic affectus. Nec enim conuenit ratio mensurae cuiusque sufficienti , vt ex eo arguatur , quanta sit bonitas aliquorum aliorum. Sed necesse insuper est , vt illud sit primum , ac notissimum , certissimumque. Licet autem amor , & desiderium sint priores ordine executionis , quam delectatio ; sunt tamen posteriores eadem secundum ordinem intentionis ; atque hic ordo praeminet , quia est fundatus in magnitudine bonitatis singulorum , cum ordo executionis sequatur potius magnitudinem necessitatis singulorum. Deinde magnitudo bonitatis in amore , & concupiscentia est minus nota , minusque certa , quam in delectatione. Quia facilius incidit ignorantia , & fallacia circa absentia , aut praesentia à praesentia , circa quae sunt amor , & concupiscentia , quam circa praesentia , & atque oculis subiecta fidelibus , vt ita dicam , circa quae est delectatio.

QVÆSTIO XXI.

Virum tristitia sit passio perturbatiua animalis ?

Videtur non esse. 1. Quia passio est affectus appetitus sensitui , vt dictum est supra quaest. 1. Dolor autem , qui non distinguitur à tristitia , est in corpore , & consistit inensione mali , atque contradicit soli appetitui naturali , seu innato. Quod sit in corpore habetur ex Augustino lib. de vera relig. cap. 12. vbi dicit : *Dolorem , qui dicitur corporis , esse corruptionem repentinam salutis obnoxio corruptioni , per peccatum.* Idem Augustinus lib. de natura boni cap. 20. dolorem cumensione confundit , dicens : *Dolorem in corpore facit sensus resistens corpori potenti.* Postremum de dolore pertinente ad appetitum naturalem , seu innatum , colligitur ex eodem Augustino lib. 8. super Genes. ad lit. cap. 14. *Nisi aliquid bonum , ait , remansisset in natura , nullius boni amissi esset dolor in pena.* Ergo dolor est ex natura , & non ex appetitu sensitui. Ergo dolor , seu tristitia non est passio.

2. Tristitia est aliquid vniuersalius quam dolor , eodemque superius : quia tristitia est de malo etiam praeterito , & de futuro , nec non de malo etiam spirituali , ac demum de malo secundum omnes sensus indiscriminatim. Dolor autem est de solo malo praesenti , eoque corporali , vt habetur ex August. lib. 14. de Ciuit. c. 7. & 8. & praeterea dicitur de solo malo secundum tactum. Cum ergo dolor sit proculdubio propriissime passio , oportet tristitiam esse superius , & vniuersalius passione. Non ergo rectè dicitur vniuersaliter , quod sit passio.

3. Pertur

3. Perturbatio est communis omni passioni, vt liquet ex tota q. 1. ac saepe deinceps. Ergo non recte definitur tristitia, quae est passio quaedam particularis, per solam vim perturbatiuam, quasi haec esset differentialis ratio eius.

4. Non est perturbatiuum, quod est causatiuum delectationis. Multiplex autem tristitia est causatiua delectationis, vt apparet tum ex illo Matth. 5. 5. *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*; tum ex August. semel, atque iterum. Quia lib. 3. Confess. c. 2. & lib. 4. c. 5. *Dolor, ait, in spectaculis delectat. Fletus amara res est, & tamen quandoque delectat*. Et lib. de ver. & fals. poenit. c. 13. *semper poenitens dolet, & de dolore gaudeat*. Ergo tristitia non est passio perturbatiua. Eodem recidit non esse perturbatiuum quidquam proueniens ex delectatione, quam dictum est esse quietatiuam. Tristitia autem prouenit saepe ex delectatione. Quia, vt dicit Philof. lib. 9. Ethic. c. 4. *Malus dolet de eo, quod delectatus est*.

5. Tristitia, quae est bona, & salutaris, & opponitur delectationi male, tollit perturbationes, & inducit in animo serenitatem, ac tranquillitatem. Non igitur est de conceptu vniuersali tristitiae, vt sit perturbatiua eius, cui inest. Confirmatur, quia delectatio est impeditiua vsus rationis, vt dictum est q. 19. Ergo tristitia, siquidem est contraria delectationi, est expeditiua, ac promotiua vsus rationis. Non autem perturbat, quod expedit, & promouet vsus rationis.

Respondetur. Eadem ratione, qua dictum est delectationem esse passionem quietatiuam animalis, dicendum est tristitiam esse e contra passionem perturbatiuam animalis. Quia sicut corpus in centro quiescit, atque extra centrum patitur violenciam, & renititur, quantum potest; ita appetituum habito fine, qui appetebatur, nihil molitur amplius, & bene habet. sublato vero eodem fine molitur, quantum potest, vt liberetur ab eo malo, & patitur perturbationem tranquillitati contrariam. Tristitia autem consequitur ad priuationem finis praoptati. Est igitur tristitia ex conceptu suo perturbatiua animalis. Vnde Seneca epist. 88. *qui imperturbatus est, inquit, sine tristitia est*. Et Bernardus in lib. de inter. domo cap. 52. *Tristitia, ait, omnis boni impedimentum est*. Nihil autem excogitari potest, quod ad conceptum perturbationis ita pertineat, sicut pertinet impeditio omnis boni, id est dissolutio ordinis, quo vnumquodque ex sua natura tendit ad omne suum bonum. Hinc apparet rationem passionis vel maxime conuenire tristitiae, quae est in appetitu sensitui. Quia videlicet inducit transmutationem summè repugnantem dispositioni, & temperamento permanenti connaturali respectu animalis. Inducit namque dispositionem, & temperamentum impeditiuum omnis boni, quantum est de se. Dictum autem est supra in communi quaest. 1. rationem passionis sitam esse in eiusmodi transmutatione, & quo maior illa est, eo rationem passionis esse maiorem, atque passionem esse magis proprie talem. Patet igitur, tristitiam esse passionem in summo gradu, eamque summè, ac purè perturbatiuam animalis, adeoque quidditatem eius per haec exponi legitime.

Ad 1. Dolor, & tristitia comparantur, sicut dictum est supra, comparari concupiscentiam, & desiderium, delectationem, & gaudium. Quia dolor proprie, & strictè est de malo sensibili, quatenus cognito per sensum, maxime externum. Tristitia vero est de malo intelligibili, vel etiam sensibili, quatenus praconcepto, ac proposito per intellectum. Vnde tristitia patet latius, quam dolor sub stricta eiusmodi significatione; sicut intellectus, pa-

ter latius quam sensus. Tristitia proinde potest esse de omnibus, de quibus potest esse dolor strictè talis; at non è conuerso. Sumitur nihilominus frequenter vtrique vox pro eodem, cumque eadem latitudine, ac restrictione; ita vt dolor complectatur auersionem omnis indiscriminatim mali praesentis; atque tristitia restringatur ad auersionem mali cogniti per solum sensum. In praesenti autem tam tristitia, quam dolor consideratur directè, quatenus est actus appetitus sensitui. In hoc autem sensu dicitur dolor esse corporis, quia causa doloris est in corpore. Et similiter dicitur dolorem fieri à sensu resistentem, quia sensio mali illati à corpore potentiori est causa auersionis interioris. Nec aliter verificatur, quod postremo opponitur de dolore pertinente ad appetitum innatum. Quia nimirum dolor proprius animalis, qui est in appetitu, consequitur ex cognitione alicuius repugnantis appetitui innato, & auferentis aliqua ex parte dispositionem connaturaliter debitam. Omnes itaque illae sententiae Augustini verificantur, non in sensu formali, sed tantum causali.

Ad 2. Patet satis ex praemissa modò notatione maioris vniuersalitatis tristitiae, quam doloris, coniunctae cum familiari nihilominus eius vocis vsu pro auersione propria appetitus sensitui, quomodo accipitur in praesenti. Quod additur de tristitia circa malum tum praeteritum, tum futurum, reuocabitur ad malum praesens infra q. 25. Quo tristitia appetitus sensitui apparebit coincidens cum dolore sumpto formaliter pro actu eiusdem appetitus, & non tantum causaliter proensione nocimenti afficientis corpus, & pro renitentia eiusdem corporis purè naturali per appetitum innatum; Quo etiam sensu accipitur nonnunquam dolor, sed quia ea acceptio est extranea ab instituto praesenti, propterea praescinditur ab illa in istis quaestionibus, solumque consideratur dolor, vt est actus appetitus sensitui; vnde cumque demum causetur. Nempe vel praecunteensione exteriori mali, vel contristante sola mali imaginatione absque vlla pro tuncensione exteriori nocimenti. Itaque est aliqua tristitia, item & dolor aliquis, qui non sit passio. Sed praescinditur modò ab eiusmodi vtriusque significatione, & vtrique accipitur iuxta significationem vniuersalem vtriusque pro actu appetitus sensitui circa malum praesens.

Ad 3. Dictum est eodem illo in loco transmutationem, & perturbationem, quatenus est communis omni passioni, omnique affectui appetitus sensitui fundari in dependentia eius ab organo corporeo; inque natura eiusdem organi. Tristitia autem hoc habet peculiare, vt sit perturbatiua ipsius animae secundum se. Quia nimirum est actus proprius existentis extra centrum, & carentis fine suo, proptereaque malè habentis, & impediti ab operatione connaturali, seu expetita per se à natura. Praeterea eadem tristitia, quatenus afficit organum corporale, inducit transmutationem, non vtrumque dimouentem à dispositione permanenti connaturali, sed maxime omnium repugnantem illi, ideoque perturbantem in summo gradu. Optima igitur ratione adscribitur tristitiae perturbatio simpliciter, & absolute dicta, tanquam ratio differentialis eius: quia reliquae passiones inducunt perturbationem tantum secundum quid, & coniunctam cum aliqua quiete, & dispositione aliquatenus conuenienti.

Ad 4. Tristitia nunquam est causatiua delectationis per se, & secundum se praecise, sed solum ex adiuncta aliunde cognitione, & amore, aut concupiscentia, seu desiderio alicuius boni. Similiter tristitia oritur ex delectatione per accidens propter adiun-

ctam

etiam aliunde cognitionem, & odium, aut abominationem alicuius mali. Atque in hoc utroque sensu verificantur testimonia obiectionis. Quidditas autem cuiusque rei exponitur per id solum, quod cōuenit ipsi per se, & ex se præcisè. Demum istiusmodi mutarum connexiones, ac resultantiarum delectationis, & tristitiarum innotescunt magis infra, & maxime in quaestione proximè sequenti.

Ad 5. Tristitia, quæ est in appetitu sensitivo, siue sit moraliter bona, siue mala, conformis dictamini rationis superioris, vel difformis, semper vexat animal, quia animal est, idemque facit malè habere sub eadem ratione. Est igitur ex suo conceptu perturbatiua, non quidem vniuersaliter respectu hominis, qua homo est, bene tamen respectu eiusdem, qua animal est. Sub qua consideratione procedit directè disquisitio præsens. Obiectio autem loquitur de serenitate, & tranquillitate rationis, & appetitus superioris, seu voluntatis. Quod ad confirmationem attinet, tristitia non opponitur delectationi secundum rationem mali, quod adiacet eidem delectationi, sed solum secundum rationem boni. Impeditio autem usus rationis pertinet ad malum, ideoque ex tristitia provenire potest non minus, quam ex delectatione, imo provenit ex illa multo magis, quam ex ista, ut infra dicitur.

Q V Æ S T I O XXII.

Utrum qualibet tristitia sit contraria cuilibet delectationi?

Videtur qualibet tristitia esse directè contraria cuilibet delectationi 1. Quia tristitia, & delectatio opponuntur inuicem sicut albedo & nigredo. Sicut enim albedo, & nigredo diuidunt rationem coloris; ita delectatio, & tristitia diuidunt rationem passionis circa obiectum præsens. Quælibet autem albedo est contraria cuilibet nigredini. Ergo & tristitia quælibet est contraria similiter cuilibet delectationi, nempe directè, & per se. Confirmatur, quia quælibet medicina opponitur directè ægritudini, cui medetur. Quælibet autem delectatio habet rationem medicinæ respectu cuiuslibet tristitiæ, ut habetur ex Philosopho lib. 7. Ethic. c. vii.

2. Quælibet perturbatio, & inquietudo opponitur directè cuilibet quieti. Repugnat enim conceptui quietis vniuersaliter inquietudo quælibet, & motio. Dictum autem est delectationem esse quietatiuam, & perturbatiuam tristitiæ ex conceptu vtriusque vniuersali. Ergo quælibet tristitia est impossibilis directè cum quælibet delectatione. Confirmatur ex Philosopho dicente ibidem quælibet tristitia impediri quamlibet delectationem.

3. Puritati boni opponitur directè quodlibet malum: Delectatio autem est de puro, ac solo bono, quatenus habet vltimum complementum boni præsentis & perfectè possessi; tristitia verò est de malo præsentis. Ergo quælibet tristitia opponitur directè cuilibet delectationi. Nempe affectus opponuntur inuicem iuxta oppositionem suorum obiectorum.

Art. 1. Respondetur, Prosecutio, & fuga se habent in appetitu, sicut affirmatio, & negatio in intellectu, ut dicitur lib. 6. Ethic. cap. 2. Affirmatio autem, & negatio ut sic opponuntur inuicem secundum genus suum; Vnde quælibet affirmatio est contraria cuilibet negationi ex genere suo ad eum modum; quo opponuntur inuicem esse, & non esse ut sic. At secundum speciem sola affirmatio, & negatio de eodem secundum idem inuicem opponuntur. Quia

in iis, quæ se habent ad aliud extrinsecum, atque indidem specificantur, oppositio relatorum provenit ex oppositione terminorum. Pater autem, esse cuiusque esse contrarium ipsi non esse eiusdem secundum idem. Eadem ratione affirmatio vnius, & negatio alterius disparatè se habentis ad primum non opponuntur inuicem secundum speciem, sed se habent eatenus disparatè sicut obiecta, circa quæ versantur. Affirmatio verò alicuius, & negatio oppositi vsque adeò non opponuntur inuicem, ut potius inuicem connectantur, atque altera ad alteram consequatur, sicut accidit in eiusmodi obiectis secundum se. Ad calorem enim, & albedinem sequitur exclusio frigoris, & nigredinis respectu eiusdem subiecti. Qua de causa eadem est scientia oppositorum. Eodem igitur modo delectatio, & tristitia de eodem sunt contrariæ etiam secundum speciem; affines verò, & inuicem connexæ, quæ sunt de obiectis inuicem oppositis; & disparatæ, quæ sunt de disparatis. Itaque delectatio de gustabili dulci, & tristitia de eodem sunt contrariæ, atque omnino impossibiles in genere, & in specie. At delectatio de dulci, & tristitia de amaro, aut de non dulci sunt affines, & connexæ secundum speciem, solumque contrariæ secundum genus. Denique delectatio de dulci, & tristitia de dissono, aut fetido, sunt disparatæ secundum speciem; & nihilominus contrariæ similiter secundum genus.

Art. 2. Hinc apparet qualis sit oppositio delectationis, & tristitiæ quoad effectus vtriusque. Pater enim effectus procedentes ex delectatione, & tristitia oppositis inuicem secundum speciem esse similiter oppositos inter se. Effectus vero procedentes ex delectatione, & tristitia non oppositis inter se quoad speciem, atque agentibus secundum rationem specificam, nulla consequenter pugnant inter se contrarietate. At si contingat easdem delectationem, & tristitiæ, non oppositas inuicem quo ad speciem, inducere aliquos effectus virtute actiua conueniente vtrique secundum suam rationem genericam tantum, eadem proculdubio effectus inuicem contrarij, non solum secundum genus, sed etiam secundum speciem. Quia videlicet habebunt rationes suas específicas ex causis inuicem oppositis, agentibus secundum eam tantum rationem, secundum quam inuicem opponuntur. Ex oppositis autem, quæ opposita sunt, non nisi opposita consequuntur. Habent porro tam delectatio, quam tristitia effectum aliquem correspondentem soli virtuti actiue conuenienti ipsis secundum suum præcisè genus. Delectatio enim ex genere suo hoc habet, ut inducat dilatationem organi, dependenter à quo concipitur, & inde reliquarum etiam partium corporis, ut dictum est quæst. 19. Consequenter tristitiæ conuenit ex genere suo, ut inducat contractionem contrariam illi dilatationi. Pater autem opponi specificè dilatationem corporis, & diffusionem sanguinis contractioni corporis, & collectioni, atque constipationi sanguinis, & spirituum vitalium.

Art. 3. Ex his ulterius consequitur, quamlibet delectationem corporalem minui indirectè per quælibet tristitiæ corporalem, tametsi alioquin sit disparata, imo etiam si affinis sit, & connexa respectu eiusdem delectationis. Ratio est, quia dispositio naturalis inducta, per vnumquemque affectum in organo, & reliquis corporis partibus fouet eundem affectum, eundemque promouet, & augeat, ut dictum est supra quæst. 3. art. 4. Et consequenter contraria dispositio organi, & reliquarum corporis partium nocet eidem affectui, eumque minuit. Quod cum sit vniuersaliter verum, est quodammodo manifeste

manifestius in delectatione, & tristitia ratione prænotatæ dilatationis, & contractionis, vtrique respectu conuenientis. Quia rarefactis spiritibus vitalibus, & sensorio, necesse est apparentiam boni delectantis fieri maiorem, ac augustiorem, quatenus species obiecti delectantis inhiens subiecto rarefacto, necessario dilatatur & ipsa in maius spatium, cum omne accidens commensuretur suo subiecto, & consequenter gignit apparentiam maiorem, quam prius. Delectabile autem eo maiorem inducit delectationem, quo maior est apparentia eius in sensu. Ob rationem igitur contrariam necesse est, vt quælibet tristitia minuat dispositionem organi, & phantasia ad actum cuiuslibet delectationis. Quia restringendo, & constipando sensorium, & spiritus vitales, minuit similiter apparentiam cuiuslibet delectabilis, & consequenter quamlibet delectationem. Quapropter quælibet delectatio iuuat dispositionem, modo dicto, ad inducendam, & augendam quamlibet delectationem, & ad excludendam, aut minuendam quamlibet tristitiam; idemque dicitur suo modo de tristitia quælibet respectu cuiuslibet delectationis retardandæ, & fouendæ cuiuslibet tristitiæ.

Art. 4. Istud genus indirecti mutui inuaminis, & mutuae labefactionis delectationum, & tristitiarum corporalium non habet locum in delectationibus, & tristitiis intellectualibus secundum se præcisè consideratis; quia affectus intellectuales concipiuntur absque dependentia immediata ab organo corporali. Quapropter delectationes, & tristitiæ intellectuales nullam habent inter se oppositionem, aut affinitatem, aut vim mutuo se, vel fouendi, vel retardandi, minuendique, nisi quæ provenit ex oppositione, & affinitate obiectorum, circa quæ versantur. Quapropter delectatio consequens ad obiectum propositum per intellectum non potest aut excludi, aut minui, nisi per tristitiam consequentem ad obiectum oppositum, propositum itidem per intellectum, & quo oppositio obiecti ad obiectum erit maior, vel minor, eo etiam erit maior, vel minor oppositio delectationis, & tristitiæ, nec non diminutio alterius per alteram. Quia verò intellectiones, atque contemplationes de obiectis oppositis non sunt inuicem oppositæ, sed magis sunt affines, & connexæ, propterea delectatio de contemplatione veritatis conuenientis alicui obiecto nullam habet oppositionem cum delectatione de contemplatione veritatis conuenientis contradictorio, aut contrario eiusdem obiecti; sed potius altera ad alteram consequitur delectatio naturaliter. Quare delectationi provenienti ex intellectione, & contemplatione veritatis sola opponitur tristitia de eadem vera intellectione, & contemplatione, consequens ad delectationem de falsa intellectione, & contemplatione circa eandem rem. Contingit nihilominus ex delectatione de contemplatione veritatis suboriri tristitiam impeditivam, ac retardativam, atque exclusivam illius; quia intellectus in contemplando dependet obiectivè ex phantasia: quam proinde contingit defatigari, & malè habere propter vehementiam, aut diuturnitatem contemplationis, atque inde subsequi tristitiam directè in appetitu sensitivo, & indirectè in rationali, quo patet minui, aut etiam excludi penitus posse præexistentem delectationem fundatam in contemplatione veritatis. Ex his itaque apparet satis quatenus, & quomodo tristitia sit contraria delectationi; tum vniuersaliter quælibet cuiuslibet secundum genus, idque vel immediatè, vt in corporalibus, vel mediatè tantum vt in spiritualibus, tum particulariter vnaquæque vnicuique,

vel ex parte obiecti tantum, vt in spiritualibus secundum se præcisè consideratis, vel etiam ex parte organi corporalis, vt in corporalibus. Quæ omnia colliguntur ex D. Thoma, & magna ex parte habentur expressè quæst. 35. art. 4. & 5.

Ad 1. Albedo, & nigredo, aliæque qualitates purè physicae non opponuntur inter se per habitudinem ad aliquid aliud extra ipsas, ideoque vel totaliter, & secundum omnem rationem opponuntur inter se; vel, siquidem non ita opponantur inter se, nullam habent vnquam affinitatem, & connexionem mutuam, quæ sunt opposita secundum genus, nec se inuicem minuunt, vel etiam indirectè, sed omninò se habent disparatè. At affectus animæ, quia essentialiter referuntur ad obiecta extra se, atque ex eisdem accipiunt speciem, & suam vnusquisque peculiarem conditionem, & præterea dependent mediatè quoad magnitudinem intensiōnis, ac remissionis à dispositione naturali corporis, maxime verò sensus exterioris, & phantasia; possunt, simul cum contrarietate quoad genus, habere mutuam affinitatem, & connexionem quoad speciem, nec non peculiarem vim sese inuicem remittendi, ac impediendi. Quia nimirum obiecta, ad quæ referuntur, possunt simul cum contrarietate quoad genus boni, & mali, habere connexionem mutuam secundum speciem, vt accessus ad sanitatem, & recessus ab ægitudine; & similiter dispositio corporalis inducta per tristitiam potest esse contraria dispositioni requisitæ ad intensiōnem delectationis, atque è conuerso; tamen alioquin tristitia, & delectatio sint inuicem affines, & connexæ ratione suorum obiectorum, vti expositum est supra. Vnde etiam apparet, quamlibet delectationem habere aliquatenus rationem medicinæ respectu cuiuslibet tristitiæ, propter oppositionem genericam vtriusque, & propter oppositionem specificam inde redundantem in effectus naturales dispositiuos corporis, ex quo desumitur ratio generica accidentium, vt aduertit in hanc rem D. Thomas in dicto art. 4. ad 2. ex lib. 8. met. text. 6. Quod tamen non tollit, quin ratio medicinæ omninò efficacia, penitusque sanantis conueniat, respectu vniuscuiusque tristitiæ, soli delectationi, quæ opponitur illi secundum speciem, vt pote impossibili cum illa totaliter, & non solum quoad gradus aliquos intensiōnis.

Ad 2. Opponitur quidem directè quælibet perturbatio, & inquietudo quieti totali & adequatæ, non tamen quieti tantum partiali, & quoad aliquid. Vnaquæque autem delectatio corporalis inducit quietem animalis circa determinatum aliquod bonum, idque insufficiens se solo ad explendum totum appetitum animalis, & ad excludendum omnem eiusdem indigentiam. Non igitur necesse est quamlibet tristitiam cuiuslibet delectationi esse contrariam simpliciter, & directè; tamen quælibet cuiuslibet contradicat indirectè, & secundum quid. Quod sufficit ad verificandam sententiam illam Philosophi; qui nihil aliud intendit toto fere illo capite, maxime à medio ad finem vsque.

Ad 3. Est quidem purum bonum, saltem naturale, delectatio quælibet sub conceptu comparatiuo appetitiui cum vnoquoque appetibili secundum se præcisè considerato, idque solum conuincit ratio obiectiōnis. Caterum non quælibet delectatio est purum bonum simpliciter, & absolutè, id est absque vlla admixtione imperfectionis, & limitationis, ac insufficientiæ, vt patet in quilibet circa res creatas delectationibus. Vnde fieri potest, imò necesse est, vt non opponatur directè, & simpliciter cuiuslibet ex illis quælibet tristitia, sed tantum quæ est de eodem

eodem secundum idem; reliquæ vero non nisi secundum quid.

QVÆSTIO XXIII.

Virum delectatio quietet magis, quam perturbet tristitia?

Videtur magis perturbare tristitia, quam quietare delectatio. 1. Quia maior est malitia tristitiæ, quam bonitas delectationis, ut patet ex Augustino dicente lib. 83. qq. 36. *Nemo est, qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem.* Quod non fieret, si malum doloris non esset maius, quam bonum delectationis. Maior igitur est vis tristitiæ ad inducendam perturbationem, quæ habet rationem mali, quam delectatio ad inducendam quietem, quæ habet rationem boni; ac proinde perturbatio ex tristitia est maior, quam quies ex delectatione.

2. Actio expugnativa contrarij est intensior, & maior, quam quæ non pugnat cum villo contrario. Hac enim de causa dicit Philosophus lib. 1. Meteor. cap. 2. aquam calidam citius, & fortius congelari. Tristitia autem est affectus repugnans malo, quod est, & quatenus est contrarium animali, atque exclusivum delectabilis. At delectatio consequitur ad bonum conueniens animali secundum se præcisè consideratum, & non quatenus est formaliter exclusivum contristantis. Ergo affectus tristitiæ est vehementior ac intensior quam affectus delectationis, ac proinde effectus formalis perturbandi est maior in illo, quam quietandi in isto.

3. Causarum æqualium æquales sunt effectus. Malum autem, quod est causa tristitiæ, est æquale bono, quo priuat, quodque est causa delectationis. Quia priuatio centum aureorum est malum æquale bono possessionis eorundem, & sic de similibus. Semper enim aufertur tantundem per priuationem, atque ponitur per bonum priuationi contrarium. Ergo tristitia, & delectatio directè contrariæ sunt semper æquales. Eadem autem ratione necesse est, ut effectus quietis, & perturbationis, vtriusque resultantes, euadant æquales.

4. Dolor, & tristitia interior est absolute maior, quam dolor, & tristitia exterior, seu redundans ex corpore in animam, ut docet Diu. Thomas dicta quæst. 35. artic. 7. Dolor autem exterior superat delectationem tum exteriorem, tum etiam interiorem. Primo, quia dolor exterior, si sit vehemens, sufficit ad inducendam mortem, & sæpè inducit. Et tamen nulla delectatio siue interior, siue exterior sufficit ad inducendam vitam. Deinde quævis vehemens tristitia corporalis impedit, absorbetque omnem delectationem, & experientia liquet. Est igitur potentior ad perturbandum tristitia inhini etiam generis, quam delectatio supremi ad quietandum.

5. Maior est effectus corporalis, qui peruenit ad interiora, quam qui hæret in superficie. Effectus autem tristitiæ peruenit interius ad medullas vsque; cum effectus delectationis sit solum in superficie. Vtrumque colligitur ex illo Prou. 17. 22. *Animus gaudens aetatem floridam facit*, quod pertinet ad superficiem: *Spiritus tristis exsiccat ossa*; hoc est intima quæque adurit, perditque. Maior est igitur perturbatio tristitiæ, quam quies delectationis.

6. Virtus superatiua maioris difficultatis prouenientis ex passione in opere virtuoso est nobilior. Nobilior autem est fortitudo, qua vincitur fuga do-

loris, quam temperantia, qua vincitur appetitus delectationis. *Fortes enim, & iusti maxime honorantur*, ut dicit Philof. lib. 1. Rhet. cap. 9. Fortior igitur est, ac vehementior fuga doloris, ac tristitiæ, quam appetitus delectationis; ac proinde tristitia ipsa præualet delectationi, maiorque est effectus illius in suo genere, quam huius in suo.

Art. 1. Respondetur. Eadem ratione, qua dictum est supra, amore esse maiorem affectum, & intensiorem, ac fortiorem, quam odium; dicendum quoque est cum D. Thoma in eadem quæst. 35. art. 6. delectationem esse maiorem affectum, & fortiorem, ac intensiorem, quam tristitiam circa vnumquodque delectabile, & contristabile. Ratio reddit hic eadem, quæ ibi proposita est. Primum nimirum quia causa delectationis est bonum, cui non repugnat esse purum absque vlla mali admixtione. Malum autem, quod est causa tristitiæ, nullum potest esse purum, seu cui nulla sit adiuncta bonitas, vti positum est ex Augustino illo in loco. Purum autem in vnoquoque genere est potentius, quam quod debilitatur ex admixtione oppositi. Ergo delectatio, cuius causa est bonum, est maior ex genere suo, quam tristitia, cuius causa est malum. Deinde etiam in specie, ac in indiuiduo, quia delectabile appetitur ratione sui; malum vero displicet ratione alterius, nempe ratione delectabilis, quo priuat. Mali enim, ut malum est, nulla est actio, nullaque vis motiua; siquidem quatenus malum est, nihil est. Magis autem mouet, quod propter se, quam quod ratione alterius. Magis enim dærit vim vnumquodque suam respectu sui, quam respectu cuiusquam alterius. Præualet itaque in affectu delectabile, quatenus voluitur ratione sui, contristabile, quatenus nolito ratione alterius; Eo vel maxime quia ipsum delectabile mouet ad prosecutionem sui secundum se totum, & secundum omnem rationem conuenientiam respectu appetitus, & appetitiui. At ad auersionem mali oppositi mouet idem delectabile, præcisè secundum rationem contrarietatis, & oppositionis respectu eiusdem mali, seu præcisè quatenus ipsum malum est impossibile cum bono, quo priuat. Patet autem maiorem esse effectum procedentem ab aliquo principio mouente secundum se totum, quam procedentem ab eodem secundum solam aliquam particularem rationem formalem ipsius.

Art. 2. Accedit cognitionem delectabilis quatenus mouentis ad actum delectationis esse maiorem per se, quam cognitionem eiusdem quatenus mouentis ad actum tristitiæ: quia ad actum delectationis mouet quatenus est præsens, adeoque quatenus subest cognitioni intuitiua sui. At ad actum tristitiæ mouet quatenus est absens, adeoque quatenus terminat cognitionem abstractiuam sui. Patet autem cognitionem intuitiuam esse per se maiorem, ac meliorem, quam abstractiuam. Motio autem obiectorum est maior, vel minor iuxta maiorem, vel minorem cognitionem ipsorum: quia non mouent appetitum, ut sunt in se præcisè, sed prout apparent in cognitione; siquidem obiectum appetitus est bonum apparens. Patet igitur affectum delectationis esse per se maiorem, quam affectum tristitiæ, circa vnumquodque delectabile, & malum directè illi oppositum secundum speciem, ut tradit Diuus Thomas dicta quæst. 35. art. 6. ex principio Dionysij cap. 4. de diu. nom. part. 4. *Bonum esse fortius, quam malum.* Quia verò effectus formalis cuiusque formæ eo est maior, quod maior est ipsa forma; atque effectus formalis delectationis est quies, tristitiæ vero perturbatio, ut dictum est supra: concluditur delectationem quietare magis per se, quam

quàm perturbet tristitia directè, ac immediatè contraria secundum speciem.

Art. 3. Contingit nihilominus oppositum per accidens triplici de causa, vt obseruat optimè D. Thomas loco indicato. Primum nimirum, quia contingit cognitionem circa bonum amissum esse maiorem, quàm circa bonum præsens, impellente, ac determinante ad maiorem considerationem, & circumspectionem boni amissi, quoad omnes conditiones eius intrinsecas, & extrinsecas, dolore, & anxietate suborta, ex ipsa amissione boni, quod negligentius consideratur, dum adest, inducitque quietem, & quandam quasi soporem considerationis circa se. Quia de causa dicit Augustinus lib. 10. de Trinit. sub finem, *amorem magis sentiri, cum eum prodis indigentia*. Maior autem sensus amoris inducit maiorem sensum cuiusvis affectus procedentis ex ipso, tanquam ex causa vniuersali omnium affectuum. Ex amore porro coniuncto cum indigentia boni amati procedit tristitia. Hæc igitur est maior per accidens, quàm delectatio propter adiunctam maiorem illi, quàm huic considerationem boni amati, eiusdemque delectabilis. Sed si cohibeatur maior eiusmodi applicatio, & extensio cognitionis, & antequam eadem inducatur, seu dum solus adest primus aspectus mali, maior è conuerso est delectatio, quàm tristitia, vt dictum est; atque hoc est per se, illud per accidens. Secunda causa tristitiæ præualentis per accidens est, quia malum causatiuum tristitiæ opponitur bono magis amato, quàm sit bonum, de quo delectamur. Quia de causa perturbat magis, magisque contristat flagellatio, contusio, aut vulneratio, & quidvis simile, quàm quietet, atque delectet cibis, & quidvis simile. Quia videlicet, priora illa corrumpunt consistentiam corporis naturalem, & tendunt ad interitum, eundemque inducunt, nisi cessent, adeoque opponuntur vitæ ipsi, quæ est maximum bonum, maximèque diligatur inter bona temporalia. Cibis autem, & similia non tantumdem valent ad conferendam, aut etiam conseruandam vitam. Tertia denique causa est, quia tristitia quælibet inducit perturbationem vniuersalem, nec vnâ tantum, sed omnes indiscriminatim delectationes, aut extermminat, aut certè debilitat, minuitque. Delectatio verò non ita dissipat, nec vsque aded minuit, ac debilitat omnes vniuersim tristitias. Quia videlicet, bonum corrumpitur ex quocumque defectu; malum verò solo corrumpitur bono vndequeque completo. His igitur modis tristitia, & perturbatio eius præualet per accidens delectationi, & quieti. Sed quia de vnoquoque dicitur absolutè, quòd ei conuenit per se, & non quòd per accidens tantum; propterea dictum est absolutè, delectationem quietare magis, quàm perturbet tristitia.

Ad 1. Illa Augustini comparatio prælatina doloris supra voluptatem ideò subsistit, quia comparatur dolor de malo tendente ad interitum cum voluptate de bono non æquè sufficiente ad vitam, vt nuper notatum est cum D. Thoma, fuitque iterum obseruatum superius. Cæterum si componatur malum oppositum vnicuique delectabili secundum se præcisè, & absque vltiori aliqndè progressu ipsius mali ad iacturam maioris alterius boni, magisque delectabilis, quale est vita, delectatio præualet per se tristitiæ, vt dictum est. Nec oppositum intendit Augustinus in illo loco, sed potius repellit, vt expendit ibidem D. Thomas. Addit enim, *immanissimas bestias à maximis voluptatibus* (nimirum accidentaliibus, & superadditis voluptati, quæ est de ipsa vita) *abstinere dolorum metu, qui contrariatur vitæ, quæ maximè amatur, & cōsuetè delectat maximè.*

R.P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

Art. 1. Ad 2. Agens purè naturale agit semper, quantum potest. Repugnat porro, vt potentia agentis augeatur ex renitentia passi, & ex causa contraria inexistente eidem passo. Quia renitentia, & contrarietas ex parte passi retardat magis, atque debilitat virtutem agentis. Quia de causa dicitur communiter; *omne agens agendo repatitur*; idest minuitur, dum agit circa passum affectum qualitate, & virtute actiua contraria. Vnde quòd aqua calida citius, & fortius congeletur, quàm frigida, non ex eò provenit, quòd frigidum agat intensius, ac vehementius circa calidam, quàm circa frigidam, vt vult D. Thomas dicta quæst. 35. art. 6. ad 2. atque iterum quæst. 37. art. 1. ad 2. Confirmatur, quòd non sit ea causa velocioris, & fortioris congelationis, quia aqua calida non transit immediatè ad congelationem, sed prius redditur frigida absque congelatione: Ergo si frigidum congelans vehementiorem conatum adhibuisset initio propter inexistentem renitentiam, & contrarietatem ex parte aquæ calidæ, necesse esset, vt ante congelationem remitteret iterum conatum, & intensionem actionis. Cum scilicet, aqua ex calida reddita esset iam frigida, & nondum congelata. Ac proinde effectus congelationis euaderet demum vniformis, ac æqualis, siue præcessisset, siue non præcessisset calor in aqua, quæ congelatur.

Art. 2. Ratio itaque eiusmodi experientiæ est, quia aqua rarefcit per calorem. Calor enim est rarefactiuus: Frigidum verò inductiuum congelationis condensatur valdè per frigus suum sufficiens ad congelandum. Rarum autem, & densum ita comparantur inter se, vt parum materiæ sit in magno spatio ratione raritatis; ratione verò densitatis sit è conuerso multum materiæ in paruo spatio. Quando igitur sibi inuicem occurrunt aqua calida, & corpus frigidum congelatiuum, plures partes frigidi agunt confertim in pauciores partes calidæ, ideòque subsequitur velocior, ac intensior effectus congelationis: sicut sequitur victoria velocior, magisque perfecta ex parte exercitus numerosioris, quia singulis quibusque militibus exercitus minus numerosi correspondent plures milites numerosioris. Accedit prædictum congelationis effectum obseruari, & accidere solere circa aquam calidam manentem immobilem, aut cum paruo, ac lento motu, cum interim frigidum congelans successiuè illi coexistat per alias, atque alias partes succedentes de nouo ad confictum integris viribus, nihilque labefactatis per calorem aquæ, eiusque renitentiam. Hinc rursus accedit motum alterationis fieri velocius vsque ad congelationem, quàm fieri possit localis motus condensationis in aqua, ratione frigoris, quòd in ipsa succedit calori; ideòque congelationem perfici, antequàm partes aquæ condensentur, atque condensatione disponantur ad resistendum congelanti per partes passi æquales numero partibus agentis, quibus cum proportionaliter pugnandum est. Ob hæc igitur videtur negandum assumptum illud objectionis de augmento intensiuo conatus, & actionis ex renitentia passi.

Art. 3. Dici deinde potest, transmissio spontè illo principio, malum contristans repugnare quidem appetitui secundum se, utpotè nocens naturæ eius; non tamen repugnare eidem, quoad affectum tristitiæ. Iuuat enim potius, atque stimulat ad hunc affectum præsentia contristatiui, idemque affectus est conformis inclinationi naturali animalis, ex suppositione mali iam actu nocentis, vt exponitur infra quæst. 26. Quapropter malum contristans non ita comparatur quoad renitentiam cum affectu

E. tristitiæ.

tristitia, sicut comparatur calor afficiens aquam cum actione frigefactiua, & congelatiua: quia calor aquae non solum contrariatur frigido congelenti, sed etiam actioni frigefactiuae, & congelatiuae. Quae ferè est responsio Diui Thomae ad hoc argumentum in praedicto articulo 6. ad 2. Patet igitur non posse, ex hoc capite, affectum tristitiae esse maiorem, ac intensiorem affectu delectationis.

Art. 3. Positio, & ablatio eiusdem boni sunt proculdubio aequales, quoad magnitudinem, & quantitatem, seu quasi quantitatem boni inducti, & exclusi, seu mali impediti, ac illati; quandoquidem terminus positionis, & ablationis est prorsus idem. Verum, quoad vim actiuam, ac motiuam est magna disparitas. Quia bonum quatenus ablatum, ac exclusum, nullam habet actiuitatem, nullamque vim motiuam, cum eatenus nullum habeat esse. Solum itaque mouere appetitum potest ipsum malum, & priuatum esse per rationem boni oppositi praecise, quatenus existentis intentionaliter in cognitione abstractiua sui, & rursus praecise, quatenus incompossibilis cum entitate nociua, eidemque repugnantis. Ex quo duplici capite ostensum est motionem appetitus ad tristitiam esse minorem per se, ceterisque paribus, quam motionem eiusdem ad delectationem. Conceditur itaque vnumquodque malum esse aequale bono, quod priuat, quod ad magnitudinem attinet vtriusque secundum se. Sed negatur eadem aequalitas sub conceptu causalitatis, ac motionis, & formaliter quatenus sunt causae tristitiae, & delectationis.

Ad 4. Distinctio doloris, & tristitiae interioris, & exterioris est purè materialis sub conceptu passionis. Quia vterque dolor, ac tristitia perinde existit in solo appetitu interiori, vt aduertit eo in loco D. Thomas. Distinctio igitur formalis solum est penes principium cognitionis mali. Dolor enim exterior dicitur, qui resultat in appetitu praecunte cognitione mali in sensu aliquo externo, eodemque malo afficiente immediate partem aliquam exterioris corporis. Dolor verò, & tristitia interior dicitur, qui consurgit in appetitu dependenter à cognitione mali concepta per intellectum, aut imaginationem, aut vtrumque, atque dependenter à malo quatenus nocente animae, atque repugnante formaliter appetitui. Quapropter, cum cognitio intellectus, necnon imaginationis sit maior, ac perfectior, quam cognitio sensus exterioris; & similiter malum animae, & appetitus praeualeat per se malo corporis, atque habitudinis exterioris; rectè statuitur à S. Doctore tristitiam interiorem esse per se maiorem exteriori. Sed non rectè subsumitur in obiectione, dolorem exteriorem esse maiorem absolute delectatione, & exteriori, & interiori, cum solum per accidens, & secundum quid maior esse possit. Ad primam rationem in contrarium dictum iam est, malum dolentis non consistere in dolore ipso, & tristitia, sed in obiectione, ad quod consequitur is affectus, cum huius existentia, & subsequutio sit bona, & perfectiua ex suppositione illius. Dolor itaque exteriori non debet contraponi, & comparari delectatio siue exterior, siue interior, sed malo exteriori, quod tendit, & saepe sufficit, ad interitum, debet contraponi, & comparari bonitas vitae, de qua dictum est, esse maiorem delectationem per se, quam sit vlla exterior tristitia. Ad alteram rationem; dolor exterior procedit ex malo coniuncto corpori, atque exensione eius exteriori, quae pariter est maximè corporalis, eaque de causa, & non quia est maior per se, quam dolor interior, magis afficit corpus,

magisque nocet eidem, quam dolor interior. Quia verò anima, dum est vnita corpori, dependet, quoad suos actus à dispositione corporali; consequitur perturbatio vniuersalis, & impeditio omnis delectationis ex vehementi dolore exteriori, nisi subueniat cognitio reflexiua boni maioris redundantis ex passione mali, & doloris exterioris, vt contingit in Sanctis Martiribus, quorum delectatio ex bono intelligibili erat incomparabiliter maior, quam dolor exterior. Dolor itaque exterior solum per accidens potest esse maior, quam delectatio interior, modo superius explicato, art. 3.

Ad 5. Negatur effectum delectationis habere in sola superficie, atque tristitiam afficere intimius. Vterque enim, & interior afficit, & exterius, iuxta qualitatem obiectorum, sed fortius delectatio loquendo per se, vt dictum est. Locus Prouerborum suffragatur potius; quam contradicat huic veritati: Quia aetas florida constituitur per optimam constitutionem totius hominis, quoad interiora, & exteriora, nec flos, seu quasi flos, & prospera hilaritas exterior, subsistere potest absque interiori radice sana, & vigore interiori perfecto. Exsiccatio verò interior ossium est compossibilis cum accidentali aliqua bona dispositione exteriori. Non ergo tantumdem nocet per se tristitia, quantum prodest delectatio, si comparatio sit iusta, quoad vnumquodque bonum, & malum contrarium eidem soli secundum se.

Ad 6. Fortitudo non pugnat cum quolibet indiscriminatim dolore, & malo, sed cum eo solum, quod consistit in periculis mortis, quique ex iisdem suboritur. Temperantia verò soli resistit nimierati delectationis circa cibos, & venerea. Patet itaque comparationem non esse iustam, & secundum idem. Contraponitur enim bono, & delectationi tangibile malum, & dolor interimentum. Vnde ea comparatio est abs re, nihilque concludit. Deberet enim ostendi actum fortitudinis esse affectum fortiorem, quam sit amor cuiusque erga se, cui commensuratur delectatio de vita, seu temporali, seu aeterna. Id autem est impossibile, vt per se patet.

QVÆSTIO XXIV.

Virum sint plures species tristitiae?

Videntur non esse. 1. Quia delectationes non multiplicantur specie, vt dictum est supra cum D. Thoma. Ergo nec tristitia. Patet consequentia, quia totidem sunt bona, & mala, eademque est diuersitas vtrorumque inter se, nec potest esse maior ex parte malorum, quam ex parte bonorum.

2. Si quæ daretur diuersitas specifica inter tristitias, proveniret necessariò ex sola diuersitate specifica malorum contristantium, ac proinde tot essent constituendae tristitiae specie diuersae, quot sunt obiecta contristantia specie diuersa; Quorum enim verò specifica diuersitas excurrit propemodum in infinitum. Nemo autem admittit tantam multipliciter specierum tristitiae, atque est planè dissonum, vt admittatur.

Sed contra est 1. Quia Damasc. lib. 2. fidei orth. cap. 14. & Greg. Nyss. seu Nemes. lib. 4. Philof. cap. 12. assignant quatuor species tristitiae communiter ab aliis quoque receptas, anxietatem, acediam, misericordiam, inuidiam. Quibus alij adiungunt tres alias differentias, poenitentiam, nemesim, zelum.

zelum. Dantur igitur ex communi consensu plures species tristitiae.

2. Actus appetitus, sicut & sensus specificantur ex suis obiectis. Obiecta autem de quibus tristamur, distinguuntur specie multipliciter. Vulnus enim differt specie à febre, & similiter caritas à sorditate, necnon sitis à fame, & nimietas frigoris, à nimietate caloris, & sic de similibus. Necesse igitur est tristitias inde subortas, atque indidem specificatas, esse pariter specie diuersas.

Art. 1. Respondetur. Certum est, tristitiam, quae consequitur ad apprehensionem sensitiuam mali communem homini cum brutis, dissidere specie ab ea tristitia, quae consequitur ad apprehensionem intellectualem, seu cogitatiuam propriam hominis, adeoque superiorem apprehensione purè animali, ac brutali. Quia intellectus, & cogitatio fertur ad obiectum sub ratione formali diuersa ab ea, cuius percipiendae est capax sensus, quae est purè materialis. Ratio autem formalis diuersa ex parte obiecti inducit diuersitatem specificam in actus appetitus: qui videlicet feruntur ad obiectum, prout apparens in cognitione, & specificantur ex eodem quatenus ita apparenti. Quæstio itaque solum superest de multiplicitate specifica tristitiae, quae passio est, & præcisè quatenus est in appetitu sensitiuo.

Art. 2. Dicendum autem est cum D. Thoma qu. 35. art. 8. dolores, seu tristitias proprias appetitus sensitiui omnes esse eiusdem infimae speciei, sumpta distinctione specifica propriè, & strictè, distinguì verò specie quadrupliciter, sumpta distinctione specifica latè, & cum quadam solum appropriatione. Probat utraque pars, quia ratio specifica consistit in additione ad genus. Dupliciter autem contingit superaddi aliquid generi. Primum enim potest fieri additio alicuius pertinentis per se ad ipsum genus, quodque virtute, & potentialiter contineatur in genere, & per quod proinde perficiatur ratio generica, ad eum modum, quo materia perficitur per formam suam, atque eiusmodi additio, siquidem fiat cum diuersitate mutua rationum, quae adduntur, sufficit ad diuersitatem specificam, vt tradit Philof. lib. 8. Metaph. tex. 10. & 11. Si autem additio fiat secundum aliquid extraneum, respectu generis, nec in eo virtualiter contentum, aut perfectiuium eiusdem secundum suam rationem formalem, cui est secundus superaddendi modus; non sufficit ad diuersitatem specificam propriè talem, sed solum ad diuersitatem similem diuersitati specificæ, adeoque sufficit ad diuersitatem specificam solum latè, ac impropiè talem.

Art. 3. Iam diuersitas inter tristitias, quae habent rationem passionis, suntque propriae appetitus sensitiui, nunquam superaddere potest quidquam pertinens per se ad rationem communem tristitiae, atque in eadem ratione communi virtualiter contentum. Quia omnes tristitiae appetitus sensitiui afficiunt animal eodem prorsus modo, atque inducunt transmutationem corporalem eiusdem prorsus rationis, vt insinuatum est supra, & apparebit magis ex quaest. 26. solaque potest intercedere diuersitas penes magis, & minus eiusdem omnino rationis. Quod diuersitatis genus non sufficit ad distinctionem specificam, vt dictum est quaest. 4. de Ang. ad 3. & communiter docetur ab omnibus. Quapropter diuersitas specifica obiectorum contristabilium se habet purè materialiter, sicut dictum est supra de delectabilibus, respectu actuum appetitus sensitiui, quae passiones sunt. Quia videlicet virtus actiua, ac motiua, ex qua sola formaliter dependet vnitas, & distinctio specifica effectuum, est in-

hilominus vniformis, vt apparet ex transmutatione corporali, quae solum differt penes plus, & minus eiusdem rationis, propter diuersitatem qualemcumque malorum plus, aut minus contristantium. Patet igitur nullam esse diuersitatem specificam propriè talem inter tristitias, quae passiones sunt.

Art. 4. Diuersitas autem quasi specifica, & impropiè talis, qualis censetur diuersitas specifica ignis in carbone, & flamma, nempe per applicationem rationis communis ad aliquid extraneum diuersum diuersitate specifica propriè tali, contingit in tristitiis duplici ex capite. Ex parte nimirum obiecti, quod est causa tristitiae, & ex parte effectus consequentis ad eandem. Ex parte quidem obiecti, duplici rursus modo. Quia obiectum tristitiae est malum proprium contristati. Quædam autem tristitia est de malo quidem, sed alieno, & non immediate proprio contristati, solumque reputato tanquam proprio propter coniunctionem amoris, aut amicitiae, aut concupiscentiae. Atque per hoc efficitur species peculiaris tristitiae, quae dicitur misericordia. Quædam verò alia tristitia est, quae non est immediate de malo, nec de proprio, seu bono, seu malo, sed de bono alieno, reputato tanquam malo proprio propter odium bene habentis, atque eatenus excellentis contristato, eundemque deprimentis comparatione sui. Atque per hoc efficitur peculiaris alia species tristitiae, quae dicitur inuidia. Ex parte effectus tristitiae duplex similiter existit differentia: quia effectus tristitiae consistit in quadam fuga appetitus, respectu mali contristantis. Tristitia autem aliquando est coniuncta cum impossibilitate fugiendi malum, quod contristat. Atque per hoc efficitur species tristitiae, quae dicitur anxietas, seu angustia, & græcè achos, nempe affectus aggrauans animum absque vilo aditu refugij, omnique destitutus spè, & possibilitate euadendi. Aliquando verò deest tristitia, non solum ratio, & possibilitas fugæ, sed etiam motus membrorum exteriorum, & possibilitas eadem mouendi vsque adeò, vt ne vocem quidem emittere possit contristatus. Atque per hoc efficitur species tristitiae, quae dicitur acedia, cui nec conuenit ratio fugæ, nec secundum suam rationem differentialem est in appetitu, sed in membris exterioribus corporis.

Art. 5. Istiusmodi porro differentiae notantur à Damasceno, & Gregorio, aliisque communiter in tristitiis potius, quam in delectationibus. Quia, vt aduertit D. Thomas in dicto art. 8. ad 1. ex Dionysio cap. 4. de diu. nom. part. 4. bonum, quod pertinet ad delectationem dicitur vno modo, malum verò multifariam. Cuius vltior ratio est, quod dicit idem Dionysius, bonum esse ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu. Hinc enim fit circumstantias peculiares mali sufficere singulas ad speciale quoddam genus mali; cum proportionales circumstantiae boni seorsim consideratae non similiter sufficiant ad constituendum seorsim bonum quoddam speciale. Quia verò eiusmodi circumstantiae mali praesentis, atque actualiter contristantis reuocantur omnes ad praedictas quatuor differentias, vt patet ex facta sufficienti partium enumeratione, tum ex parte obiecti, tum ex parte effectus tristitiae; propterea merito distinguuntur communiter solae praedictae quatuor species. Nempe tres aliae differentiae, quae assignari solent, poenitentia, nemesis, & zelus ex Philof. 2. Rhet. cap. 9. & 11. reuocantur facile ad species iam expositas, cum D. Thoma in dicto art. 2. ad 2. Et quidem poenitentia, quatenus est passio, non est tristitia de malo praeterito, seu de praeterita mala

mala operatione, nisi præcisè quatenus inde resultat & adest actualiter aliquod malum præsens. Dictum namque est supra, malum purè præteritum, & ex quo nulla superest amplius ratio nocimenti præsentis, esse potius materiam, & causam delectationis. Igitur poenitentia passio solum differt à tristitia communiter dicta, connotatione merè accidentali, & materialiter se habente ad conceptum tristitiæ. Nemesis vero, quæ est de alieno bono temporali, quatenus afficiente, ac perficiente indignum, & zelus, qui pariter est de bono alieno, quatenus comparato cum defectu eius in nobis, vix quidquam differunt ab invidia, ut patet ex præmissa eius explicatione, ideoque comprehenduntur, & sufficienter subintelliguntur sub eadem specie inuidiæ, quæ passiones sunt. Atque per hæc patet sufficienter quid dicendum sit ad rationes dubitandi in utramque partem.

QVÆSTIO XXV.

Utrum solum malum præsens cognitum sit causa tristitiæ?

Videtur non esse. 1. Quia quæ non minuunt causam, non minuunt effectum eius necessarium. Plura autem minuunt tristitiam, quæ non minuunt malum præsens, neque quoad malitiam eius, neque quoad præsentialem. Tristitia enim minuitur per fletum, per compassionem amicorum, per contemplationem veritatis, per somnum, & balnea, ut docet D. Thomas quæst. 38. ab articulo 2. Nihil autem horum minuit malum, de quo est tristitia. Non quidem fletus: Quia ipsum malum est causa flendi. Nulla vero causa minuitur per suum effectum, sed iuuatur magis, atque perficitur. Similiter compassio amicorum non minuit, sed potius auget malum amici patientis. Non quidem minuit, quia compassio est affectus minimè actiuus ex suo conceptu vniuersali, atque ut esset actiuus, sepe compassio est circa malum irremediabile, ac inuariabile, ut circa mortem parentis, & similia, & circa tale malum compassio solet esse maior. Auget verò malum eadem compassio, quia vnusquisque reputat, tanquam particulare proprium malum, amicos suos tristari, ac perturbari, quod est proprium compatientis. Augetur igitur malum patientis per passionem tristitiæ inde redundantis in amicos, eòdemque tribulantis. Manifestius porro videtur contemplationem veritatis nihil valere ad diminutionem mali non consistentis in ignorance, aut inconsideratione eiusdem veritatis. Quia contemplatio veritatis est propria intellectus speculatiui, qui nihil operatur, ideoque nullum malum, nullamque partem mali amoliri potest, præterquam in genere causæ formalis, ut habetur ex Philof. lib. 3. de anima tex. 58. Præterea contemplatio veritatis est in intellectu. Malum, vero, de quo est passio tristitiæ, inest corpori, ac sensui. Quæ autem sunt in diuersis subiectis non opponuntur inuicem, ideoque neutrum eorum minui potest per alterum. Denique somnus, & balnea non medentur cuicunque malo, sed soli indispotioni cuidam corporali; & tamen dicuntur à D. Thoma art. 5. mitigatiua tristitiæ, tanquam remedium eius vniuersale. Ergo causa vniuersalis, & adæquata tristitiæ, non est solum malum præsens, siquidem, hoc minimè diminuto, fieri potest multipliciter, ut illa nihilominus minuat.

2. Plura è conuerso sunt causa doloris, & tristi-

tiæ, quæ non sunt causa vilius mali præsentis, nec secundum se præcisè habent vllam mali præsentis rationem. Quia concupiscentia, & appetitus vnitatis, atque potestas, cui resisti non potest, sunt causa tristitiæ, ut tradit D. Thomas quæst. 36. ab art. 2. ex August. dicente, quoad concupiscentiam in Enchir. cap. 24. *Subintrantibus ignorantia agendarum rerum, & concupiscentia noxiarum, comites subinferuntur error, & dolor*, nempe dolor concupiscentiæ, sicut error ignorantia: quoad appetitum verò vnitatis lib. 3. de lib. arb. cap. 23. *Ex dolore quem bestia sentiunt, satis apparet in regendis, amandisque suis corporibus, quam sint anime appetentes vnitatis. Quid enim est aliud dolor, nisi quidam sensus diuisionis vel corruptionis impatiens?* ac demum, quoad potestatem præualentem, lib. de natura boni cap. 20. *In animo dolorem facit voluntas resistens potestati maiori. In corpore dolorem facit sensus resistens corpori potentiori.* Nihil autem horum trium habet rationem mali præsentis. Non quidem concupiscentia, & appetitus vnitatis: quia utraque consistit in prosecutione boni, ac proinde utraque est bona secundum se. Bonum autem, nec est malum, nec pars, aut augmentum mali. Sed neque potestas, cui resisti non potest, habet rationem mali præsentis. Quia solus effectus talis potestatis, & non ipsa potestas secundum se, nocet ei, qui resistere non potest. Ergo vis causatiua tristitiæ conuenit aliis præter malum præsens.

3. Vnaquæque tristitia, & delectatio illi directè contraria sunt de eodem, ut apparet ex quæst. 22. Delectatio autem est de bono præsentis, ut dictum est supra. Ergo tristitia est de bono absenti, deque eius absentia immediatè, ac formaliter, & non de malo, per quod excluditur, & fit absens ipsum bonum. Confirmatur ex Augustino lib. de octo quæst. Dulcitij cap. 1. ubi dicit dolorem esse de amissione bonorum temporalium. Confirmatur rursus, quia amor est causa tristitiæ, sicut & aliarum omnium passionum, ut dictum est supra. Amor autem est de solo bono. Ergo tristitia est de sola amissione boni.

4. Malum præsens, quod succedit bono præhabito, & de quo delectati sumus, magis contristat, quam quod opponitur bono nondum habito, & de quo nondum vnquam delectati sumus, ut docent experientia, & D. Thomas quæst. 36. artic. 2. C. fine. *Miserius nempe est perdidisse, quam omnino non accepisse*, ut dicit Tertull. de poenit. longè post med. Bonum autem, quod opponitur malo præsentis, fuisse, vel non fuisse præhabito, atque possessum, nihil variat rationem mali præsentis, nec ipsum auget, aut minuit vlla ex parte, quia quoduis malum æque priuat bono opposito, ac proinde æque nocet in vtriusque euentu, ut per se patet. Pauperes enim æque priuat diuitiis, siue præhabitis illæ fuerint, siue non fuerint, & similiter de infamia, respectu honoris, & bonæ famæ, deque aliis eiusmodi. Ergo malum præsens non est tota causa, cui commensuratur tristitia, tanquam effectus ipsius secundum se præcisè.

5. Delectatio præterita sepe est causa tristitiæ præsentis: quia *malus tristatur, quoniam delectatus est*, ut dicit Philof. lib. 9. Ethic. cap. 4. Et confirmatur, quia poenitentia est species quædam tristitiæ, ut dictum est in quæstione præcedenti, Poenitentia autem versatur circa delectationes præteritas. Delectatum autem esse non est malum præsens, sed præteritum: Quia totum malum conueniens malæ delectationi præterit prætereunte ipsa delectatione, cui inest, nec nocet vlla delectatio, quando iam non adest, sed solum nocere potuit, quando aderat. Ergo tristitia non est de solo malo præsentis.

6. Iacula

6. *Iacula praecisa minus feriunt*, est axioma communiter receptum cum plausu, cui suffragantur Seneca epist. 77. Plutarch. in lib. de tranquillit. animi, & Cic. lib. 3. Tuscul. Ait enim Seneca: *Præcogitati malis mollis ictus venit*. Plutarchus: *Homerus iuculento admodum exemplo docuisse mihi videtur, quam vulnificentiora sint ea, quae improniso, inopinatoque feriunt*. *Vlysses namque, &c.* Cicero: *praemeditatio futurorum malorum lenit eorum aduentum*. Atque in hunc sensum sunt plura obuia apud diuersos. Prauidisse autem, vel non prauidisse, nec auget, nec minuit rationem mali, quod accidit, & premit iam praesens. Prauisio enim nihil tollit ex eo, quod prauidetur: alioquin prauisio esset impeditiua, & ablatiua sui obiecti, fieretque, quod est impossibile, vt quod prauidetur, eo ipso non accideret, vel ex toto, vel ex parte, adeoque vt eatenus non esset praenibile. Causa igitur tristitia, & magnitudinis eius est variabilis nulla existente varietate mali praesentis, & magnitudinis eius. Eodem pertinet malum succedens spei praesertim maxime de vitiatione eius, deque consequtione boni oppositi, affligere, & contristare multo magis, quam praesentiam eiusdem mali nulla eiusmodi praecunte spe; cum tamen nec spes, nec desperatio praecedens varient naturam, & magnitudinem mali.

7. Saepè contingit tristitias exurgere de nouo in animo, easque immedicabiles, nullo superueniente malo, quod non prius inesset, quando non inerat tristitia. Quod praeterquam demonstrat satis experientia dicentium, affligi se tristitia, nec sibi apparere vllam eius causam. Confirmatur verbis Cassiani lib. 9. de instit. canob. cap. 4. *Tristitia interdum quoque nullis existentibus causis, quibus ad hanc labem corruiere prouocemur inimici subtilis instinctu tanto repente maiore deprimimur, vt nec carorum quidem, ac necessariorum nostrorum aduentum solita suscipere affabilitate possimus, & quidquid ab eis competent fuerit confabulatione prolatum, importunum nobis, ac superfluum iudicetur, nullaque à nobis reddatur eis grata responsio, vniuersos cordis nostri recessus felle amaritudinis occupante*. Necesse igitur est fateri, tristitiam aliunde etiam prouenire posse, quam ex incursione mali praesentis.

8. Sub conspectu eorundem malorum quidam latantur, & quidam contristantur. Martyres enim letabantur in conspectu tormentorum, & mortis, de quibus plerique alij maxime contristantur; idque propter solam diuersitatem opinionis circa eadem mala. Ergo opinio, & existimatio sola malorum est causa tristitiae potius, quam mala ipsa praesentia, quae cognoscuntur. Qua de causa Epictetus in Enchir. cap. 10. sapienter pronunciat: *Homines perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus*.

Art. 1. Respondetur. *Expectatum malum timorem constituit, praesens vero tristitiam*, inquit Damasc. lib. 2. fidei Orth. cap. 12. eique subscribunt omnes alij. Confirmatur, quia opposita sunt causa oppositorum. Dictum autem est supra, causam delectationis, cui opponitur tristitia, esse bonum praesens. Ergo causa ipsius tristitiae est similiter malum praesens, quod opponitur bono praesenti. Supponitur vero utrobique cognitio representans, & bonum, & malum, vt praesens. Quia omnis affectus, omnisque actus appetitus dependet ex obiecto pro vt representato, & apparenti per cognitionem sui. Tria itaque concurrunt ad tristitiam; ratio mali, quae est communis omni affectui auersatiuo, ac fugitiuo; ratio praesentis, quae specialiter pertinet ad tristitiam; ac denum cognitio, quae praecise quatenus representat malum est similiter com-

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

munis omni affectui fugae, & auersionis, quatenus vero superaddit circumstantiam praesentia-
tatis, mouet specialiter ad tristitiam. Quapropter ex augmento cuiuslibet ex his tribus redundat caeteris paribus augmentum proportionale tristitiae; & similiter redundat diminutio eiusdem ex diminutione cuiuslibet ex iisdem.

Art. 2. Hinc colligitur, ea omnia esse causatiua tristitiae mediatè, vel immediatè, respectu cuiusque, quae sunt mala, ac nocua eodem modo, quaeque sunt inductiua cognitionis nocuenti; idque eò magis, quò sunt magis nocua, aut inductiua maioris cognitionis nocuenti. Ex quo rursus colligitur mala spiritalia esse per se causatiua maioris tristitiae, quam mala temporalia. Quia videlicet illa sunt maiora mala incomparabiliter, vtpote nocentia animae immediatè, aeternumque nocentia ex sua, eiusdemque animae natura, quam ista, vtpote nocentia immediatè corpori, & habitura finem intra tempus determinatum. Verum, quia cognitio sensibilium est maior in plerisque, quam cognitio intelligibilium, ac spiritalium; tristitia in plerisque est maior circa mala temporalia, quam circa spiritalia. Quia videlicet regula proxima, ac immediata, iuxtaque mensura cuiusque affectus est cognitio, qua dirigitur. Videantur, & applicentur quae dicta sunt in simili quaest. 18. ad 9. Indidem postremo colligitur, quatenus sint impeditiua, ac diminutiua tristitiae. Ea nimirum omnia, quae impedire, aut minuere valent, vel praesentiam mali, vel eius cognitionem. Maxime vero confert impeditio, ac diminutio cognitionis mali propter rationem modo indicatam. Quia nimirum cognitio, & consideratio mali est tota vis proxima, & applicatio eiusdem ad inducendam tristitiam, ideoque rebus existentibus iisdem contingit variari affectus delectationis, & tristitiae, & vtrumuis existere maiorem, vel minorem, iuxta naturam existimationis circa qualitatem nocentem, vel proficuum cuiusque obiecti, & iuxta magnitudinem, ac tenuitatem eiusdem existimationis, seu praecognitionis, atque Considerationis. Omne igitur impedimentum, seu, vt dicitur communiter, remedium tristitiae ad hoc denum reuocatur, vt impediatur, aut minuatur cognitio mali praesentis, & magnitudinis eius, vt apparebit distinctius ex responsionibus argumentorum in contrarium praesertim primi, & secundi.

Art. 3. Praedicta tristitiae causa reuocari potest ad operationem naturalem impeditam; Cum quia nimirum, vt impedita, est conuertibile re ipsa omne malum. Eadem namque ratione, qua dictum est superius quaest. illa 18. cum Philosopho, & Diuo Thoma, causam delectationis esse operationem naturalem non impeditam, dicendum quoque est, causam tristitiae esse eandem operationem quatenus impeditam. Quia vero operatio naturalis, seu exigita à natura cuiusque per se, eiusdemque perfectiua, maxime omnium impeditur per oppositam malam operationem, eandemque repugnantem absolute appetitui innato operantis, ipsiusque deterioratiua; concluditur operationem malam esse per se contristatiua praeteris omnibus, eoque magis, quò deterior ipsa fuerit, ac intensior. Caetera vero eatenus sunt contristatiua, quatenus sunt, aut impeditiua operationis bonae, ac perfectiuae, aut insuper inductiua operationis male; & eò magis, quò propinquius, ac efficacius praestant vtrumuis, aut vtrumque. Cum enim finis cuiusque sit operatio eius, vltimus quidem, quae est perfectissima, immediatus verò, & intermedius, quae ad illam confert, ac perducit; nec fieri possit, vt quisquam male habeat, vllamue patiatur tristitiam,

nisi

nisi quatenus dimouetur à fine, & centro suo, atque impeditur, quominus eò perueniat; fieri utique non potest, ut male quis habeat, utque tristetur, quin impediatur, & nisi quatenus impeditur, quominus bene operetur iuxta exigentiam naturæ suæ. Causa itaque tristitiæ est malum præsens cognitum; atque hoc constituitur per impeditiorem operationis connaturalis, seu bonæ, ac perfectiæ, respectu cuiusque.

Art. 1. Ad 1. Conceditur quod est manifestum, non posse minui, aut impedi effectum, non impedita, aut diminuta causa eius necessaria. Sed negatur non esse diminutiua mali præsentis, aut cognitionis eius, quæ dicuntur in obiectione, & verè sunt diminutiua tristitiæ. Atque in primis fletus, & lacrymæ minuunt malum præsens, eiusque existimationem. Primò quia per emissionem lacrymarum inducitur imaginatio mali exterius emissi, & depulsi, ac dissipati. Secundò quia fletus, & ilacrymatio est operatio conueniens contristato, qualis. Tristitia enim est compressiua corporis, ut infra dicitur, & sicut delectatio dicta est superius dilatatiua eius. Corpus vero abundans humore, quale est humanum, ex naturali sua exigentia illum emit, dum multum comprimitur. Qualibet autem operatio conueniens est delectabilis operanti, ut dictum est; atque qualibet additio boni, & delectationis est diminutio mali, & tristitiæ. Tertiò quia fletus, & qualibet alia manifestatio exteriori mali interius prægrauantis, ac contristantis est inductiua compassionis in aliis, atque adeo remedij aduersus malum præsens, ut mox subinferetur distinctius. Quod autem est inductiuum remedij malorum per se ipsum formaliter, est diminutiuum eorundem. Quia qualibet accessio ad remedium est aliquis recessus à malo. Postremò quia contingit eiectione humoris lacrymosi degravari, ac alleuari cor, & caput. Quod idem pertinet ad diminutionem mali.

Art. 2. Neque vero hinc sequitur, causam tolli, vel minui per suum effectum, quia causa fletus, & lacrymarum non est ipsum malum contristans secundum se, sicut bonum delectans secundum se est causa risus, & tripudij. Dictum enim est, mali, qua malum est, nullam esse causalitatem, nullamque vim motiuam. Motiuum igitur, & causa, tum immediata tristitiæ, tum mediata fletus, & doloris est bonum delectabile, quatenus repugnans malo præsentis, atque impossibile cum eodem, & impeditum per idem. Vnde sicut bonum delectans est contrarium malo contristanti, ita tristitia est affectus renitens, ac contradicens eidem malo, atque ab eo refugiens. Mirum igitur non est, effectum fletus, & lacrymarum procedentem immediatè ex tristitiâ, quæ repugnat, ac renititur contristabili, contradicere eidem contristabili, ipsumque proinde minuire immediatè, & consequenter minuire indirectè, ac mediatè ipsam tristitiam, cum ob contrariam rationem risus, & tripudij augeat e conuerso rationem boni, & consequenter delectationem, ac letitiam. Nec enim repugnat causam aliquam minui modo dicto indirectè per suum effectum, quando & causa, & effectus sunt conuenientes subiecto, non per se, & absolutè, sed tantum ex suppositione, cui absolutè repugnat, & contradicit quantum potest ipsum subiectum per omnem suam actionem. Hinc enim fit, ut tristitia ipsa in hoc incumbat tota sua vi, ut excludat præsentiam mali, ad quam subsequitur.

Art. 3. Iam compassio amicorum valet, & ipsa ad minuendam tristitiam præcisè, quatenus minuit rationem mali, respectu patientis. Minuit vero pri-

mò, quia affectus compassionis est conueniens amicis ex suppositione mali prementis, ac contristantis amicis. Laudantur enim amici compatiens, & vituperantur, qui non compatiuntur amico. Dictum autem est supra, operationes conuenientes iis, quos quis amat, & vnde illi laudantur esse delectabiles amanti, propter vim vnituiam amoris. Quodlibet porro delectabile, & qualibet delectatio minuit malum, & tristitiam. Secundò sicut vnusquisque per tristitiam de malo proprio disponitur, ac stimulat ad pellendum malum, de quo tristatur; ita compassio, quæ est quædam contristitia, disponit, ac stimulat amicos compatiens, ut operentur quantum possunt ad exclusionem, aut compensationem mali affligentis amicis. Quò autem sunt plures causæ dispositæ, & inclinatæ ad exclusionem mali, aut ad eius compensationem, eò malum reputatur minus. Hinc fit compassionem amicorum tunc valere magis ad minuendam, mitigandamque tristitiam, quando malum, quod contristat, est auferibile, vel compensabile, seu quoquo modo reparabile; idque plus, minus, prout contigerit, maiorem esse, vel minorem possibilitatem, ac facilitatem oblationis mali, vel compensationis. Quod si malum sit prorsus irremediabile, ac incompen-sabile, compassio euadit minoris sufficientiæ ad diminutionem tristitiæ in amico; sed valet tamen tunc etiam aliquid ad illam, non solum ex priori illo capite, sed etiam ex isto posteriori, quatenus compassio amicorum animaduersa à patiente, gignit in eo apprehensionem, & imaginationem causæ ablatiæ sui mali, quandoquidem compassio ad hoc tendit ex sua natura, & operatur quantum potest in ordine ad idem. Ex his apparet ratio, ob quam compassio amicorum valeat magis ad minuendam, quam ad augendam tristitiam patientis, tametsi negandum non sit eam indidem augeri posse secundum quid. Quia compassio, cum sit tristitia quædam, perturbat compatiens amicos, & eatenus facit illos male habere. Atque hinc resultare potest tristitia aliqua in ipsum patientem, ex compassione reciproca, atque reflexa, ideoque augeri inde potest secundum quid tristitia præexistens. Verum quia eadem compassio hic, & nunc, & ex suppositione mali, & contristationis affligentis amicis, est conueniens compatiens, iidemque sunt indidem laudabiles, & quia eadem compassio est bona, atque utilis patienti, atque in vnoquoque præualet affectus ad bonum proprium auersioni mali alieni, ceteris paribus; concluditur vim consolatiuam, ac lenitiuam doloris præualere in compassione amicorum virtuti contristatiæ, quæ inest eidem. Quia videlicet compassionis inest plus boni, quam mali, respectu patientis.

Art. 4. Valet præterea compassio ad minuendam tristitiam independentem etiam ab eo, quod minuat rationem mali contristantis. Quia nimirum independentem ab hoc gignit imaginationem mali quasi distributi, ac diffusi in alios, ac proinde prementis, & aggrauantis minus ipsum patientem, quam si solus ferre deberet totum mali pondus aggrauatiuum cordis, toriusque inde hominis. Quæ est ponderatio D. Thomæ quæst. illa 38. art. 3. ex Philosoph. lib. 9. Ethic. cap. 11. Ad eandem insuper variationem apprehensionis pertinet, ut aduertit idem cum eodem, quod signa exteriora compassionis sunt indiuisim signa amoris, quo patientem prosequuntur compatiens. Amari autem est delectabile amato, quia est maximum eius bonum, ut dictum est non semel quæst. 8. & 9. atque qualibet noua cognitio boni delectabilis gignit aliquam nouam delectationem, quæ ex genere suo est diminutiua cuiusvis

enim solum tristitia, ut liquet ex quaest. 22. Itaque compassio amicorum solum est diminutiva tristitia, quia est diminutiva vel mali contristantis, vel cognitionis eius, vel quatenus inducit augmentum cognitionis circa bonum delectabile.

Art. 5. De contemplatione veritatis vix necesse est quidquam dicere. Manifestum siquidem est, contemplationem veritatis & esse maximum quoddam bonum contemplantis, eiusdemque maxime perfectum, ac proinde valde delectabile eidem, & similiter esse praeditam vi diuersa attentionis ad malum contristans, ideoque esse diminutivam cognitionis circa malum. Dictum autem est saepe, qualibet delectatione vndeunque consurgente minui saltem indirecte quamlibet tristitiam; atque operationes eiusdem hominis esse impossibiles in gradu intenso, quando non sunt inuicem subordinatae, tamen procedant ex diuersis potentijs, seu fiant cooperantibus diuersis instrumentis, quatenus anima, quae principaliter ubique operatur, est eadem, minusque sufficit ad plura, quam ad pauciora, ideoque intenta, ac intensa contemplatione veritatis impeditur quominus multum attentionis impendat malo sensibili. Ergo hic etiam augetur bonum contristati, quod est diminutivum mali totius praesentis, & minuitur cognitio mali, quod superest.

Art. 6. Demum somnus, & balnea non sunt remedium, seu quasi remedium vniuersale cuiusvis indiscriminatum tristitia; neque id intendit in illo art. 5. D. Thomas, ut patet ex ratione, qua vitur. Dicit enim per somnum, & balnea reduci naturam ad debitum statum, quae reductio est bona, & delectabilis, & consequenter est diminutiva mali, & tristitia. Patet autem non reduci naturam ad debitum statum per somnum, & balnea, quando libet, & in qualibet praesentia dispositione, adhibita, Quia somnus aliquando nocet, ut febricitanti, item & balnea, ut laboranti excessu qualitatis, cuius fouenda vim habent eadem balnea. Ergo haec etiam duo tunc, & eatenus praecise valent ad minuendam, mitigandamque tristitiam, cum, & quatenus valent ad minuendum malum praesentis, aut eius apprehensionem, & cognitionem.

Art. 1. Ad 2. Ratio mali consistit in priuatione boni debiti, ut dictum est quaest. 29. de act. hum. Vnde, quod aliquod bonum est alicui magis debitum, eo eiusdem boni priuatio habet rationem maioris mali, respectu eiusdem subiecti; utpote eo ipso repugnans magis exigentiae, & inclinationi eius, atque dispositioni ad ipsum bonum. Patet autem concupiscentiam boni esse peculiarem quandam bonam dispositionem ad bonum concupitum, atque in illa contineri peculiarem inclinationem, & conatum ad istud. Consequenter appetitus vnitatis continet in se similem dispositionem, inclinationem, & conatum, respectu omnium bonorum appetentis. Quia appetitus vnitatis est concupiscentia vnitatis, & coniunctionis cum iis omnibus, ex quibus consurgit perfectio appetentis vnitatem. Concupiscentia igitur, & appetitus vnitatis ideo augent tristitiam circa malum praesentis, quia augent rationem malitiae, & nocuenti in eo, quod priuat bono concupito, eademque est ratio de spe, necnon de amore.

Art. 2. Iam potentia, cui resisti non potest, ea sola dicitur, quae est illatiua nocuenti. Quia, respectu potestatis beneficae, qua benefica est, nulla est resistentia. Neque quidquam nocet, cui resisti potest. Omne namque nocuentum accedit renitente passo, atque adeo succumbente virtuti causae nociuae, qua nociua est, tamen alioquin sit debilis, aut etiam absolute debilior, quam sit patiens. Praesens

autem existentia causae nociuae, & praesentis, qua nociua est, est malum quoddam iam praesens. Quia quaelibet appropinquatio, & imminetia mali est malum quoddam, sicut quaelibet appropinquatio boni, & dispositio quaelibet ad illud inducendum, est quoddam bonum praesens. Igitur potestas, cui resisti non potest eatenus est causa tristitia, quatenus per seipsam formaliter est malum quoddam iam praesens, licet nondum noceat, quantum nocet, cum reducitur ad actum secundum. Itaque concupiscentia, & appetitus vnitatis sunt bona secundum se, sed ratione vtriusque redditur magis mala, magisque displicens priuatio boni appetiti, & concupiti: Potestas vero nociua, eademque irresistibilis est mala respectu comparatione insufficientis ad resistendum, tamen ipsi potenti sit bona, eundemque perficiat.

Art. 1. Ad 3. Amissio boni, & praesentia mali nihil differunt re ipsa inter se. Quia omne malum consistit in priuatione boni, ut dictum est. Patet autem priuationem boni non excludere ipsum bonum, quin eadem priuatio adsit; nec fieri posse, ut adsit priuatio mali, quin eo ipso absit, & amittatur bonum. Perinde igitur est, quod ad rem ipsam attinet, ut dicit D. Thomas quaest. 35. art. 1. initio, praesentiam boni esse causam tristitia, atque causam eiusdem esse amissionem boni. Adscribitur nihilominus tristitia praesentiae mali potius, quam absentiae boni, ut aduertit ibidem subtiliter D. Thomas, quia affectus omnes, atque adeo, & tristitia feruntur ad res, & priuationes rerum, non ut sunt in seipsis, sed ut apparent in apprehensione, & cognitione praevia. Malum autem apprehenditur per rationem ad modum cuiusdam habitus, & entitatis distinctae a pura amissione boni, eaque de causa ipsum malum, ipsaque amissio boni, quatenus sic apprehensa dicitur communiter ens rationis. Cum ergo tristitia sit fuga quaedam virtutis appetitivae propria; fuga autem, & recessus sit proprie, respectu mali, ut malum est, ex quo ipsum malum apprehenditur ad modum entis cuiusdam diuersi a pura boni amissione; patet tristitiam referri formaliter ad praesentiam mali potius, quam ad amissionem boni. Ratio porro obiectionis, & confirmationes illi superadditae solam conuincunt realem indistinctionem iam sponte concessam obiecti contristantis ab amissione boni, atque realem inclusionem priuationis boni in praesentia mali.

Art. 2. Solum hic obiter notari praeterea potest bonum, de cuius absentia tristamur, & quod si adesset, perficeret intrinsece, aliquando tolli per aliquid pure extrinsecum contristato aliquando per aliquid impossibile coniunctum eidem contristato, ipsumque afficiens intrinsece. Gustus enim cibi dulcis potest auferri, & per gustum cibi amari, & per solam causam extrinsecam ablativam cibi dulcis, quin ingerat amarum. In priori autem euentu tristitia potest adscribi magis malo sub conceptu amissionis boni; in posteriori vero sub conceptu praesentiae mali. Quia nimirum in posteriori euentu ad est maius fundamentum apprehendendi rationem formalem mali ad modum habitus, & entis cuiusdam specialis, quam in euentu priori. Et praeterea ratio mali est maior, quando afficit intrinsece, quam quando denominat priuatum extrinsece modo dicto. Quia, videlicet, difficillius inducitur bonum, cuius oppositum intrinsece afficit, quam quod solum auferitur per aliquid extrinsecum. Maior autem remotio a bono, maiorque difficultas reditus in ipsum est deterior, ut per se patet; quidem inde augetur, ac intenditur, seu quasi intenditur priuatio boni, in qua malum consistit.

Ad 4. Quod auget cognitionem boni, auget consequenter cognitionem etiam mali oppositi. Experiencia autem boni præhabiti, & delectationis inde perceptæ perficit cognitionem circa vtrumque. Malum igitur succedens possessioni, & experientiæ boni præhabiti, idem contristat magis, quia est maior per se cognitio eius, quam si non præcessisset possessio boni, & delectatio de eodem; tamen si malum ipsum secundum se sit æquale, seu potius idem. Præterea vnumquodque bonum ipsa sui præsentia, & possessione fit specialiter proprium habentis, eidemque redditur quodammodo magis debitum, Carentia autem boni eò est deterior, respectu cuiusque, quod maior est ratio debiti, & proprietatis, respectu eiusdem; siquidem ratio mali consistit in ratione boni debiti, quatenus debiti, ac proprii. Possidisse igitur bonum idem auget tristitiam circa malum oppositum, quia auget vel eius cognitionem, vel rationem malitiæ in eo reperiæ: variata nempe circumstantia, tamen si substantia maneat eadem, quam solam considerat obiectio, ideoque considerat defectuosè.

Ad 5. Penitentia, sicut & verecundia consequens ad delectationes præteritas turpes, quæ solæ sunt propriæ malorum, qui propterea soli dicuntur a Philosopho tristari, quia delectati sunt, non proficiuntur ex delectatione præterita, quæ præterita præcisè est, seu quatenus est pura præterita, vt apparet in Beatis, quos tamen memores priorum peccatorum, quæ commiserunt delectationis gratia, perque delectationes turpes, nulla nihilominus vel leuissima angit tristitia, sed potius delectantur de peccatis quatenus deletis, atque de delectationibus illicitis quatenus compensatis per subsequenter penitentiam, & per opera poenalia. Delectationes igitur præteritæ solum possunt esse causa tristitiæ præsentis, quatenus memoria illarum coniungitur eum cognitione mali alicuius præsentis, vel præsentis imminentiæ mali (quæ etiã ipsa est malum aliquod præsens) resultantium ex delectationibus præteritis, vel causaliter, vel occasionaliter. Sæpe enim abeunte delectatione manent infamia, pauperies, & defectus salutis corporalis per illam inductæ. Manent etiam, idque præcipuè, habitus vitiosi, qui sunt maxime nociui, reatus poenæ temporalis, & æternæ, & ira Dei illatiua vtriusque, nec non ira, aut vindicta hominum indidem concitata. Horum itaque præsentia malorum est causa tristitiæ, quæ adscribitur delectationi præteritæ tamquam illorum radici. Vnde prætereunte mala delectatione præteritæ malum, & vis nociua illi conueniens in genere causæ formalis, non verò quæ conuenit eidem in genere causæ efficientis, ac demeritoriæ. Quapropter, quæ præterita præcisè est, terminat solum odium, tristitiam verò, quatenus manet adhuc in effectu.

Art. 1. Ad 6. Non quælibet iaculorum præuisio, & præmeditatio futurorum, seu imminentiæ malorum est idonea, ac sufficiens ad minuendam tristitiam, cum ea euenerint, nec proinde est in consilio sapientum, vt præcogitentur quælibetque, & quatenus mala præcisè sunt. Nempe hoc modo præconsiderata valent magis ad augendam tristitiam. Qua de causa reprobatur à Christo Domino eiusmodi præcogitatio malorum, dum dicit Matt. 6. 34. *sufficit diei malitia sua*. Ea igitur sola præmeditatio malorum imminentiū est utilis ad lenimentum, & diminutionem tristitiæ in tempore, per quam simul ponderantur utilitates, & commoda, quæ ex istis malis colligi per prudentiam, aliasque virtutes, & maxime per patientiam possunt, iuxta illud Iacobi 1. 2. *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis*. Eodem

pertinet illud Pauli ad Philipp. 1. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum, vt in eum credatis, sed etiam, vt pro eo patiamini*. Sæpe etiam contingit, vt ex paruo infortunio proueniant magna commoda etiam temporalia, iuxta illud Senecæ lib. 1. de tranquillitate, cap. 9. *Calamitates interdum in remedium cessere, & lenioribus incommodis graviora sanata sunt*. Iuuat similiter ad mitigandam tristitiam præconsideratio malorum coniuncta cum agnitione propriæ dignitatis illa subeundi, necnon malorum anima ex continuata, nunquamque interrupta prosperitate fortunæ, & abundantia delectabilium. Vnde est illud eiusdem Senecæ epist. 86. ex Demetrio: *Nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione, atque incurso firmitatem animi tuientes, sed in otio inconcussio iacere non est tranquillitas, sed malitia*. Attalus item Stoicus, subdit præterea, *dicere solebat: Malo me fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat*. Et rursus in lib. de prouidentia ante medium ex eodem Demetrio: *Nihil mihi videtur infalcius eo, cui nihil unquam euenit aduersi*. Et iterum paulo post: *Miserum te iudico, quod non fuisti miser. Transisti sine aduersario vitam*.

Art. 2. In hunc igitur modum oportet præmeditari mala imminentiā, iuxta consilium illud diuinum Eccl. 11. 27. *In die bonorum ne immemor sis malorum*, Nec aliò respicit grauis illa sententia Ambrosij lib. de Noe, & arca cap. 31. *Sapiens non solum præterita recordatur, sed etiam futura considerat*. Sapienter utique, & secundum præindicatam prudentiæ normam. Eiusmodi autem præuisio, & præmeditatio futurorum malorum ideo minuit tristitiā, cum ea euenerint, quia facit, vt apparentia malitiæ sit minor. Quia scilicet sapiens præmeditatio, quæ præcessit, facit, vt ad accursum mali iam præsentis non sola subsequatur cognitio malitiæ secundum se, sed etiam cognitio bonorum, quæ inde resultare possunt, necnon circumstantiarum, & rationum, ob quas ratio mali, & nocuenti re ipsa est minor, quam appareat ad sensum, & appareret pariter intellectui, si non esset sapienter præmunitus modo dicto. Falsum igitur est præuisione, & præmeditatione malorum, quæ est utilis ad minuendam tristitiam, non minui tantum ipsa mala, vel quoad circumstantias aliquas obiectiuas eorum, vel certe quoad apparentiam eorundem, penes quam est proxima vis causatiua tristitiæ.

Art. 3. Confirmatur hic discursus, & ratio diminutionis tristitiæ, ex præuisione malorum, per comparisonem cum iis, qui mala futura imprudenter considerant, nempe ponderando omnem, & solam, puramque rationem malitiæ. Hi enim tali malorum præmeditatione augent eò conuerso tristitiam, quæ alioquin futura fuisset minor ad præsentiam eorundem malorum. Eiusmodi hominum ingenium, ac prauum studium exprimit optimè Plutarchus in moralibus, dicens: *Vt musca à leuibus locis, veluti speculis, dilabuntur, asperis autem, & cauis insident, sic quidam bonorum obliti, tristitiam memoriam urgent, ac premunt; nocenter utique, & cum augmento tristitiæ*. Eadem porro ratio est de præmeditatione, & quasi prædiuinatione eorundem tristitum; Præuisio igitur iaculorum est ex se indifferens ad maiorem, & minorem ictum illorum, solaque determinatur sapienti consideratione præindicata adiacentium bonorum, vt ictus sit minor, ac mollior. Quod attinet ad augmentum tristitiæ ex præexistenti spe, eandem habet responsionem, cum ea, quæ data est supra ad 2. circa concupiscentiam.

Ad 7. Quandocumque irrepit de nouo tristitia, nulla existente nouitate mali sensibilis exterius, irrepit etiam de nouo cogitatio aliqua malorum ante præexistentem

præexistentium, quæ prius non aderat, aut non aderat tam intensa. Quod plerumque saltem contingit præualente, de nouo, aliquo humore, aut dispositione corporali peculiariter nociva, ratione cuius apparentia bonorum, quæ bona sunt, aut extinguitur, aut extenuatur, & contra apparentia malorum, aut inducitur de nouo, aut augetur, propter perturbatam, aut confortatam phantasiam: Cum enim species impressæ materiales bonorum, & malorum insideant subiecto corporeo, atque hoc sit dilatabile, & constringibile per rarefactionem, & condensationem, & similiter sit transferibile de loco in locum ratione leuitatis, & gravitatis sibi adiunctæ de nouo, quarum variatio consequitur necessarîo ad variationem raritatis, & densitatis; fieri planè potest, vt tam bona, quàm mala sortiantur nouam in phantasia, atque inde in intellectu apparentiam, aut nouum præexistentis apparentiæ augmentum, ac intensiorem, nulla licet superueniat nouitas ipsorum aut bonorum, aut malorum secundum se. Nouam quidem apparentiam propter remotionem, & applicationem, respectu sensorij eorum spirituum vitalium, quibus inhaerent aliæ, atque aliæ species diuersorum obiectorum. Apparentiam verò maiorem, propter dilatationem, aut constrictionem nouam eorundem spirituum vitalium, ad quas consequitur similis dilatatio, & constrictio earundem specierum impressarum, ac demum apparentia, & cognitio maior, & minor obiectorum, quorum sunt illæ seu species, seu phantasmata. Quia vero huiusmodi variatio cognitionum contingit nonnunquam absque vlla variatione obiectorum in sensibus exterioribus, & absque vlla reflexione supra expositam modo variationem, & humorum, & apparentiarum; propterea euenit nonnullos fateri se contristatos de nouo, simulque negare nouam causam contristationis, nouamque, tum existentiam, tum apparentiam mali præsentis, quo contristentur. Caterum re ipsa semper existit nouum malum cum noua apparentia ipsius, aut saltem noua apparentia, vel intensio apparentiæ mali præsentis, quoties irrepit de nouo aliqua tristitia, aut intensio eius, modo, explicato. Quod vsque adeo non labefactat, vt confirmet potius sententia illa Cassiani. Dicit enim, quando irruit labes tristitiæ, nullis existentibus causis, id fieri inimici subtilis instinctu. Instinctus enim, sicut & suggestio in cognitione totaliter consistit, quam ingerit de nouo idem inimicus per prædictam remotionem, & applicationem, dilatationem, & constrictionem spirituum, & specierum, atque phantasmatum. De qua illius in corpore, & animo nostro potestate dictum est distinctius qu. 31. de Angelis art. 5. & qu. 32. art. 6. & qu. 9. de gratia.

Ad 8. Qui latentur, & qui contristantur nunquam eadem omnia considerant, & actu cognoscunt, tametsi fieri possit, vt idem prorsus vtrisque insit sensus exterior malorum, vtque eadem mala exteriora afficiant vtroque. Quia, qui latentur in conspectu tormentorum, aliorumque malorum temporalium, simul considerant bona æterna, eorumque spem, & meritum, quæ sunt bona præsentia. Atque horum præponderantia bonorum facit, vt in eis præualeat absolute latetia. Qui verò indidem tristantur, atque opprimuntur per tristitiam, vel sola cogitant mala eadem sensibilia secundum se, vel simul subsunt malo desperationis, & cognitioni demeriti bonorum æternorum, eaque de causa præualeat in ipsis similiter tristitia, aut eadem affligit sola absque vlla delectationis, & latitiæ admixtione. Patet igitur semper adesse peculiare bonum, & malum, aut peculiarem cognitionem eorum quibus

cunque aut latentibus, aut contristatis. Vnde diuersitas latitiæ, & tristitiæ, atque perturbationum tribuitur opinionibus solum tanquam applicationibus opinabilium, & tanquam vltimis determinationibus virtutis motiue, ac perturbatiue, quæ conuenit opinatis, seu rebus terminantibus opiniones. Neque enim opinio est, de qua, sed solum mediante qua, lætamur, & contristamur de rebus, & bonis, & malis, ad eum vtique modum, quo corpus calefit, aut frigescit virtute calidi, aut frigidi sibi applicati, & non etiam applicationis ipsius. Opinio igitur vera, & falsa solum possunt causare vt quod latitiam, & tristitiam, quatenus terminant cognitionem reflexam eiusmodi suæ peculiaris conditionis, atque ita transeunt in rationem obiecti præsentis, aut boni, aut mali.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrum Passio tristitia sit præ cæteris omnibus mala, ac nociva?

Videtur non esse. 1. Quia delectatio ex genere suo est affectus maior, ac fortior, quàm tristitia, vt liquet ex qu. 23. Ergo delectatio mala nocet magis, quàm tristitia, quæ est mala. Patet consequentia, quia ex duobus nociuis illud est nocentius, quod est fortius. Neutra porro nocet quidquam, quando non est mala, vt per se patet.

2. Tristitia, cum sit affectus auersatiuus, atque in fuga consistat, nititur, quantum potest, vt excludat malum, & consequenter nititur eadem vi indirectè, vt ipsa quoque desinat esse. At delectatio, alique affectus prosecutiui nituntur è contra ad conseruationem sui obiecti, ac proinde ad permanentiam sui. Minus autem nocet malum tendens ad desitionem sui, ideòque facilius auferibile, quàm quod, & nocet, vti nocent omnes passionis, & nititur conseruare se, ac permanere indefinenter. Omnes igitur affectus prosequutiui, maximè verò delectatio sunt nocentiores ex sua natura, exque suo genere, quàm tristitia.

3. Non est nociuum, quod disponit ad sapientiam, atque hominem reddit disciplinabilem, & habilem ad discendum. Tristitia autem est huiusmodi, vt liquet ex illo Eccles. 7. 5. *Cor sapientium, ubi tristitia est, & cor stultorum, ubi latetia.* Idem apparet ex Isaia 26. 9. *Cum feceris iudicia tua in terra, institiam dicent omnes habitatores orbis.* Et rursus v. 16. *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Patet autem iudicia Dei, & tribulationem esse contristatiua. Idem apparet clarius ex cap. 28. eiusdem Prophetæ v. 9. *Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablattatos à lacte, auulsos ab uberibus,* id est destitutos delectationibus, & consequenter inductos in tristitias. Quæ videlicet sunt impeditiua delectationum omnium, vt traditur à Philof. lib. 7. Ethic. cap. 14. & clarius apparet ex illo Eccl. 11. 29. *Malitia hora obliuionem facit luxuria magna, seu affluentia delectationum.* Ergo tristitia non est nociua, sed est maximè potius vtilitatis.

4. Contrariorum contrarij sunt effectus. Delectatio autem, quæ est contraria tristitiæ, est causa impeditiua vsus rationis, vt dictum est supra qu. 19. Ergo tristitia est expeditiua vsus rationis, & iuuat eundem. Ergo tristitia est perfectiua potius, quàm nociua.

5. Tristitia confert vigorem ad operandum, omnemque operationem perfectiua contristati promouet efficacissimè. Reddi enim hominem sollicitum,

tum, eundemque confirmat ad defensionem sui, & ad expugnationem omnium, quæ sibi nocere possunt, ut patet ex illo ad Corinth. 2. 7. 11. *Ecce hoc ipsum, contristari vos secundum Deum, quantum in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem.* &c. Sollicitudo enimvero est maxime operatiua bonorum, sicut indignatio, atque defensio est expugnativa malorum. Et quidem sollicitudinis eam esse proprietatem docet Apostolus haud obscure 2. ad Timoth. 2. 15. dicens: *Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem.* Confirmatur vis hæc actiua tristitiæ propria: quia tristitia causat in multis concupiscentiam, ut tradit Philof. 7. Ethic. cap. 14. Concupiscentia autem est maxime actiua, & auget intensiorem operationis, ut apparuit supra qu. 15. Quod autem est maxime actiuum, & confert ad operandum intensè, perficit potius, quam noceat. Quia maxima cuiusque perfectio, & bonitas in operatione consistit.

6. Non est maxime nocuum, cuius oppositum, seu defectus est deterius. Deterius autem haberet, qui premitur præsentia alicuius mali, si non contristaretur. Quia eo ipso deesset ei stimulus, & adiutorium quoddam maximum ad depulsionem mali; quandoquidem tristitia est affectus retinens malo præsentia, ac proinde conferens plurimum ad depulsionem eius. Ergo vis nociua tristitiæ, ut sit aliqua, non tamen est omnium maxima.

7. Maximum malum hominis videtur esse infamia, utpote extinguens usum rationis, quæ est maximum, & præstantissimum hominis bonum. Vis autem inductiua infamiae tribuitur iræ magis, & concupiscentiæ, quam tristitiæ, dicente Philosopho lib. 7. Ethic. cap. 3. *Quod ira, & concupiscentia quibusdam infamias faciunt.* Aliæ igitur passionēs, & præsertim ira, atque concupiscentia nocent magis, quam tristitia.

8. Non alia de causa dici potest tristitia esse nociua, respectu contristati, quam, quia inducit transmutationem corporalem, per quam animal deuellitur ab statu dispositionis, & temperamenti sibi permanenter connaturalis. Istiusmodi autem vis transmutatiua, atque dimotiua ab statu connaturali est in primis communis omni passioni, ut dictum est sæpius à principio harum quaestionum, & deinde eadem vis est maior in delectatione, utpote intensiori, ac efficaciori, & fortiori, quam sit tristitia, uti semel, atque iterum dictum est. Ergo tristitiæ vel sola conuenit vis nociua vniiformiter communis omni passioni, vel certe eadem est minor in ipsa, quam in delectatione. Confirmatur, quia plures ex repentina maxima lætitia mortui sunt. Mori autem est maximum malum naturale.

Art. 1. Respondetur. Vis nociua tristitiæ traditur significantissime in sacris litteris magis, quam vis nociua ullius alterius passionis. Dicitur enim Prou. 17. 22. *Animus gaudens, ætatem floridam, uerit;* spiritus tristis exsecat ossa. Et c. 25. 20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nescit cordi.* Eccl. 3. 19. *A tristitia festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit cervicem,* & cap. 30. 25. *Multos occidit tristitia, & non est utilitas in illa.* Officium autem exsecratio est ablatio totius roboris, atque euersio totius fundamenti, & consistentiæ animalis. Tinea verò, & vermis perdunt totaliter, redduntque prorsus inutile, & lignum, & vestimentum. Ac demum mors, & occisio est pessimum inter mala corporalia, eaque omnia in se includit. Patet igitur vim nociuam tristitiæ esse summam, atque incomparabiliter maiorem, quam sit in ulla alia passione. Confirmatur, quia illud est pessimum, quod magis impeditur, quod est optimum. Optimum autem in vno-

quoque est operatio eius propria, ut dictum est supra ex Philosopho, & D. Thoma, eamque præ cæteris impedit tristitia, sicut promouet, ac perficit delectatio, ut traditur ex professo lib. 10. Ethic. cap. 5. Præminet igitur vis nociua tristitiæ, omni passionum reliquarum nocumento.

Art. 2. Ut ista tanta vis nocendi propria tristitiæ clarius innotescat, utque simul redigatur ad terminos iustæ, & vndequeque legitimæ existimationis de ipsa, expedierit cum primis conferre ipsam tristitiam, cum delectatione sibi contraria, quoad ea, penes quæ differunt, & penes quæ sunt similes, ac affines. Differunt autem quàm maxime quatenus transmutatio corporalis, quæ consequitur ad delectationem fouet per se, & secundum speciem suam, iuuatque salutem, & vitam corporalem, & solum per accidens, atque ratione superexcrecentiæ, & excessus eidem obesse, ac repugnare potest. At transmutatio, quæ consequitur ad tristitiam, nocet è conuerso per se, & secundum speciem suam saluti, ac vitæ, solumque per accidens, & ex suppositione excessus, quoad dispositionem, & temperamentum contrarium, optulari illi potest, eandemque iuuare. Ratio est, quia salus, & vita hominis consistit in motu cordis, & in eo, qui ab eodem cordis motu in cætera membra diffunditur, sub determinata quadam mensura. Delectatio autem ex suo conceptu fouet, & auget eum motum; eundemque retardat, & impedit tristitia. Nempe vnusquisque affectus, qui est operatio propria animæ dominantis corpori, inducit in ipsum motionem affinem, ac proportionatam naturæ eiusdem affectus. Cum ergo delectatio sit affectus prosequutius, & quidem prosequutius præ cæteris omnibus affectibus, atque prosequutio fiat per motum versus id, quod prosequimur; consequens planè est, ut delectatio foueat, ac intendat motum cordis, in quo concipitur, ac residet, utque inde in reliquas corporis partes eundem effectum propaget. Tristitia verò, quia est affectus contraria rationis, oppositum efficiat necesse est, nempe ut motum cordis ipsi connaturalem, atque inde reliquarum etiam partium corporis motum labeficeret, quoniam in opposita fuga, & auersione consistit.

Art. 3. Ex eadem radice prouenit diffusio sanguinis, & spirituum vitalium ex corde in reliquum corpus, per delectationem; & contractio, atque constipatio eorundem ad centrum cordis ex toto reliquo corpore, per tristitiam; quoniam sanguis, atque spiritus vitales sunt maxime mobiles, ideoque maxime omnium obsequuntur naturæ cuiusque affectus, eidemque confirmantur. Hinc fit, ut per delectationem, siquidem moderata sit, alleuietur, cor, utque simul fortificentur, & reddantur vegetiores reliquæ omnes corporis partes, sanguine, & spiritibus in illas affusis, eademque de causa reddito corde expeditiore ad motum. Per tristitiam verò aggravatur è conuerso cor, atque si multum crescat, absorbetur totus eius vigor, iuxta illud 2. ad Corinth. 2. 7. *Ne forte abundantiori tristitia absorbeat, qui est eiusmodi.* Quæ de causa Damasc. lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 14. aggravationem ponit effectum tristitiæ, uti etiam D. Thomas quaest. 37. artic. 2. aliique communiter ibidem. Cum autem illa cordis aggravatio fiat per nimium sanguinis, & spirituum confluxum in eum locum, necesse est, ut simul & sanguine, & spiritibus destituantur reliquæ corporis partes, ideoque debilitentur, & reddantur minùs habiles ad omnem operationem, & motum. Vnde fit ut tristitia, quando est maxima, inducat in totum corpus rigorem quendam, & stupiditatem, ac immobilitatem, talem, ut nequidem linguam mouere, & loqui sit possibile;

& seuare oculos, qui sunt ceteroquæ calidissimi, reddatur difficile. Quia verò anima vnita corpori dependet, quoad suas operationes, ex dispositione corporis; consequitur vltèrius ex dictis operationibus etiam animæ proprias inuari per se ex vi delectationis; atque retardari, & impediri similiter ex vi tristitiæ, vt docet ibidem art. 3. D. Thomas ex Philosopho, vbi supra,

Art. 4. Manifestum igitur ex his est, tristitiam ex suo conceptu vniuersali, & specifico esse nociuam, respectu corporis præ ceteris omnibus passionibus. Quia id summè nocet corpori, quod summè aduersatur salutis, & vitæ corporali, vti ostensum est aduersari passionem tristitiæ. Manifestum similiter est ex iisdem, tristitiam etiam, respectu animæ, totiusque hominis absolutè, & simpliciter esse nociuam præ ceteris omnibus affectibus. Quia bonum hominis maximum, sicut & cuiuslibet alterius rei situm est in operatione, vt dictum est superius. Cum ergo tristitia maximè omnium retardet, ac impediatur operationem, eadem procul dubio est maximè nociua, maximèque fugienda vniuersaliter, ac per se. Atque hoc ipsum est, quod docent testimonia scripturæ initio producta. Ex hac doctrina colligitur vltèrius cum D. Thoma quæst. 39. art. 1. & 2. tristitiam non esse expetibilem per se, neque prosecutioni, & electioni eius liberæ vllam posse conuenire honestatem, præter quam per accidens, & ex suppositione, atque esse honestum, & laudabile per se vitare tristitiam, ad eum modum, quo est honestum per se, ac laudabile vitare occisionem hominis, inhonestam per se, ac turpem, solumque honestam, ac laudabilem ex accidentali aliqua suppositione, & circumstantia: Quo exemplo, & paritate exponit, & confirmat conclusionem positam Caietanus in dictum art. 1.

Art. 5. Obseruandum nihilominus est, tristitiam non esse summum absolutè malum, aut spirituale, aut etiam corporale, neque constituere vnitatem cum summo malo, aut corporis, aut animæ. Non quidem est summum malum. Quia deterius est id, ad quod ipsa consequitur, & rursus est deterius priuatio tristitiæ, quam ipsa tristitia, ex suppositione mali præsentis, ad quod ipsa consequitur. Tristitia enim renititur malo, ex quo procedit, ideòque est carnis bona, & præminet suæ priuationi, supposita præsentia mali. Cum enim exclusio mali sit bona, bonum vtiq; est, supposito malo, vt adsit exclusum eius, quodque eidem contrariatur, & repugnat, Malum autem cui contrariatur, & repugnat tristitia, non habet ex suo conceptu adiunctam sibi similiter bonitatem, ratione cuius hîc, & nunc, omnibusque pensatis sit optabile patienti. Sed neque constituit vnitatem tristitia cum malo, ad quod consequitur, seu cum summo malo; sicut dictum est supra, delectationem constituere vnitatem cum bono ad quod consequitur, summamque voluptatem cum summo bono creato. Quia delectatio consequitur ad operationem bonam, qua bona est, tanquam proprietas eius, & forma vltimò completiua finis intenti ab operante, ideòque constituit vnum quoddam vltimum perfectum simul cum ipsa operatione vsque ad eam, vt teste Philosopho lib. 10. Ethic. cap. 5. post med. *an idem cum voluptate operatio sit, ambiguum esse videatur*; quanquam re ipsa certissimè distinguatur realiter, solaque mutua inseparabilitas, & arctissima mutua copulatio, ex natura vtriusque, apparentiam quandam gignat identitatis, vt dicitur ibidem. At tristitia repugnat, & contradicit, quantum potest, tum operationi malæ, qua mala est, & apparet vt talis, tum omissioni, omnibusque impediementis operationis bonæ, qua

bona est, & apparet vt talis. Nihil autem constituit vllum vnitatis genus cum eo, cui contradicit, ac repugnat quantum potest, & quod tota vi nititur excludere. Cum igitur bonum omne, & omne malum in operatione consistat bona, & mala, atque in ordine, & aptitudine, aut ineptitudine ad vtramque respectiue; patet tristitiam, nec esse summum malum, nec partem, aut quasi partem summi mali, tametsi delectatio sit complementum summi boni creati, corporalis quidem, quæ corporalis est, & spiritualis similiter, respectu spiritualis.

Art. 6. Ex notata modo coniunctione, & vnitatem delectationis cum operatione, ad quam consequitur, atque ex oppositione, & repugnantia tristitiæ, respectu eius, seu operationis malæ, seu omissionis excludentis operationem bonam, deprehenditur discrimen quoddam aliud notatum, & valdè ponderatum à Philosopho in dicto cap. 5. sub initium inter delectationem, & tristitiam. Nempè vnaquæque delectatio operationem eam, ad quam consequitur, & cui, vt ibi dicitur, affinitate quadam coniungitur, perficit, ac promouet, atque firmiorem, ac diuturniorem reddit; & consequenter impedit operationes alias, vel totaliter, vel certè quoad earum intensiorem, & perfectionem, atque constantem diuturnitatem. Quod pluribus exemplis confirmat ibi Philosophus quoad vtramque partem, & vnicuique est experientia satis manifestum. Quicumque enim aliqua operatione delectatur, vt geometrica consideratione, aut musica, illi tota vi incumbit, & assidue; atque cetera, aut omittit, aut centemptim, & negligenter exequitur. Vnde fit, vt concludit Philosophus, *vt cum aliqua re vehementer gaudemus, aliud quid non admodum agamus*, aut etiam non agamus simpliciter. At tristitia è contra debilitat, & si potest, excludit tandem operationem malam, aut incommodam, ad quam consequitur, necnon impediementa operationis oppositæ bonæ; vrget verò, & perficit operationem bonam, aut commodam, quam causalitate sua inducit, vt excludat malum contristans. Vnde fit, prout dicit D. Thomas quæst. 37. art. 3. *vt nunquam illud, quod cum tristitia facimus, ita bene facimus, sicut illud, quod facimus cum delectatione, vel sine tristitia*; operemur verò vehementer ea, per quæ excluditur contristatiuum, si adsit simul cum tristitia, spes repellendi causam tristitiæ. Ratio vtrobiq; est proportionaliter eadem. Quia nimirum appetitus, & voluntas est causa omnis operationis animalis, & humanæ, eaque propter necesse est, vt ea peragantur efficaciter, & perfectè, ad quæ afficitur appetitus, aut voluntas, quod fit maximè omnium per delectationem, atque cetera, aut omittantur, aut fiant remissè: vtque è conuerso suspendantur, aut fiant remissè, & debilitat ea, ad quæ non afficitur, aut male afficitur eadem potentia, quod fit maximè omnium per tristitiam; atque opposita auidè inducantur.

Art. 7. In hunc igitur modum sunt proportionaliter inuicem similes delectatio, & tristitia, nempè similitudine vniiformiter dissimili circa operationes, quarum vtraque est vel effectus, vel causa. Ceterùm, quoad vniuersalem operandi dispositionem, opponuntur inuicem totaliter, nec habent similitudinem proportionis. Quia delectatio inducit, immediatè in corpus, & sensus omnes, atque mediatè in intellectum, & voluntatem dispositionem vegetam, & ad operandum vniuersaliter idoneam, vt dictum est initio, solùmque ratione excessus, & exuberantiæ potest inducere languorem impeditiui, aut labefactiuium operationum. At tristitia per se inducit contrariam operandi indispositionem vniuersalem, solùmque conferre vniuersali-

ter potest ad operandum, quatenus excludit prædictam delectationis nimietatem, quod maxime præstat tristitia spiritualis, ac salutaris, quæ est secundum Deum, particulariter verò confert ad eas operationes, quibus excluditur malum præsens, quod est causa ipsius tristitiæ. Sed si tristitia fuerit excessiua, impedit consequenter operationes omnes multò magis, quàm excessiua delectatio, exceptis, respectu vtriusque, ijs operationibus, quarum vtraque particulariter est principium modo nuper explicato. Cum igitur bonum, & perfectio maxima cuiusque in operatione consistat, patet tristitiam inter omnes passiones, esse maxime nociuam vniuersaliter, & per se; sicut è conuerso delectatio est utilis, & perfectiua vniuersaliter, & per se, solumque nociua ratione excessus, aut quatenus est impossibilis cum delectatione alia meliori, idèque per se maiori

Ad 1. Est quidem fortior affectus delectatio, quàm tristitia. Sed tristitia est causa transmutationis nociuæ per se ex specie sua, adedque nocentis se tota. Vnde superat absolutè vim nociuam delectationis, vtpotè nocentis solum ratione excessus, cum de reliquo ex specie sua sit propitia saluti, ac vitæ corporali. Non negatur tamen, quin delectatio, quæ est mala, atque absolutè innaturalis, sit secundum quid deterior moraliter, quàm tristitia. Quia nimirum delectatio mala pellitur difficilius ex sua natura, quàm tristitia; cum illa foueat ea, ex quibus pronenit; hæc verò destruat, quantum potest, vt dictum est superius. Verum quia cætera non sunt paria, præualeat absolutè vis nociua tristitiæ, vt liquet ex ponderatis superius. Ex quo patet etiam ad 2.

Ad 3. Conceditur sponte, tristitiam spiritualement, per quam displicent peccata, & peccatorum causæ, ac occasiones, & per quam imponitur modus nimietati delectationum corporalium inducentium ad peccandum, & quæ percipiuntur peccando, conferre plurimum ad sapientiam, omnisque veritatis cognitionem, & acquisitionem, quod tantummodo probant, probant verò manifestè, testimonia obiectionis. Sed nihil inde efficitur contra id, quod dictum est circa conceptum vniuersalem tristitiæ, præsertim respectu salutis, & vitæ corporalis, cuius est præcipua, & maxima consideratio in affectibus, quæ passiones præcisè sunt.

Ad 4. Sicut plures delectationes sunt contrariæ delectationibus alijs indirectè, vt dictum est supra, & nihilominus hoc est omnibus indiscriminatum commune, vt sint impeditiua vsus rationis, vt liquet ex eadem illa quæstione; ita etiam delectatio, & tristitia, tamen inuicem contrariæ directè, in hoc nihilominus conueniunt, vt ambæ impediunt vsum rationis. Quia scilicet conueniunt nihilominus, quoad rationem genericam passionis, atque eatenus sunt inductiua transmutationis corporalis, necnon peculiaris attentionis ad sensibilia, & vtroque modo impeditur vsus rationis. Impeditur verò magis per tristitiam, loquendo vniuersaliter, & per se, vt ostensum est supra.

Art. 1. Ad 5. Dicitur sicut ad tertium, in illis testimonijs Apostoli non commendari tristitiam in genere, seu quamlibet indiscriminatum tristitiam, sed solum salutarem, cohibitiuam nimietatis delectationum, atque auersatiuam peccatorum, quibus quis delectatus ante fuerit. Quia de causa idem Apostolus dicit 2. ad Corinth. 7. 7. *Gaudete non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad penitentiam.* Quæ videlicet est valde sollicita, & efficacissima aduersus peccata, & consequenter inductiua bonarum operationum, quibus & deleantur peccata

præterita, & impediuntur futura. Cæterum dolor sensibilis, qui est passio, trahit ad se maxima vi attentionem animæ, atque ita impedit attentionem ad spiritualia, tum practica, tum etiam speculatiua, & consequenter impedit omnem bonam operationem, & voluntatis, & intellectus etiam speculatiui, maxime quominus discat aliquid de nouo, quod est opus magnæ attentionis, vt apparet ex illo Prouerb. 2. 4. *Si quaesieris eam, sapientiam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis eam, tunc intelliges disciplinam.* Qua de re videndus est D. Thomas quæst. 37. art. 1. vbi hunc effectum tristitiæ exponit optimè, atque confirmat.

Art. 2. Quod additur de concupiscentia consequenti sæpè ad tristitiam, nihil probat. Quia concupiscentia solum occasionaliter est ex tristitia, cum directè proueniat solum ex cognitione possibilitatis boni, per quod auferri potest malum contristans, necnon ex cognitione indigentia, & necessitatis, vt adhibeatur remedium. Hæc sanè causa est, ob quam Philosophus, illo in loco, atrabile affectis, & melancholicis concupiscentias attribuit, & intemperantiam. *Atrabile* inquit, *affecti semper medela indigent.* Et mox: *Voluptas autem, & contraria, & quantis, modò sit vehemens, dolorem expellit; ac propterea intemperantes ac prauis euadunt.* Igitur concupiscentia, non tam est ex tristitia, quàm ex indigentia contristati, & ex cognitione bonorum, quibus subueniri eidem indigentia potest.

Ad 6. Illa ratio tantum probat, quod superius concessum, & confirmatum est, tristitiam non esse summum malum animæ, aut etiam corporis. Sed non probat eandem tristitiam non esse magis nociuam, quàm sit vlla alia passio. Quæ sola comparatio directè instituitur in quæstione præsentis. Iam vis depulsiua mali, quæ ibi ponderatur, non conuenit imprimis tristitiæ ex se præcisè, & vniuersaliter, sed ex adiacente cognitione boni contrarij malo contristanti, & ex concupiscentia indè suborta. Deindè affectus adhaerens bono, qui inest delectationi, prodest non minus, quàm affectus renitens malo, qui inest tristitiæ, & præterea ille affectus est maior, & efficacior, quàm iste, vt dictum est supra. Sed quidquid sit de hoc, tristitia per se solum habet vim inductiuam perturbationis nocentis præ cæteris omnibus perturbationibus, quæ procedunt ex affectibus. Ex eo igitur, quod præstat vi sua sola, est maxime nociua. Nempe auersio mali, quæ est propria tristitiæ, cum ex suo conceptu versetur circa malum præsens, atque præsens, vt præsens sit iam inuitabile, nihil operatur ex se præcisè, sed ex adiuncta aliunde prædicta & cognitione, & concupiscentia boni.

Ad 7. Tristitia imprimis habet vim, inducendi insaniam, si nimium excreseat, sicut ira, & concupiscentia. Plures enim incidunt in maniam, ac dementiam ex profunda, ac diuturna tristitia; idque permanent, & non tantum ad breue tempus, vt accidit in ira, & concupiscentia, saltem vt plurimum. Deindè vsus rationis amittitur facilius, quàm vita, atque amissio huius est maius malum, vtpotè superaddens iacturæ vsus rationis. Ostensum autem est tristitiam ex conceptu suo, & non solum ob excessum, nocere saluti, & vitæ corporali. Ergo tristitia est inductiua mali, & difficilioris, & maioris.

Ad 8. Patet satis ex prænotata, & iterata sæpius differentia transmutationis, quam inducit tristitia, a transmutationibus alijs. Illam nimirum esse nociuam se tota, & secundum speciem suam, reliquas verò tantum penes excessum. Quod ad confirmationem attinet,

attinet, lætitia, & delectatio est affectus ex suo conceptu maior, ac fortior, quam tristitia, vt dictum est supra, ideoque repentino impetu potest obruere magis, atque interimere potius, quam tristitia. Verum quia tristitia est naturæ totaliter nocentioris, temporis decursu prosterntur magis, quam lætitia, ideoque moriuntur comparabiliter plures ex dissolutione temperamenti naturalis inducta deterius, licet licentius, per tristitiam, quam ex ea, cuius causa est delectatio.

QVÆSTIO XXVII.

Vtrum spes sit passio mouens ad præsentiam delectabilis ardui?

Videtur non esse. 1. Quia passio est actus appetitus, vt dictum est supra. Spes autem est actus potentia cognoscitiua. Quia spes constituitur per expectationem, vt apparet ex illo Apostoli ad Roman. 8. 25. *Si, quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Expectatio autem est propria virtutis cognoscitiua. Quæ videlicet sola expectat, & inspicit, quæ apparent à longè. Confirmatur, quia spes confunditur sæpè cum fiducia, tum in sacris, tum in profanis scripturis, tanquam idem cum ipsa. Fiducia autem eadem ratione est actus cognoscendi, quæ & fides. Confirmatur rursum; quia certitudo attribuitur spei perinde, ac fidei. Vnde illud Apostoli 2. ad Timoth. 1. 12. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare;* nonnulli accipiunt de spe, alij de fide. Ergo spes non est passio.

2. Passio est affectus dependens, non ab actu intellectus, sed à sensu, vt dictum est supra in communi. Spes autem dirigitur sola cognitione intellectuali. Primum quia spes fertur ad futurum, vt futurum. Futurum autem non cadit sub sensum, vt pote mobilem per solam præsentiam obiecti agentis, & cooperantis per se ipsum immediatè. Deinde obiectum spei dicitur bonum possibile sicut bonum impossibile dicitur obiectum desperationis. Possibile autem, & impossibile sunt speciales quædam differentia veri, & falsi, ideoque sunt solum in mente, vt tradit Philosophus lib. 6. metaph. text. 8. quatenus discretio veri, & falsi per solum intellectum fieri potest, & non etiam per sensum. Postremò, quia obiectum spei est compositum ex bono, & malo, vt pote continens in se rationem bonitatis coniunctam cum aliqua ratione malitiæ nempe difficultatis, seu arduitatis adipiscendi. Sensus autem non est compositiuus, sed solus intellectus. Ergo spes non est passio.

3. Passiones sunt affectus communes homini cum brutis. Spes autem non est communis brutis, sed propria solius hominis, & Angelorum. Quia animalia, mouentur visis, vt tradit August. lib. 9. super Gen. cap. 14. Spes autem est de non visis, vt patet ex illo ad Rom. 8. 24. *Nam quod videt quis, quid sperat?* Ergo spes est affectus passionis superioris.

4. Spes non distinguitur à concupiscentia, & desiderio, præterquam quoad circumstantiam, & denominationem purè accidentalem, ac materialem. Affectus enim distinguuntur per distinctionem solam suorum obiectorum, & ad modum eorum. Obiecta autem spei, & concupiscentia, seu desiderij differunt inter se purè accidentaliter, & materialiter, totaque vis actiua, ac motiua est in vtroque prorsus eadem: quia obiectum spei solam superaddit

obiecto concupiscentia, & desiderij rationem possibilitatis, & arduitatis: quarum neutra habet vim mouendi appetitum, eidemque cooperandi, sed sola ratio bonitatis futura, quæ est communis concupiscentia, ac desiderio. Ergo spes non est passio specialis distincta à concupiscentia. Confirmatur, quia bonum paruum, & magnum non diuersificant speciem actus. Ergo multò minùs variare illam possunt bonum facile, seu præscindens à difficultate, & quod est arduum; idemque dicitur de ratione possibilis, & impossibilis, seu præscindentis ab impossibilitate, & possibilitate adipiscendi.

5. Non ponitur specialis passio amoris circa bonum arduum, quatenus præscindens à præsentia, & absentia. Ergo neque circa bonum arduum quatenus futurum poni debet specialis passio contradistincta à passione concupiscentia. Patet consequentia, quia affectus concupiscentia fertur ad bonum futurum, eodem prorsus modo, quo fertur affectus amoris ad bonum, vt præscindens à præsentia, præterito, & futuro.

Respondetur. Vbi est specialis ratio boni appetibilis per se, ibi est specialis actus appetitus. Datur autem specialis ratio boni futuri appetibilis per se, contradistincta à bono futuro, quod est proprium concupiscentia. Quia concupiscentia fertur ad bonum futurum secundum se, præscindendo à facilitate, & difficultate: possibilitate, & impossibilitate. Manifestum porro est, rationem boni exercere specialem vim mouendi, quatenus cooperatur appetitui ad superandam difficultatem, quæ inest bono appetibili propter arduitatem ipsi specialiter conuenientem, mouetque eundem appetitum ad pugnandum cum eadem arduitate, & difficultate. Motus igitur appetitus ad bonum futurum, cuius consequutio est difficilis, & ardua, proptereaque repræsentatur, quatenus difficile, ac arduum est, specialis affectus, dissidetque specie, tum à concupiscentia, & desiderio, tum à reliquis affectibus hucusque expositis, ac exponendis deinceps. Bonum porro arduum & difficile, & tamen possibile, quod obtineatur, cadit sub sensum, quatenus tale est, non minùs quam bonum facile, seu quatenus præscindens à facilitate, & difficultate. Quod patet primum ab experientia. Quia bruta cernuntur prosequi delectabile sibi propositum aliquando absque vlla hæsitatione, ac trepidatione, aliquando hæsitando, ac trepidando, ideoque interposita mora, & cum in digentia particularis incitamenti; antequam aggrediantur opus persequendi, ac consequendi delectabile nondum habitum. Quæ differentia esset impossibilis, nisi caderet sub sensum differentia boni possibilis ardui. Contingit deinde arduitatem delectabilis, quod secundum se cadit sub sensum, constitui per aliquid sensibile, vt cum comestibile redditur difficile per comminationem sensibili mali imminentis auersus comedentem, & sic de similibus. Patet igitur dari in appetitu sensitivo affectum specialem circa delectabile arduum, intendens præsentiam, ac possessionem eius. Quilibet autem specialis affectus appetitus sensitui est passio specialis. Datur igitur specialis passio circa eiusmodi obiectum, eaque ab omnibus vocatur spes.

Ad 1. Omnis, & quælibet ratio bonitatis terminans sensum, terminat etiam appetitum sensitivum. Quia vnaquæque potentia appetitiua est subordinata suæ potentia cognoscitiua cum adæquatione ad ipsam, quatenus est perceptiua boni, & mali. Repugnat igitur, vt detur in sensu specialis apprehensio boni ardui, quæ dicatur spes, quin detur in appetitu sensitivo specialis affectus illi

correspondens. Huic autem affectui attribuitur formaliter, & cum proprietate nomen spei, iuxta communem loquendi modum, nec est vllum aliud nomen illi appropriatum. Sed propter connexionem mutuam cuiusque affectus cum cognitione, qua dirigitur, attribuuntur nonnunquam affectui, quæ sunt propria cognitionis; atque è conuerso: in sensu videlicet causali, quando, quæ sunt propria affectus, transferuntur ad cognitionem, & in sensu assimilatiuo, ac imitatiuo, quando è conuerso transferuntur ad affectum, quæ sunt propria cognitionis. In hunc igitur modum affectus spei quandoque dicitur expectatio, & fiducia, eidemque attribuitur certitudo, translati ad effectum, quæ sunt propria causæ notioris, quam sit idem effectus. Nempe actus sentiendi innotescit sentienti per seipsum, appetitio verò per solum actum potentia sensitua. Notius autem est, quod per se, quam quod per aliud innotescit.

Art. 1. Ad 2. Manifestatum iam est, specialem affectum, qui dicitur spes, concipi posse dependentem à sensu. Ad primam rationem in contrarium ex conceptu futuri respondet D. Thomas quæst. 40. art. 3. affectum spei concipi à brutis ex instinctu naturæ; atque dependentem à sola cognitione intellectuali auctoris naturæ, ac proinde admittit affectum spei, quatenus fertur ad futurum, & est in appetitu sensitui, non esse appetitionem animalem, sed purè naturalem, nempe directam eatenus cognitione propria, non ipsius appetentis, sed auctoris naturæ. Verùm mihi placet magis distinctio, quam exponit ibi diligenter Caietanus inter futurum, & id quod erit. Nempe futurum, vt clariùs idem exprimitur, dicitur dupliciter. Primum per solam denominationem à causâ præsentis disposita iam ad existentiam effectus pro tempore sequenti. Secundò per denominationem ab euentu ipso, qui accidit in tempore sequenti. Quæ duo sunt realiter inter se distincta, atque separabilia inuicem. Fieri namque potest, vt præexistente causâ disposita, & quantum est ex se, vltimò determinata ad existentiam effectus pro tempore sequenti; Suspendatur nihilominus effectus pro eodem tempore, propter impedimentum causæ, seu naturaliter, seu miraculose superueniens; & consequenter vt data futuritione per denominationem à causâ præsentis, desit nihilominus futuritio per denominationem ab euentu, seu à reali existentia effectus secundum se pro tempore sequenti.

Art. 2. Conceditur itaque futurum, quatenus futurum formaliter per denominationem ab euentu, quæ est futuritio totaliter absens, nullamque habens rationem præsentis, non cadere sub sensum, quatenus sensus non poterit primo moueri, seu moueri ad primam perceptionem cuiusquam obiecti, nisi per aliquid præsens. Negatur tamen futurum, quatenus tale per denominationem à causâ præsentis, seu quatenus futurum futuritione realiter indistincta à præsentis causæ dispositione, ac determinatione ad illud, non cadere sub sensum, quando causa ipsa, atque talis dispositio eius est sensibilis per se, vt est sæpè, & apparet ex dictis in responsione ad quæstionem. Huiusmodi autem perceptio futuri sufficit ad affectum spei proprium appetitus sensitui, vt indidem apparet.

Art. 3. Circa secundam rationem ex conceptu possibilis, & impossibilis instituit D. Thomas ibidem ad 2. ex Philosoph. lib. 5. metaph. textu 17. similem distinctionem possibilis per denominationem ab existentia præsentis causæ potentis producere, & possibilis per solam habitudinem, seu consonantiam, ac congruentiam subiecti ad prædica-

tum. Quæ distinctio est eiusdem prorsus rationis cum præmissa distinctione futuri; vt mirum planè sit, Angelicum Doctorem approbasse posteriorem istam distinctionem, eique acquiescisse, vt inde satisfaceret difficultati delumptæ ex hoc capite, & tamen omisisse distinctionem priorem, nec similiter defendisse motum animalem ad futurum, sicut ad possibile. Dicatur igitur de possibili, sicut dictum est de futuro, nempe appetitum sensituum ferri ad bonum possibile possibilitate sibi conueniente per denominationem à præsentis existentia causæ per se sensibilis, atque realiter indistincta ab eadem; tamen ferri non possit ad possibilitatem constitutam per solam habitudinem, & consonantiam mutuam subiecti, & prædicati, quæ est purè intellectualis. Iam quod vltimo loco additur in obiectione de compositione obiecti spei ex bono, & malo, nullam habet difficultatem. Quia licet sensus non sit compositius plurium per formalem comparisonem vnus cum alio, quæ est propria intellectus, est tamen perceptius compositorum, seu constantium ex pluribus partibus constituentibus vnum quoddam, ipsarumque partium, quatenus coalescunt in vnum. Talis autem est compositio obiecti spei.

Ad 3. Spes est de non visis in seipsis, seu de his, quæ non apparent immediatè secundum se; atque hoc est, quod intendit Paulus in illis verbis. Quia visio dicitur propriè de re, quæ subicitur inspectioni videntis immediatè per seipsum. At non est de conceptu spei, vt eius obiectum, non appareat, nec videatur in sua causa. Imò necesse est, vt quod speratur futurum præcognoscatur, vt præcontentum in virtute causæ præsentis, & cognitæ vt talis. Quia alioquin posset spes ferri ad bonum nondum apparens possibile. Quod repugnat. Bruta autem cognoscunt, ac vident causas per se sensibiles, in quibus continentur effectus nondum existentes, vt nuper expositum est. Quod igitur animalia moueantur visis, vt dicit Augustinus, nec nisi visis moueri possint, non tollit, quominus ferri possint per spem ad ea bona futura, quorum possibilitas, & futuritio est indistincta ab existentia præsentis causarum per se sensibilium, quas vident, vel alio quouis sensu, quod perinde est, immediatè percipiunt.

Ad 4. Ad distinctionem realem specificam affectum sufficit distinctio formalis penes rationem obiectiuam, quæ mouet appetitum, quatenus eum mouet. Ratio autem motiua est longè diuersa formaliter respectu spei, & desiderij, tamen utrique obicitur bonitas realiter eadem. Quia desiderium, & concupiscentiam inducit ratio bonitatis absents secundum se, absque pugna, & victoria aduersus difficultatem, ac arduum. At ad sperandum mouet bonitas non secundum se, sed vt comparata cum arduitate consequutionis, & quatenus præponderat malo difficultatis, ac arduitatis, & quatenus proinde est digna, vt illi præemineat in affectu, vtque per affectum eidem præferatur. Patet autem bonitatem secundum se differre respectu appetitus, non accidentaliter, & materialiter tantum, sed formaliter sub conceptu mouentis, à bonitate pugnaci, & quatenus expugnatiua, & superatiua difficultatis retardantis à prosecutione ipsius boni; vt exponetur distinctius in quæstione sequenti. Hinc interim patet ad confirmationem: quia paruum, & magnum tunc solum sunt insufficientia ad diuersitatem specificam, quando vtrumque est eiusdem rationis, vt in albedine, aut calore intenso, & remisso. Apparuit autem bonitatem obiecti, prout mouet ad desiderium, &

& prout mouet ad spem, non esse eiusmodi, sed intercedere maximam diuersitatem formalem in ratione motiua, qua motiua formaliter est.

Ad 5. Eadem ratione, qua negatur specialis passio delectationis circa bonum arduum, negatur itidem specialis passio amoris. Negatur autem specialis passio delectationis circa bonum arduum, quia delectatio versatur circa bonum præsens. Nullum autem bonum, ex quo est iam habitum, ac præsens, est amplius arduum. Cum ergo amor versetur circa bonum, vt præcendens à præsentia, & absentia, necesse est vt simul feratur ad illud, cum præcisione ab arduitate, & facilitate. Nempe bonum dicitur facile, vel difficile, & arduum relatiue solum ad actionem, & executionem, qua ipsum obtinetur. Actionem autem executionem boni sola vrget concupiscentia, & desiderium, spes, & audacia; cum delectatio præsupponat illam iam positam à parte rei, amor vero præcendat ab eiusdem positione, & non positione, quantum est ex se præcisè.

Q V Æ S T I O XXVIII.

Vtrum causa spei sit delectabile absens, difficulter consequibile, cognitum vt tale?

Videtur non esse. 1. Quia absentia boni non est causatiua vllius effectus, aut totaliter, aut etiam partialiter, cum sit pura priuatio, & nihil. Ergo ratio absentis non debet apponi, & includi in conceptu causæ, aut spei, aut cuiusquam alterius effectus.

2. Eadem ratione difficultas consequutionis debet excludi à conceptu causæ, imo & maiori ratione: quia difficultas consequutionis, vsque adeo non est causa vel etiam partialis, mouens appetitum ad prosequutionem boni, quod est difficile, vt potius retardet appetitum, solumque valeat, quantum est de se, ad impediendam prosequutionem boni.

3. Ed facilius, ac firmitus sperat quisque bona sua, dum absunt, quo eorum consequutio est faciliior. Quod apparet clarius ex comparatione oppositi. Quia quæ sunt difficillima, difficultate accedente proximè ad totalem impossibilitatem, quæque eidem impossibilitati est valde affinis, vix sperantur, euaditque inde spes admodum exilis, ac remissa. Quando autem absunt totaliter ex parte causæ, & circumstantiæ, quarum augmentum minuit effectum, & quarum diminutio auget eundem, & conuerso, effectus sequitur melius, ac perfectius, nec fieri potest, vt propter defectum alicuius eiusmodi circumstantiæ effectus reddatur impossibilis. Ergo difficultas, & arduitas non est conditio essentialiter requisita ex parte causæ, & motiui spei.

4. Iuuenes sunt bonæ spei, vt dicit Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 12. idemque dicit de ebriis lib. 3. Ethic. cap. 8. Vtique autem habent exiguam cognitionem difficultatum, quæ intercedunt in prosequutione, & executione bonorum ex se difficilem; iuuenes quidem ob inexperientiam; ebrij verò ob inaduertentiam, & offuscationem rationis. Non igitur est de conceptu boni difficulter consequibilis, vt sit cognitum, quatenus tale.

5. Experientia sæpius repetita operationis facilis feliciter executioni mandatæ, & consuetudo, ac habitus exequendi inde proueniens, iuuat

R. P. Sparza Curs. Theol. Tom. I.

multum ad sperandum, & auget firmitatem spei, atque constantiam, vt apparet ex Philosopho dicente in eodem illo cap. 8. quod *aliqui sunt bonæ spei propter multos, & multos vicisse*; idest propter experientiam, & consuetudinem vincendi. Experientia autem, & consuetudo boni exitus tollit difficultatem operis: Cuius enim est facile id aggre, & ad finem perducere, cui prospere assueuit. Ergo difficultas non est de conceptu obiecti mouentis ad sperandum, quodque est causa spei.

Art. 1. Responderetur, Spes est affectus quasi compositus ex concupiscentia, seu desiderio, atque ex opposita abominatione, & æquiualeat simultati vtriusque; præualeat tamen in eius conceptu adæquato ratio concupiscentiæ, seu desiderij. Quia spes fertur ad bonum absens, atque per hoc conuenit cum concupiscentia, & desiderio. Conuenit verò similiter cum abominatione, seu fuga, quatenus fertur ad bonum sub ratione difficilis, & ardui. Quia difficultas, & arduitas in bono est mala, sicut facilitas est bona, & expetibilis. Vnde sperans simul, ac indiuisim ex vna parte afficitur ad bonum speratum, & tendit ad coniunctionem cum illo, atque ad eius præsentiam, & possessionem; ex alia vero parte auertitur ab ipsius boni arduitate, & difficultate, eamque intendit superare, atque funditus euertere per præsentiam boni, ad quam tendit, siquidem inducta præsentia boni, eo ipso cessat, excluditurque tota eius difficultas, ac arduitas. Præualeat vero ratio concupiscentiæ, seu desiderij. Quia ob affectum, & adhesionem ad bonum contemnitur ratio mali, quod illi adiacet, atque intenditur eius victoria, & extirpatio, non per fugam puram malitiæ constitutæ per difficultatem, & arduitatem, quod esset proprium puræ abominationis, ac fugæ, sed per congressum cum difficultate, & arduitate, seu cum malitia constitutæ per illam.

Art. 2. Itaque spes conuenit concupiscentiæ, & desiderio quatenus tendit ad bonum absens, atque indidem differt ab amore, & multo magis à gaudio, & delectatione. Conuenit verò cum abominatione, & fuga contraria concupiscentiæ, quatenus tendit ad aliquid difficile, & arduum, quod quatenus tale habet rationem mali, atque indidem differt ab eadem concupiscentia, seu desiderio, quatenus hic affectus præcendit ab hac particulari circumstantia malitiæ. Conuenit denique cum desperatione, quatenus vtrique versatur circa bonum difficile. Sed differt ab eadem, quatenus in spe præualeat ratio concupiscentiæ identificata cum ipsa, & consequenter præualeat respectu eius ratio bonitatis, quæ consideratur ex parte obiecti, in desperatione verò præualeat ratio abominationis, & fugæ identificata similiter cum ipsa, & consequenter præualeat respectu eius ratio difficultatis, & malitiæ, quæ obicitur, vt afficiens bonum intentum. Dictum est autem supra, causam concupiscentiæ esse delectabile absens, & causam abominationis esse pariter malum absens, ac imminens. Dicendum igitur consequenter est causam spei esse delectabile absens, prout coniunctum cum hac particulari ratione mali, quæ consistit in difficultate consequutionis, seu in eo, quod idem bonum sit difficulter consequibile. Ex quo proinde imminet malum congregiendi cum difficultate, eamque superandi, siquidem intendatur efficaciter ipsum bonum.

Art. 3. Superadditur postremo ratio cogniti, quæ quidem est communis omnibus passionibus, vt præmonitum est sæpè, sed indiget peculiari expositione in re præsentia, propter conflictum prædictum

dictum rationum inuicem oppositarum ex parte obiecti, quod est causa spei. Inde enim fit, ut requiratur cognitio diuersæ longæ rationis ad spem facile, ac intense concipiendam, & ad eandem diu, ac firmiter retinendam vsque ad totalem victoriam difficultatis, & ad inductionem, ac præsentiam boni sperati. Eò nimirum facilius concipitur spes de consequutione boni desiderati, quo maior est apparentia bonitatis, & minor apparentia difficultatis, ac arduitas, ipsaque bonitas apparet maior, & minor difficultas, ac arduitas. At diuturnitas, ac firmitas spei eò est maior è conuerso, quod ad posteriorem partem attinet de difficultate, (nempe quoad bonitatem, & eius apparentiam est eadem utrobique ratio) quo apparentia eius maior ab initio fuerit, aut ipsa difficultas apparuerit maior. Ratio est, quia sicut bonitas rei desideratæ est ratio formaliter mouens appetitum, ideoque iuuans ad prosecutionem eius, & ad perseuerantiam prosecutionis, eoque consequenter magis, quo apparet maior, aut apparentia eius maior est; ita difficultas, ac arduitas, quantum est de se retardat, ac impedit appetitum, quominus prosequatur bonum, cui ipsa adiacet, & quominus in prosecutione eius perseueret, & consequenter existente initio parua difficultatis apprehensione facile concipitur spes, sed deponitur deinde pari cum facilitate, quando in ipsa operis executione difficultas per experientiam innotescit magis aut maior. At si initio præiuit existimatio totius difficultatis, & arduitis ad æquata eidem, iustæque commensurata, spes in operis executione erit firmiter, & constantius retinebitur. Quia videlicet nulla poterit superuenire apprehensio deiiciens à spe concepta, in operis progressu. Et, quod caput est, existente initio adæquata, & clara totius difficultatis apprehensione, aut non concipitur spes, vel concipitur cum maiori adhesionem ad bonitatem, quæ proposita erit, quatenus præponderans eidem difficultati, ac arduitati, ut est per se manifestum, quandoquidem spes est affectus comparatiuus, seu quasi comparatiuus bonitatis intentæ cum difficultate superanda, atque prælatius illius respectu mali consistentis in difficultate, quæ superanda proponitur. Patet autem maioritatem, & intensionem affectus, & appretiationis circa bonum intentum conferre plurimum ad firmitatem, & constantiam affectus, eandemque labefactari, ac minui ex contraria remissione, minorique appretiatione. Spes igitur facilius initio concepta, quam par esset absolute ex natura ipsa rei, amittitur facilius in progressu, accedente experimentalis notitia difficultatis. Amittitur verò è conuerso facilius, quæ concepta est cum difficultate proportionaliter tanta, ut minimum, quanta est re ipsa difficultas operis exequendi.

Art. 4. Ex his apparet motiuum saltem partiale spei esse causam, ut cuius existere potest, & in cuius virtute continetur bonum desideratum: quia possibilitas, & futuritio boni desiderati, quas dictum est includi in motiuo spei, constituuntur per præsentem existentiam causæ, potentis inducere bonum desideratum, atque disposita ad illud re ipsa inducendum. Possibilitas nimirum boni constituta per solam habitudinem, & consonantiam mutuam prædicati ad subiectum, de qua dictum est paulo prius ex Philosopho, & D. Thoma, nihil facit ex se præcisè ad spem potius, quam ad desperationem concipiendam. Si enim cognita non repugnantia boni secundum suam præcisè prædicatam, simul concipiatur nullam existere causam, quæ possit illud inducere, sitque disposita ad inducendum re ipsa, nulla potest concipi spes, sed desperatio po-

tius subsequitur necessario, ut pote nulla existente possibilitate practica, quam urgeat appetitus per suum imperium, sed sola speculatiua, ac metaphysica, quæ secundum se præcisè se habet per accedens in ordine ad opus, & ad realem consequutionem boni, quod proponitur appetitui. Iam si idem bonum cognoscatur ut futurum, non per solam denominationem à præsentem existentia causæ valentis illud inducere, licet difficultè, sed per denominationem ab euentu existentia eiusdem boni pro tempore sequenti, eo ipso tollitur ratio arduitis requisita in obiecto spei. Qui enim prænotescit iam aliquid ut existens in tempore sequenti, non potest in sensu composito talis existimationis inducere in animum ullam difficultatem, & arduatem circa eius executionem, & positionem à parte rei, id est contingentiam, & possibilitatem aliquam, ut impediatur, & non existat. Possibilitas igitur, & futuritio mouens ad sperandum debet esse indistincta ab existentia præsentem causæ potentis inducere vi sua bonum desideratum, & disposita ad inducendum, idque cum difficultate, & arduitate aliqua; hoc est existente simul aliqua causa renitente aliquammodo causæ priori, quominus prodeat in opus, & conferat existentiam bono desiderato. In hunc igitur modum causa spei est delectabile absens, nempe secundum se, licet sit aliquo modo præsens in causa sua, & difficultè consequibile, sub quo conceptu includitur possibilitas, & futuritio ipsius delectabilis per denominationem ab eadem causa potenti illud inducere, nec tamen inductura, nisi superata renitentia alicuius alterius causæ sibi contradicentis; ac demum cognitum ut tale, nempe cognitione præferente magnitudinem bonitatis delectabilis, & delectationis magnitudinem difficultatis, & arduitis superandæ, ut illud habeatur. Quia de causa ratio delectabilis, & consequibilis ponitur in recto in expositione causæ sperandi, difficultas vero aduersarialiter tantum in obliquo.

Ad 1. Plures sunt circumstantiæ causarum, quæ secundum se præcisè nullam habent virtutem causatiuam, quarum nihilominus diuersitas reddit causam proximè potentem ad effectus specie diuersos. Huiusmodi porro circumstantia est absentia boni delectabilis, quoad vim motiuam eius respectu appetitus. Quia per absentiam tollitur formaliter præsentia delectabilis, quæ si adesset, adhiberet specialem rationem sui motionem appetitus. Sublata autem, aut impedita aliquatenus virtute actiua, & motiua causæ, actiuitas, quæ superest, inducit necessario effectum diuersum ab eo, quem induceret absque tali impedimento, seu totaliter expedita, & vigeat quoad omnia sua prædicata essentialia simul, & actualia.

Ad 2. Idem ferè dicitur, atque ad primum. Nempe difficultas præapprehensa ex parte appetibilis cogit appetitum, ut vel non afficiatur ad illud, sed omittat affectum, & intensionem eius, vel amplectatur illud per affectionem pugnacem, & contentiosam; id est ita appretiatuam bonitatis propositæ, ut simul sit contemptiua, ac repulsiua, & superatiua difficultatis. Exerit igitur hic etiam appetibile, & bonitas ipsi conueniens vim motiuam, & actiuitatem specialem respectu appetitus, ratione circumstantiæ, quæ non est actiua secundum se, sed potius est retardatiua actiuitatis causæ, cui adiacet.

Art. 1. Ad 3. Circumstantia, quæ requiritur ex parte causæ, non ad quemlibet indiscriminatum effectum eius, sed tantum ad peculiarem aliquam speciem effectus inducibilis per ipsam, confert augmento suo ad augmentum effectus secundum peculiarem illam rationem differentialem, eius

&

& similiter confert diminutione sui, tum ad diminutionem effectus secundum eandem rationem differentialem, tum ad augmentum effectus secundum eam ipsius formalitatem, secundum quam eadem circumstantia minime requiritur ex parte causæ. Difficultas autem afficiens rationem delectabilis requiritur, vt idem delectabile inducat in appetitu, non quemlibet indiscriminatim affectu, sed solum contentiosum, & pugnacem, nempe appetituum bonitatis, appetitione sufficienti ad contemptum, & repulsionem, atque victoriam difficultatis adiunctæ.

Art. 2. Vnde, crescente difficultate, eiusque apprehensione, si quidem sequatur nihilominus affectus erga delectabile, is euadit necessario magis propterea appetitiuus bonitatis, ad quam afficitur, & superatiuus consequenter maioris difficultatis, quæ est ratio differentialis affectus contentiosi, & pugnacis. Difficultate vero, eiusque apprehensione existente minori, affectus, qui deinde subsequitur, euadit, cæteris paribus, magis intensus quoad rationem communem puræ concupiscentiæ, ad quem affectum non requiritur talis circumstantia, simulque minus appetitiuus, minusque contentiosus, & pugnax, quæ est ratio differentialis affectus, ad quem requiritur circumstantia difficultatis. Demum si totaliter absit difficultas ex parte appetibilis, vis appetitiua relinquatur prompta, & facilis ad prædictum puræ concupiscentiæ affectum, sed simul redditur impossibilis affectus specialiter appetitiuus obiecti delectabilis, idemque contentiosus, & pugnax. De cuius videlicet conceptu est, vt sit difficilis, vtque concipi non possit per appetitum, nisi quatenus assurgentem ad expugnationem, & victoriam difficultatis.

Art. 3. Mirum enimvero non est, affectum essentialiter difficilem, ac arduum, pugnacemque reddi proximè impossibilem, sublata penitus apprehensione difficultatis, ac arduitatis, manente interim prompta indidem, atque expedita potentia appetitiua ad aliam speciem affectus, & appetitionis. Itaque obiectio laborat æquiuocatione, quatenus confundit rationem communem affectus, cum particulari eius specie circa bonum absens, nec non augmentum, & diminutionem affectus quoad peculiarem rationem suam differentialem, cum augmento, & diminutione quoad rationem communem alij affectui. Quæ sunt attentè & perspicaciter consideranda.

Ad 4. Eadem ratione prouidit iuuentuti natura de bona spe, bonaque nutritione. Quia videlicet indiget augmento corporis, ad quod est necessaria magna vis nutritiua, & similiter indiget acquisitione plurimorum bonorum, quibus nascimur spoliati, atque ad illam est similiter necessarium administriculum spei magnæ, ac facilis. Vtrumque autem consequuta est natura per idem medium, nempe subministrando iuuenibus abundantiam caloris maximam. Abundantia enim caloris sicut confert ad digestionem, & nutritionem optimè peragendam, ita etiam confert ad spem facile, ac intensè concipiendam. Confert vero ad hoc secundum dupliciter. Primum quia magnitudo caloris diffusi per totum corpus reddit vegetiores omnes eius partes, meliusque dispositas ad operandum, & ad superandas difficultates intercurrentes in opere. Dictum porro est, eiusmodi dispositionem causæ conferre ad sperandum facile, ac intensè. Deinde eadem magnitudo caloris vitalis confert ad maiorem apparentiam bonitatis appetibilem, quatenus, rarefactis inde spiritibus vitalibus, & sensorio, species impressæ appetibilem, illis insidentes, diffun-

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

duntur & ipsæ in maius spatium, ideoque quodammodo augentur, & consequenter reddunt maiorem apparentiam obiectorum suorum, quæ sunt excitatiua appetitus, eiusdemque attractiua ad se. Verum quia, eadem de causa, & ob defectum experientiæ, præit in iuuenibus minor apprehensio difficultatum ante operis executionem, consequenter exurgit in illis facile ante operis aggressionem, & æque facile euanesceat in ipso opere affectus spei, eiusdemque efficacia, iuxta dicta superius art. 3. nec non ad argumentum præcedens. Idem dicitur de ebriis ob eandem abundantiam caloris, quam in eos inducit abundantia vini, & eò maiorem, quò potentius hoc est, atque calidius, nisi quod iuuenis aduertit in ipsa operatione difficultatem, quam initio non præcognouit; ebrius vero ne tum quidem aduertit quidquam satis bene. Verum quia in neutris deest, certè in iuuenibus non deest totaliter præcognitio difficultatis ex parte operum, quæ re ipsa sunt difficilia, propterea non deest ratio obiectiua sufficiens ad spem propriè talem. Quod si ratione iuuentutis euadat, aut appareat aliquid omninò facile, experique penitus arduitatis, eatenus deerit in iuuenibus spes propriè talis, eademque erit possibilis ob rationem contrariam in senibus circa idem, & similiter de ebrio, & non ebrio.

Ad 5. Experientia difficultatum coniuncta cum consuetudine illas superandi, ita auget, ac perficit cognitionem illarum secundum se, vt simul diminueat cognitionem earundem comparatiuam cum ipso experto. Quia videlicet consuetudo reddit facilia, quæ erant difficilia, tum propter administriculum consuetudinis, & habitus, tum propter acquisitam sensim industriam modi ad exequendum facilius. Atque hoc solum est, quod docet eo in loco Philosophus & ex eo D. Thomas quæst. 40. art. 5. Si autem experientia difficultatum sit destituta consuetudine illas superandi, & præterea per experientiam, vt plerumque contingit, deprehensa fuerit maior difficultas, quam quæ ab inexperto iudicari potuisset; experientia eadem reddit & difficilem conceptionem spei, & constantem, ac pertinacem permanentiam eius, si quidem nihilominus concipiatur. Propterea senes difficulter incipiunt sperare, & æque difficulter desistunt, cum capere semel sperare, iuxta dicta superius in illo art. 3. & deinde ad 3. Quod si ex assuetudine tollatur penitus difficultas, tollitur etiam eatenus spes, vt dictum similiter est in fine præcedentis responsionis.

QVÆSTIO XXIX.

Vtrum spes sit causa amoris, & delectationis, atque operationum exteriorum?

Videtur non esse. 1. Quia amor est causa reliquarum omnium passionum, vt dictum est supra, ac proinde est causa etiam spei. Nihil autem est causa suæ causæ. Ergo spes non est causa amoris.

2. Idem non est causa oppositorum. Delectatio autem, & tristitia opponuntur in primis inuicem. Deinde spes est causa tristitiæ. Contristat enim, quod affligit. Affligit vero spes, vt apparet ex illo Prouerb. 13. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Ergo spes non potest simul esse causa delectationis.

3. Nulla causa inducit effectus non participes perfectionis sibi specialiter conuenientis. Amor

F 3 autem,

autem, & delectatio non sunt participes perfectionis, quæ specialiter conuenit spei: quia spes fertur ad bonum mixtum malo, & propterea affectum malitia difficultatis, ac arduis. Amor uero, & delectatio feruntur ex suo conceptu ad solam rationem bonitatis secundum se, quæ est ratio obiectiua penitus diuersa à priori obiectiua ratione. Cum ergo speciales affectuum singulorum conditiones sint conformes specialibus conditionibus suorum obiectorum, ex quibus specificantur; patet perfectionem peculiarem, tum amoris, tum delectationis esse penitus diuersam à peculiari perfectione spei, nec ullam huius in illis existere imitationem, seu similitudinem, ac participationem.

4. Si spes esset operatiua, eo magis conferret ad operandum, quò esset maior, ac securior, seu certior. Oppositum autem apparet clarè per experientiam. Eo enim operamur minus in ordine ad consequutionem boni, reddimurque negligentiores, quò maior, ac certior affulget nobis spes de illius consequutione; & è conuerso periculum, ne proueniat bonum desideratum, reddit nos diligentes, ac operosos, cum tamen idem periculum, eiusque existimatio diminuat spem, & eo magis, quò maior est. Ergo spes nihil confert ad operandum, nec est causa operationum exteriorum.

5. Desperatio est maximè operatiua, ut patet præcipuè in professione militari, quæ est uel maximè operatiua. Quia nihil est milite, & exercitu desperato formidolosius inimico eius. Quæ de causa lib. 2. Reg. 2. 27. exclamat Abner ad Ioab: *Nam usque ad interuentionem tuam mucro desinuit? An ignoras, quod periculosa sit desperatio?* Hoc autem non aliunde prouenire potest, quam quia desperatio reddit militem summè actuosum, atque operatiuum usque ad ultimum potentia. Ergo spes, quæ est opposita desperationi, usque adeo nihil confert ad operationem ullam exteriorem, ut retardet illam potius, atque impedit.

6. Passiones inducunt alias operationes exteriores, mediante transmutatione corporali, quam inducunt immediatè. Spes autem nullam inducit transmutationem corporalem. Quia spes versatur circa obiectum compositum ex bono, & malo, ut dictum est. Transmutatio autem proueniens ex affectu circa bonum est opposita transmutationi, quæ prouenit ex affectu circa malum. Ergo affectus, qui versatur circa obiectum compositum ex bono, & malo, nullam omnino causat transmutationem, utpote impeditus altera ratione sua obiectiua, quominus inducat transmutationem aptam prouenire ex altera ratione sua obiectiua.

7. Spes nec operationum exteriorum facilius causa esse potest, nec difficilium. Non quidem facilius: quia concupiscentia, seu desiderium, quod præsupponitur ad spem, est sufficiens earum causa. Sed nec difficilium: quia operationes exteriores sunt difficiles, & arduæ pertinent ad audaciam, ut apparebit infra quæst. 31. & 33. Ergo spes nullæ operationis exterioris est causa.

Respondetur. Quælibet intentio finis est inducitur, & actiua eorum, quæ requiruntur, & conferunt ad consequutionem finis; & quod aliquid est consequutio finis eodem modo est causa delectationis, quæ est de fine iam obtento. Spes autem est intentiua boni ardui, quatenus possibilis, & futuri possibilitate, & futuritione indistincta à præsentem existentia, & dispositione causæ, in qua idem bonum continetur. Ad consequutionem autem boni difficilis ac ardui requiritur sæpe adiutorium, & cooperatio aliorum respectu intendentis illud. Unde intendens tale bonum per spem, determinatur

per eandem, ut amet eum, cuius indiget ope, & auxilio. Quia uidelicet is habet eo ipso rationem specialem bonitatis respectu sperantis, quæ sperans est. Habet enim rationem subuenientis, seu potentis subuenire exigentiæ, ac indigentia, & inclinationi inclusæ in affectu, ac intentione spei. Ergo spes est ex hoc capite causatiua amoris erga eos, ex quibus prouenire potest bonum speratum, & quorum ope, ac auxilio potest superari arduitas eius. Quam in rem inducit opportunè D. Thomas uerba Glossæ ad illud Matthæi 1. 2. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*: id est, ait Glossa, *fides spem, spes charitatem*. Quæ sententia & series actuum pluribus confirmata est quæst. 37. de Virt. Theol. Eadem ratione confert spes ad operationes exteriores, estque causatiua earum. Quia ad consequutionem boni ardui sunt necessariae plures operationes propriæ ipsius sperantis, & similiter necesse est magnam in illis diligentiam adhibere, ut superetur eadem arduitas finis intenti. Quæ de causâ dicit Apostolus 1. ad Corinth. 9. 10. *Debet in spes, qui arat, arare: & qui trahit in spes fructus percipiendi*. Ut scilicet diligenter, ac perseveranter arat, & trahat. Denique quatenus animus afficitur ad bonum possibile, & futurum possibilitate, & futuritione indistincta à præsentem existentia causæ, & bonæ dispositionis in ipsa ad inducendum bonum intentum, consequitur ad spem delectatio. Quia præsens, & iam existens possibilitas, & futuritio boni est quoddam bonum præsens. Delectatio autem consequitur ad quamlibet præsentem existentiam boni. Patet igitur, spem esse causatiuam, & amoris, & delectationis, & plurium operationum exteriorum, nec non diligentia, & peculiaris attentionis in operando, atque hæc omnia præstari per ipsam efficacius, propterea contingerit, eam esse intensiorem.

Ad 1. Non repugnat idem esse effectum unius amoris, & causam alterius amoris. Spes autem est effectus amoris circa bonum speratum, secundum rationem boni præcisè, neque hunc amorem causat vicissim eadem spes. Causat uero amorem erga eum, uel eos, qui iuuare possunt ad superandam arduis boni sperati, & ad eius consequutionem, neque hic amor est vicissim causa spei præter quam indirectè. Nempe quatenus amor sperantis erga potentem iuuare, potest eum inducere ad redamationem, atque redamatio specialiter eundem disponit ad opitulandum speranti, qui proinde potest ea de causâ erigi ad augmentum spei. Verum hoc augmentum prouenit immediatè ex sola prædicta redamatione, cuius causâ non fuit tale nouum augmentum spei, sed sola spes remissior, quæ præcessit. Unde nulla est mutua causalitas indiuidualis, sed solum secundum genus.

Ad 2. Dictum est superius in obiecto spei præualere rationem boni rationi mali. Ergo in ipsa spe præualet vis inductiua delectationis, quantum est de se, uirtuti contristatiuæ, ideoque delectat potius, quam contristet. Unde, quod spei accedat tristitia, est per accidens quoad vim motiuam propriam ipsius spei. Adiungitur enim tristitia propter aliquam circumstantiam nocentem, quæ super inducitur, qualis maximè est dilatio boni sperati. Quæ de causâ dicitur in illo Proverbiolum loco, spem affligere, non qualemcumque, sed quæ differtur. Dilatio enim ex se præcisè est purum malum, ideoque contristet, & debilitat consequenter delectationem, cuius spes est causa per se.

Ad 3. Omnis causa æquinoca inducit effectus inadæquatè tantum participes perfectionis specialis, quæ sibi conuenit. Talis autem causa est spes respectu amoris, & delectationis; quia amor conuenit cum

cum spe, quoad prosecutionem eorum, quæ conferunt ad existentiam boni sperati, & similiter delectatio conuenit cum eadem spe, quoad prosecutionem boni præsentis, in quo continetur bonum aliud absens. Conceditur itaque obiectioni perfectionem amoris, & delectationis non congruere perfectioni spei, quo ad conceptum eius adæquatum. Quod nihil nocet conclusioni.

Ad 4. Contingit bonum speratum esse vsque adeo propinquum consequutioni, & possessioni eius, vt parum necesse sit operari pro consequutione eius, & tunc spes est magna, & parua operatio, non ex insufficientia spei, aut inefficacia ad operandum, sed quia non est necesse operari, nisi parum, atque hinc sortitur magna spes apparentiam negligentis, ac parum actiuæ. Cæterum re ipsa eo quisque efficacius, ac intensius incumbit operationi necessariæ ad consequutionem finis, quod eius præsentia, & possessio propinquior est, iuxta illud: Motus in fine velocior, nempe ex propinquitate ad terminum motus. Idem dicitur proportionaliter de apparentia maioris actiuitatis in spe, cuius obiectum est remotius, & adhuc indigum plurimum operationum pro consequutione ipsius; cum re ipsa spes longè dissita à bono sperato sit per se remissior, minorisque proinde vigoris ad inducendum operationes necessarias pro consequutione finis.

Ad 5. Desperatio alia est totalis, ac vniuersalis, alia partialis de aliquo tantum particulari bono. Desperatio totalis, ac vniuersalis præcedit vires omnes operandi, & impedit omne opus. Quia nemo desperans de fine, quidquam eatenus operatur, vt dicit Philosophus, atque vt idem affirmat lib. 2. Rhet. cap. 2. initio: *Nemo enim, qui sibi videtur impossibilia, expetit.* Desperans autem afficitur ad ea, de quibus desperat, tanquam ad impossibilia, vt infra dicitur. At desperatio partialis de aliquo bono, coniuncta cum spe de alio bono, confert indirectè ad operandum efficaciter in ordine ad bonum, cuius spes adhuc superest. Primum quia suspensa operatione in ordine ad finem, de quo est desperatio, nec non attentione ad ea, quæ illi obtinendo potuissent esse opportuna, reuocatur tota actiuitas, totaque attentio ad operationes conferentes ad finem adhuc speratum, ideoque eadem operationes intensius, ac fortius executioni mandantur ex vi spei, quæ superest expedita ab applicatione, & diuersione virium, & attentionis per spem aliam. Deinde ad desperationem eiusmodi partialem consequitur ira aduersus intercludentes additum spei circa bonum desperatum. Ira autem est maximè, ac feruentissimè operatiua. Hinc prouenit maxima, & formidabilis actiuitas militum post desperationem fugæ, & incolumitatis vitæ. Ira enim ex hac desperatione debilitatur, aut impeditur penitus operatio ordinata ad fugam, & ad conseruationem vitæ, vt simul accendantur, ira ad vindictam, cuius adhuc superest spes, aduersus hostes authores tanti mali. Itaque operatio in hoc etiam euentu est ex spe aliqua, eaque sola, atque desperatio tantum se habet, tanquam remouens prohibens, seu diuersiuium, & tanquam excitatiua iræ aduersus nocentes, atque inducens mali cogentis ad desperandum, ipsiusque desperationis.

Ad 6. Est quidem parua transmutatio corporalis proueniens ex spe, propter contrarietatem ex parte obiecti ponderatam in obiectione. Verum quia ratio boni præualet in obiecto spei, vt dictum est, ideoque spes habet plus de delectatione, quam de tristitia, vel timore, inducit transmutationem aliquam, eamque similem transmutationi, quæ consequitur ad delectationem. Quapropter diffundit

sanguinem, & spiritus vitales per omnes corporis partes, quas proinde fortificat, & reddit magis idoneas, maiorisque vigoris ad operandum, sicut dictum est supra de delectatione. Præterea affectus appetitus sensitiui habent vim applicandi ad opus immediatè potentias naturales; sicut applicant easdem vi sua immediatè actus voluntatis in ordine ad finem intentum; tametsi nullam inducant, immediatè per se, transmutationem corporalem. Quapropter spes, tametsi transmutet parum, potest conferre multum ad operandum.

Ad 7. Operationes exteriores possunt procedere ex spe, siue sint faciles, siue difficiles. Faciles quidem: quia actiuitas concupiscentiæ, seu desiderij, quod præsupponitur ad spem, redditur maior, vigetque magis, accedente spe, & eius cooperatiue. Difficiles verò, quia spes est causa audaciæ, vt infra dicitur, eidemque cooperatur, quatenus indiget accessione eius ad victoriam terribilium, quoad alias verò operationes sufficit absque adminiculo, & adiutorio eiusdem audaciæ. Omnes igitur indiscriminatim operationes necessariæ ad consequutionem boni sperati prouenire possunt, licet diuersimodè, ex virtute causatiua spei.

QVÆSTIO XXX.

Vtrum desperatio sit passio remouens ab arduitate delectabilis secundum sensum?

Videtur non esse. 1. Quia passio est motus, vt dictum est supra. Desperatio antea non est motus, sed magis pura priuatio motus. Desperans enim redditur immobilis ex vi desperationis, nec quidquam eatenus agit vel prosequendo, vel etiam fugiendo. Ergo desperatio non est passio, sed pura priuatio passionis spei. Confirmatur ex ipsa nominis deriuatione, quæ est ex sperare, superaddita particula purè exclusiua, ac priuatiua; ad eum modum, quo defectus, quod est nomen puræ priuationis, deducitur à facere, cum eadem particula exclusiua. Augetur vis huius rationis, quia passionibus omnes aliæ oppositæ passionibus, quarum obiectum est aliquid positiuum, significantur per voces; non purè exclusiuas passionum, quibus opponuntur, sed habentes modum itidem positiuum significandi, vt patet in odio, abominatione, tristitia, & timore. Patet igitur desperationem esse puram priuationem, & suspensionem spei, ac proinde non esse passionem.

2. Passio remouens ab aliquo obiecto consistit in fuga. Quia ipsa remotio appetitus ab aliquo est formaliter fuga quædam ab eodem. Desperatio autem non est fuga. Quia obiectum fugæ est malum, cum sit impossibile fugere à bono vt bonum est. Obiectum autem desperationis est bonum. Dicitur enim quis desperare beatitudinem, victoriam, salutem, vitam; non verò miseriam, oppressionem, aegritudinem, mortem. Ergo desperatio non est passio remouens.

3. Desperatio, si quidem sit passio, est vtique passio contraria spei. Est autem de conceptu contrariorum, vt sint circa idem. Desperatio autem, & spes non sunt circa idem: quia spes est prosequutiua boni, vt dictum est, ac proinde fertur ad bonum per se, & tantum per accidens, purèque materialiter ad malum. At desperatio vertitur circa malum. Est enim affectus fugæ, atque consistens formaliter in fuga, & auersione, atque recessu, vt docet D. Thomas quæst. 23. art. 2. & magis ex professo in hac

quæst. 40. art. 4. Manifestum autem est, fugam omnem, & auersionem, atque recessum verari circa malum, quod solum est repulsiuum appetitus, solumque per accidens, & purè materialiter posse attingere bonum. Ergo desperatio non est passio contraria spei. Multò verò minùs dici potest, quod sit passio disparate se habens respectu eiusdem. Dicendum igitur necessario est, desperationem esse puram priuationem passionis spei; sicut dicitur à D. Thoma, aliisque communiter de mansuetudine propria appetitus sensitui, comparatione iræ.

4. Omnis passio est actus appetitus sensitui. Desperatio autem pertinet ad voluntatem, ut apparet inter alia ex illo Eccl. 27. 24. *Denudare autem amici mysteria, desperatio est anima infelicitis.* Cognitio enim denudationis mysteriorum amici, & afflicto inde proueniens, est propria solius partis intellectiua.

Art. 1. Respondetur. Pro intelligentia desperationis, eiusque legitima comparatione, cum spe, & discretionem ab eadem, præmittenda est distinctio duplicis contrarietatis inter affectus, ex obseruatione D. Thomæ in hanc ipsam rem prædicta quæst. 40. art. 4. Altera contrarietas est per tendentiam appetitus ad terminos adæquatè inuicem contrarios; atque hæc oppositio reperitur in solis passionibus, quarum obiectum est simplex, atque vniiforme, seu non constans ex partibus, aut formalitatibus sibi inuicem contradicentibus, ut apparet in amore, & odio: concupiscentia, & abominatione: delectatione, & tristitia. Altera contrarietas est per accessum, & recessum respectu eiusdem termini; atque hæc oppositio reperitur in solis passionibus, quarum obiectum est compositum, atque heterogeneum & constans ex partibus, seu formalitatibus inuicem oppositis, nempe ex bonitate aliqua & aliqua malitia, quarum altera mouet ad accessum, altera ad recessum. Vnde vterlibet motus est promiscuè possibilis circa huiusmodi obiectum. Quia verò obiectum passionum pertinentium ad irascibilem est tale; propterea in illis solis adstruitur à D. Thoma, & aliis communiter contrarietas per solum accessum & recessum respectu eiusdem termini. Verum est impossibile, ut terminus, à quo recedit, & ad quem accedit per suum actum appetitus sensitui, sit prorsus idem, utque nulla intercedat diuersitas ex parte obiecti determinantis vltimò ad accessum, & determinantis vltimò ad recessum, uti obseruatum iterum fuit supra quæst. 2. art. 6. & 7. Quia in potentia necessaria, qualis est appetitus sensitui, nequit dari vlla diuersitas, & multò minùs oppositio actuum, absque pari diuersitate, aut oppositione ex parte motui determinantis illum; si quidem in potentia necessaria non datur vlla indifferentia determinabilis per propriam electionem ad vtrumlibet oppositorum, aut diuersorum, obiecto existente prorsus eodem quoad substantiam, & circumstantias.

Art. 2. Itaque affectus spei, qui habet rationem accessus, exurgat in appetitu sensitui, ratio bonitatis arduæ, ac difficilis proponitur ut præualens malitiæ arduitatibus, ac difficultatibus. Deprimatur verò idem appetitus in affectum desperationis, quando è contra malitiæ arduitatibus, & difficultatibus, seu defectus dispositionis ad inducendum bonum speratum, qui apparet in causa eiusdem boni, præualeat bonitati, quæ est ardua, seu potius dispositioni, si quæ apparet ex parte eiusdem causæ, ad inducendum idem bonum. Eadem nimirum ratione, qua in affectibus pertinentibus ad concupiscibilem, pro affectu prosecutionis est necessaria præuia propositio boni, & similiter pro affectu fugæ præuia pro-

positio mali; est itidem necessaria in affectibus irascibilis præuia propositio bonitatis præminentis malitiæ, ut sublequatur affectus accedendi, seu affectus, in quo præmineat ratio prosecutionis ut verò sublequatur affectus recedendi, seu affectus, in quo præmineat ratio fugæ, est similiter necessaria præuia propositio malitiæ arduitatibus, seu malæ dispositionis in causa boni sperati, quæ præmineat bonitati rei desideratæ, aut bonæ dispositionis in eadem causa. Cum igitur in affectu spei præmineat ratio concupiscentiæ, & prosecutionis, ut dictum est supra, & consequenter in desperatione, quæ est contraria spei, præmineat ratio abominationis, & fugæ necesse utique est, ut cognitio dirigens affectum desperationis repræsentet arduitatem delectabilis desiderati, ut præponderantem bonitati eiusdem delectabilis, aut dispositioni causæ illud præcontinentis ad ipsum inducendum. Hoc enim pacto, & non aliter determinari potest appetitus sensitui, ut recedat, per desperationem, à bono desiderato, utque per eandem superfeedat à conatu consequendi idem bonum. Cum ergo eiusmodi præminencia mali sita sit in arduitate ipsius delectabilis, vel propter eius superexcessum, loquitur D. Thomas in dicto art. 4. ad 2. vel propter malam dispositionem causæ ad illud inducendum; rectè dicitur, desperationem esse passionem remouentem ab arduitate delectabilis secundum sensum.

Art. 3. Ex his, & ex iis, quæ dicta sunt supra de causa spei, deprehendi facile potest, quanam sint impedimenta, seu remedia, ut dicitur, vtriusvis affectus, tum quoad substantiam, tum quoad solum excessum. Ea namque omnia impediunt, aut minuunt spem, quæ impediunt, aut minuunt vires causæ, seu causarum valentium inducere bonum desideratum, earundemque virium apprehensionem & cognitionem præuiam, qualis est magnitudo diuitiarum, auctoritatis, roboris in corpore, gratiæ, & amicitia apud alios, consanguinitatis cum potentibus, & sic de similibus pro qualitate rei desideratæ atque magnitudo apprehensionis, & existimationis circa eadem. Contraria verò horum tollunt similiter, aut minuunt desperationem, nisi quod ad inducendam desperationem sufficit defectus cuiuslibet ex requisitis ad bonum desideratum, ad sperandum verò omnia simul ad illud requisita necesse est adesse. Quæ differentia prouenit ex differentia saepe notata inter malum, quod est ex quocunque defectu, & bonum, quod est ex integra causa, iuxta documentum celebre Dionysij. Eadem nempe ratio est quoad præminentiam mali supra bonum, qua nititur spes. Inquam verò boni & mali vtriusque, non tam ex parte boni sperati, aut desperati, quam ex parte causæ continentis illud. Quia fundamentum & mensura spei, & desperationis, non tam est bonitas, aut defectus bonitatis in re desiderata, quam bona, aut mala dispositio causæ illam præcontinentis ad inducendam eandem. Possibilitas enim, & futuritio rei desideratæ, eiusdemque impossibilitas, & non futuritio, quibus mouentur spes & desperatio sunt indistinctæ ab eadem causa præcontinente in se bonum desideratum, eiusque præuia dispositione representata appetitui, ut dictum est supra circa spem, & consequenter subintelligitur proportionaliter circa desperationem illi contrariam; sicut & subintelligenda similiter sunt opposita reliquorum, quæ dicta fuere de spe.

Ad 1. Dicitur cum D. Thoma in prædicto art. 4. ad 3. desperationem non esse puram priuationem spei, sed esse affectum positium, quo recedit appetitus à bono desiderato propter præponderantiam arduitatibus, & difficultatibus, ut illud obineatur.

Vnde

Vnde quod desperans immobilizetur, nihilque teneat, aut agat in ordine ad idem bonum, verificatur de vltiori operationum serie in ordine ad illius consequutionem, non verò ratione carentia omnis affectus circa illud; quandoquidem manifestatum est superius motuum sufficiens, vt desperans possit concipere, concipiatque necessariò affectum posituum recedendi, vi cuius suspendatur ea series operationum, & torpeat, hæreatque eatenus totaliter ipse desperans. Ratio porro, ob quam iste potissimum affectus significetur ad modum puræ priuationis, hæc est. Quia nimirum spes fertur ad bonum desideratum, aut viciè, aut certe principaliter, quatenus dependet à causalitate, & operatione alterius distincti ab ipso operante, vti notabitur, & exponetur in questione sequenti. Hinc enim fit, vt desperatio proueniat solum, aut certe principaliter, ex defectu operationis alienæ, seu potius dispositionis alienæ ad operandum, idèoque in desperante ipso non possit inducere operationem, quæ vitet, ac remoueat malum; à quo recedit, sicuti faciunt alij affectus fugæ ob oppositam rationem priuationis boni quatenus dependentis ab operatione propria.

Ad 2. Quia obiectum desperationis est mixtum ex bono, & malo, exponitur modo relatiue ad bonum, modo relatiue ad malum. Verum quia attingit bonum cum præponderantia mali, itavt recedat à bono propter malitiam illi adiacentem, cum excessu supra rationem bonitatis, atque ratio recedendi à bono est ipsa malitia; propterea desperatio absolute dicitur fuga; vtpotè attingens malum per se, & formaliter, bonum verò desideratum per accidens, & materialiter. Ratio porro, ob quam nihilominus desperatio denominata sit potissimum per habitudinem, & ordinem ipsius ad bonum desideratum, est illa eadem, ob quam nuper expositum est, eandem desperationem concipi per modum puræ priuationis. Nempe desperatio, respectu boni desiderati, habet rationem puræ priuationis excludentis formaliter spem, cuius è contra ratio formalis, & per se est bonitas, ratio verò materialis, & per accidens est malitia. Vnde vim propriam affectus positiui exercet formaliter desperatio circa rationem malitiæ. Cum igitur ratio priuationis sit magis conspicua in desperatione, quam ratio affectus positiui; non mirum est, nominatam eam fuisse, & concipi communiter, relatiue ad bonum, quod desperatur, potius quam relatiue ad malum, ob quod desperat, quicunque desperat; tamen causa desperationis sit formaliter ipsa ratio mali.

Ad 3. Sunt quidem circa idem, quæcunque sunt inuicem contraria. Sed ratio contrariorum nunquam est eadem, sed similiter contraria. Quapropter spes, & desperatio, inuicem contraria simpliciter, & directe, sunt circa idem bonum desideratum, cum hoc tamen discrimine, quod spes fertur ad bonum tanquam ad rationem suam formalem, atque motuum eius est bona dispositio causæ ad inducendum bonum desideratum; desperatio verò fertur ad malum, tanquam ad rationem suam formalem, atque motuum eius est mala dispositio causæ, seu defectus bonæ dispositionis ad inducendum idem bonum. Rationes igitur formales spei, & desperationis sunt diuersæ. At terminus, ad quem altera accedit, & à quo recedit altera, est prorsus idem. Vnde quod dicit D. Thomas art. illo 4. q. 40. ad 2. desperationem non respicere malum sub ratione mali, atque procedere illam posse ex solo superexcessu boni, accipiendum est de puro malo, quale est. quod obicitur odio, abominationi, tristitiæ; non vero de malo, quatenus configente, vt

sic dicam, cum bono sibi adiuncto, & quatenus præponderante rationi boni, quod propterea dimittitur per ipsam desperationem. Profectò hæc ratio mali admixti bono, eidemque prædominantis, non deest in bono, quod desperatur, ac dimittitur propter solum superexcessum ipsius, vt loquitur S. Doctor Bonum enim dicitur superexcedens respectu alicuius, non præcisè quia est magnum bonum, cum detur in voluntate spes summi boni, quod est Deus; sed quia superat actiuitatem, & vires, tum ipsius desiderantis idem bonum, tum potentiam, aut dispositionem aliarum causarum, quatenus valentium illi opulari in ordine ad consequutionem talis boni. Manifestum autem est, eiusmodi defectum, seu causæ, seu dispositionis, esse malum respectu desiderantis, atque desiderantem ipsum impediri eo defectu, tanquam malo quodam proprietati, quo minus speret, quod desiderat. Patet igitur, desperationem esse affectum propriè contrarium affectui spei, atque rationes formales obiectiuas vtriusque esse pariter oppositas inuicem; tamen bonum speratum, & desperatum sit idem; neque tenere paritatem ex ira, & mansuetudine, iuxta opinionem communem, quod mansuetudo in appetitu sensitui sit pura priuatio. De quo infra dicitur aliquid quæst. 41.

Ad 4. Dicitur est sæpe nomina passionum, & effectuum appetitus sensitui accommodari frequenter actibus voluntatis, propter affinitatem, & similitudinem specialem horum cum illis, quoad particulares vtrorumque differentias, & combinationes; tamen absolute differant inuicem realiter, & genere, & specie. Verum ea ratio affinitatis viger magis in affectibus irascibilis, quatenus hi affectus sunt quodammodo comparatiui, atque compositiui, vt dictum est, & dicitur distinctius circa iram & boni cum malo, & mali cum bono, atque præferentes alteram alteri ex illis rationibus inuicem connexis. Comparatio autem, & compositio, atque prælatio propriè tales pertinent ad intellectum & consequenter ad voluntatem, idèoque actus appetitus sensitui, participes specialiter illius modi tendendi in obiectum, accedunt propinquius ad actus rationales. Quæ credo, causa est, ob quam multiplicata sunt nomina concupiscentiæ, & desiderij delectationis, & gaudij, doloris, & tristitiæ, ad exprimendos seorsim cum proprietate actus appetitus sensitui, & voluntatis circa rationes obiectiuas inuicem affines vtriusque; spes verò & desperatio; audacia, & timor; ira, & mansuetudo accommodentur promiscuè actibus appetitus sensitui, & voluntatis absque simili vocum multiplicitate pro alterutris seorsim exprimendis propriè. In illo itaque loco Ecclesiastici sumitur desperatio pro actu voluntatis, vti & alibi sæpe. Id tamen non impedit, quominus eadem vox æquè familiariter supponat pro actu appetitus sensitui. Quapropter ex contextu, aut adiunctis particulis conici debet, qualifnam in vnoquoque loco suppositio.

QVÆSTIO XXXI.

Vtrum audacia sit passio mouens ad victoriam terribilium?

Videtur non esse. 1. Quia audacia consistit in prosecutione mali, vt dicit D. Thomas q. 45. art. 1. & maxime 2. Victoria autem est quid posituum, vt per se patet. Ergo audacia non est actus tendens ad victoriam.

2. Passio

2. Passio est motus proueniens à virtute causæ, dominantis passio, in quo recipitur idem motus, & vincentis resistantiam eiusdem subiecti, vt dictum est supra quæst. 1. Audacia autem est motus cuius subiectum vincit causam ipsi contradicentem. Quia, vt dicit D. Thomas quæst. 45. art. 1. hoc est discrimen inter timorem, & audaciam quod *timor refugit nocumentum futurum, propter eius victoriam super ipsum timentem; sed audacia aggreditur periculum imminens propter victoriam sui supra ipsum periculum.* Eadem igitur ratione, qua timori maximè conuenit ratio passionis, audaciæ conuenire minimè potest.

3. Audacia est indistincta à spe. Primo quia Philosophus agit de vtraque indistinctè, eademque causas, & effectus vtrique adscribit eisdem lib. 2. Rhet. cap. 5. versus finem. Deinde timor est passio contraria tum spei, tum audaciæ, vt dicit D. Thomas, quæst. 40. art. 4. ad 2. & in dicta quæst. 45. art. 1. aliique communiter cum ipso. At timor est vnica species passionis, vt apparet ex Philosopho ibidem, nec non ex D. Thoma à quæst. 41. ad 45. In omnibus enim quatuor illis quæstionibus agit de timore secundum totam suam latitudinem, tanquam de vnica passione nec vllibi distinguit timorem oppositum spei à timore opposito audaciæ. Vno autem contrariorum non multiplicato specie, nec alterum specie multiplicatur; atque superius quæst. 2. dictum est ex communi consensu singulis passionibus, tum concupiscibilis, tum irascibilis correspondere singulas passiones contrarias, nisi forte præter iram. Ergo si quidem timor oppositus spei, & oppositus audaciæ, non est alius, & specie; nec audacia est passio distincta specie ab spe. Spes autem non est passio mouens ad victoriam terribili-um, sed ad bonum arduum secundum se. Ergo audacia non rectè definitur in ordine ad eandem terribili-um victoriam.

Art. 1. Respondetur. Audacia comparatur cum spe, tanquam instrumentum cum sua causa principali. Quia inferuit consequutioni boni ardui intenti per spem, superando difficultates, si quæ occurrant terribiles, quibus impediatur consequutio talis boni, quæque eidem contradicant ratione periculi imminenti speranti, ex prosequutione boni, & ex conatu perueniendi ad possessionem eius, & ad delectationem circa ipsum iam possessum. Est autem instrumentum valdè assimile suæ isti causæ principali. Quia est commune audaciæ, & spei, vt feratur vtraque ad bonum, & absens, & possibile, & futurum, & difficile, atque in his tota ferè vtriusque essentia, & quidditarius conceptus continetur.

Art. 2. Differunt tamen, quia spes fertur ad bonum, quatenus dependens à virtute causæ distinctæ totaliter, vel saltem partialiter à virtute causatiua propria sperantis, atque ad rationem differentialem spei pertinet, vt possibilitas, & futuritio. Boni sperati dependeat ab aliquo extrinseco habente vim illud inducendi, aut retardandi, & consequenter conatus spei est aduersus difficultatem, quatenus prouenientem extrinsecus, nec auferibilem per opus solius sperantis proprium. At audacia fertur ad bonum, quatenus dependens à virtute, & causalitate propria ipsius audacis; & consequenter ad rationem differentialem audaciæ pertinet, vt possibilitas, & futuritio boni, audacter intenti, immediate dependeat à virtute, & bona dispositione ipsius audacis ad repellendam, & superandam difficultatem in contrarium, vtque eadem difficultas sit auferibilis per opus, & conatum eius proprium. Differentia ista spei, & audaciæ apparet in milite congressuro cum hoste. Dicitur enim sperare vi-

ctoriam, & non etiam audere ratione sui immediate. Dicitur verò e conuerso audere pugnam, & non dicitur sperare, quod sit pugnaturus. Pugnare autem spectat ad ipsum, qui audet, inque eius operatione consistit; nec dependet ex magnitudine, aut paruitate virtutis in hoste. At victoria dependet ex magnitudine virtutis in vincente, & ex eiusdem paruitate in victo. Similiter in nauclero, quod nauiget, & dirigat naucem iniqua tempestate, opus ipsius naucleri proprium, idque spectat ad audaciam. Quod verò perueniat incolumis ad portum, & superet vim contrariam ventorum, & fluctuum, quod est obiectum spei, dependet insuper ex magnitudine moderata, seu potius ex paruitate resistentiæ ventorum, & fluctuum, aut inimicorum obstantium, quominus ad portum feliciter perueniat.

Art. 3. Porro difficultas cuiusque operis dicitur terribilis tantum comparatione eius, ad quem pertinet idem opus, & quatenus pertinet ad ipsum. Propterea igitur audaciæ tribuitur intentio victoriæ terribili-um; Spei verò præfigitur victoria ardui præscindenti à terribilitate. Quia scilicet spes respicit difficultatem boni sperati, quæ afficit causam extrinsecam, formaliter quatenus eam afficit, ideoque non terret sperantem; audacia verò respicit difficultatem ex periculo, quod imminet & quatenus imminet ipsi audeti, ideoque eum terret, seu est apta terrere. Patet itaque audaciam esse affectum, quo audax mouetur ad victoriam terribili-um, atque ideo obiectum eius esse compositum ex bonitate operis vincentis, seu inductiui victoriæ, & ex malitia periculi, & terribilitatis adiacentium operi; ac demum istam commixtionem proponi audenti cum præponderantia, bonitatis supra malitiam, hoc est propriæ virtutis idoneæ ad vincendum supra virtutem, & vires causæ renitenti, quominus perueniatur ad finem desideratum, ac speratum. Quod autem hic affectus, quatenus est in appetitu sensitiuo, habeat rationem passionis, patet ex vi inductiua transmutationis corporalis, qualis ipsi congruit, sicut de reliquis affectibus dictum est, atque circa istum specialiter exponetur quæst. 33.

Ad 1. Prosequitur quidem malum audacia; sicut dictum est de spe. Sed prosequitur illud materialiter & per accidens tantum. Quia ratio formalis motiua est bonitas, & perfectio operationis, quæ est terribilis, & dispositio propriæ virtutis, ac virium ad inducendam eandem operationem, victtricem difficultatis terribilis, & inductiuum boni sperati, ad eum proportionaliter modum, quo dictum est de spe. Vnusquisque autem affectus exponitur per id potissimum, & in recto, quod se habet formaliter respectu ipsius. Dominatio nihilominus audaciæ respicit præcipue rationem mali terribilis: quia hæc ratio differentialis obiecti adequati audaciæ magis apparet ad sensum.

Ad 2. Periculum imminens alicui, tametsi vincibile sit ab eo, cui imminet, ideoque sit inferius illo, quoad vim inferendi malum physicum contrarium salutis, aut vitæ; est nihilominus superius eodem, quoad vim inducendi immediate affectum sibi proportionatum, & mediatè transmutationem illi congruentem. Vtrumque enim inducitur irresistibiliter, neque in audaci datur virtus sufficiens ad impediendum istos duos effectus mali imminenti. Priorem superioritatem audacis supra periculum adstruit D. Thomas, in illis verbis; Atque posterior inferioritas, quam ille minimè negat, neque negare quisquam potest, sufficit ad rationem passionis.

Ad 3. Philosophus agit indistinctè in eo loco de audacia, & de spe, quia audacia est inseparabilis à spe, tanquam à causa sua, omnino necessaria, eademque

démque commenfuratur quoad constantiam, & permanentiam suam. Verum quia spes non est similiter connexa cum audacia; atque ab eadem separatur sæpè, est absolute manifesta realis inter vtrumque affectum distinctio, eamque agnoscit Philosophus, vt apparebit in quæstione sequenti. Quod ad timorem attinet, concedo, alium esse directè contrarium spei, & alium specie diuersum, qui directè opponitur audaciæ. Nego verò specificam istam inter eos duos timores distinctionem non agnouisse re ipsa D. Thomam, tametsi non vsque adeò distinctè de illis egerit. Quæ res tota, & ratio eius omissionis D. Thom. manifestabitur infra q. 34. iuxta premissam in hac ipsa quæstione distinctionem difficultatum, quæ specialiter pertinent & ad spem, & audaciam. Nempe ratio obiecti conuincit efficaciter, quantum quidem ego assequor, quoad necessitatem distinctionis specificæ timorum, qualis est distinctio specifica inter spem, & audaciam; quandoquidem mala, & rationes formales malitiæ totidem, vt minimum, modis multiplicantur, quot modis multiplicantur bona, & rationes formales bonitatis.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrum causa audaciæ sit terribile, quatenus vitabile per operationem victtricem ipsius?

Videretur non esse. 1. Quia quando maior est causa, sequitur maior effectus. Audacia autem non est maior, quando terribile est magis vitabile, sed potius è conuerso. Eo enim maior est audacia agredientis aliquod periculum, quo hoc apparet difficilius vitabile, seu vitabile minus. Magis namque audet, qui pugnat contra duos volentes eum occidere, quam si pugnet contra alterum tantum ex illis. Ergo causa audaciæ non est terribile, quatenus vitabile, sed cum præcisione à vitabilitate.

2. Causa audaciæ est oppositum eius, quod est causa timoris. Causa autem timoris non est terribile. Quia terribilia occurrentia repente timentur magis, quam quæ præuisa ante fuere. Et tamen hæc differentia nihil variat vitabilitatem; quandoquidem vires causæ inferentis malum, & subiecti, cui illud imminet, sunt eadem, nec vlla ex parte variantur propter occursum terribilis, seu repentinum, seu ante præuisum. Ergo nec causa audaciæ est terribile quatenus vitabile.

3. *Si sunt audaces qui rectè se habent erga diuinam*, vt dicit Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 5. Quia videlicet existimant propterea Deum futurum esse sibi specialiter propitium in periculis. Quia itidem de causa addit ibidem, *eos qui iniuriam aliquam acceperunt, audaces reddi. Quia nimirum Deus iniuria vexatis optulari creditur*. Opinio autem de Deo propitio, & de protectione potentie eius non proponit terribile quatenus vitandum per operationem victtricem illius: quia Deus non pugnat propriè cum terribili, sed is solum, cui illud imminet, & cui soli resistere potest causa illatiua mali terribilis. Ergo vitabilitas mali, per operationem victtricem eius, non est de conceptu causæ, ex qua procedit audacia; sed sufficit pro eius obiecto terribile vtrumque vitabile ab eo, cui imminet, siue vi-
tet per se, siue per alios sibi fauentes.

4. Affectus proprius audacis viget magis in principio aggressionis periculi quam in progressu. Quia audaces prævalentes sunt, & volentes ante pericula, in ipsis autem periculis discedunt, vt dicit Phi-

losophus ibid. Vitabilitas autem non fuit maior in principio, quam in progressu, sed magis è conuerso. Quia in principio nondum quidquam præstitum erat in ordine ad vitationem periculi, ideoque hæc aberat longius, & erat minor. Ergo vitabilitas terribilium non est causa audaciæ.

5. Vitabilitas mortis, quam intentat inimicus, est minor, cum iam hic capit ferire, ac vulnerare: quia inde redditur debiliior, minusque potens ad resistendum, mortemque vitandam; qui percussus iam, & vulneratus est. At audacia iam vulnerati est maior, quam nondum vulnerati: quia tunc ira est maior. *Ira autem est ausum*, vt dicit Philosoph. cap. illos. 2. Rhet. nec non lib. 3. Ethic. cap. 8. vbi addit, *bestias quoque esse audaciores, cum percutiuntur*. Ergo magnitudo audaciæ non est commenfurata magnitudini vitabilitatis, sicut magnitudo effectus magnitudini suæ causæ.

6. Quo plures adsunt alicui in periculo, eumque iuuat ad illud vitandum, eo redditur audacior, ac confidentior. Patet autem eo minus pertinere vitacionem periculi ad operationem propriam ipsius, qui illi subest, & ad quem pertinet victoria eius. Ergo vitatio per operationem victtricem non pertinet ad specificatiuum audaciæ.

7. Terribile ineuitabile non est causa timoris, sed tristitiæ. Quia vt dicit Philosophus prædicto c. 5. 2. Rhet. qui sunt damnati ad mortem, & iam decapitantur, non timent videntes sibi necessitatem mortis imminere. Ergo similiter terribile, quatenus vitabile est causa delectationis potius, quam audaciæ.

Art. 1. Respondetur. Causa audaciæ potest considerari, tum ex parte subiecti, tum ex parte obiecti. Atque ex parte subiecti est rursus duplex, altera affectiua, & intentionalis, altera naturalis, & physica. Affectus specialiter causatiuus audaciæ est spes, dicente Philosopho lib. 3. Ethic. cap. 8. eos, qui sunt bonæ spei esse audaces, atque D. Thomas q. 45. art. 2. alique communiter dicunt spem esse causam audaciæ. Ratio est, quia audacia versatur circa medium vtile, & quatenus vtile est ad finem intentum per spem. Nec enim est appetibilis per se periculosus cum terribilibus conflictus, sed suscipitur tantummodo vt medium ad bonum aliquod amatum, desideratum, & speratum prius. Adhæsiō autem affectus ad finem est causa adhæsiōis ad medium, & quo quisque magis afficitur ad finem, eo magis afficitur deinde ad medium. Spes igitur est causa specialis, ac immediata audaciæ, & quo maior illa præiuerit, eo cæteris paribus hæc subsequetur maior, nec fieri potest, vt audeat, qui non sperat bonum, quod natum est provenire ex operatione audaci. Iam causa naturalis, & physica audaciæ, itidem ex parte subiecti sunt vires eius ad superandam causam mali terribilis. Impossibile namque est, vt audeat, qui nullam habet existimationem, quod sibi in se sufficientia aliqua ad superandam vim causæ læsiuæ, & eo quisque redditur audentior, quo magis credit se viribus præpollere aduersus causam eandem. Et quidem ad hanc ipsam sufficientiam virium confert rursus spes, quatenus participat rationem aliquam delectationis, ideoque diffundit sanguinem, & spiritus vitales in totum corpus, quo ipsum redditur validius, maiorumque virium, vti expositum est superius circa actiuitatem operosam, tum delectationis, tum spei.

Art. 2. Verum nihil horum pertinet ad specificatiuum proprium, & peculiare audaciæ, nec est specialis causa, & mensura perfectionis, quæ ipsi peculiariter conuenit, nisi transeat, & præcisè quatenus transit in rationem obiecti eius. Quia affectus specificantur ex suis obiectis, vt sæpè dictum est.

Obiectum

Obiectum autem audaciæ oportet esse compositum ex bono, & malo, sicut dictum est supra de spe. Quia circa bonum simplex, & simplex malum, omnesque utriusque differentias specificas assignatæ sunt superius aliæ species affectuum. Conueniunt porro spes, & audacia, ex parte sui obiecti, quoad compositionem bonitatis, quam respiciunt, cum malitia constituta per difficultatem perueniendi ad bonum desideratum. Sed hæc difficultas est diuersa rationis respectu utriusque. Quia ad spem pertinet ratio ardui cum præcisione à terribilitate; ad audaciam verò ratio ardui consistens in terribilitate; dicente D. Thoma quæst. 45. art. 2. audaciam esse prosecutionem mali terribilis. Terribile autem est, quod est corruptiuium, aut valde doloriferum, iuxta expositionem Philosophi dicto cap. 5. initio, ubi distinguit malum, quod est obiectum timoris, qui est oppositus audaciæ, ab aliis timoribus his verbis. *Non enim cuncta timemus mala, ut si erit iniustus, aut tardus, sed quæcunque vel magnos dolores, vel corruptiones adducunt.* Et iterum: *Si ergo id timor est, necesse est, ea terribilia, timendaque esse, quæcunque ingentes videntur habere vires corrumpendi, aut ita nocendi, ut nocumentum ad ingentem tendat dolorem.* Agit verò utrobique de solo timore opposito audaciæ, cum alioquin certum, ac manifestum sit, quodlibet cuiuslibet generis malum, propè imminens esse causatiuum alicuius timoris, omniaque indiscriminatum mala imminentiæ timeri posse aliquo timore. Vnde consequenter dolorem vsurpat, non pro qualibet indiscriminatum tristitia, sed pro ea solum, quæ est ex læsione corporis, & consequitur ad sensum tactus circa læsionem corporis. In hoc igitur eodem sensu terribile est obiectum audaciæ. Sed quia idem terribile est obiectum etiam timoris, ut apparet directè ex verbis relatis Philosophi, oportet aliquid superaddere pro specifica differentia obiecti audaciæ.

Art. 3. Hoc autem speciale est vitabilitas terribilis imminens. Verum quia terribile multipliciter vitari potest, nec quilibet vitandi modus pertinet ad audaciam, aliquid præterea superaddere necesse est. Et quidem non esse audacis propriam quamlibet vitacionem terribilium, palam est. Quia si quis vitauerit mortem intentatam sibi ab inimico, per fugam, aut preces supplices, quibus vel ille placetur, vel eidem opponantur amici potentiores, aut clauso ostio, aut alio simili modo, nemo dixerit audacter id factum esse, sed magis timide. Vitabilitas igitur pertinet ad audaciam est, quæ nititur virtute ipsius, cui imminet terribile, quatenus sufficiente ad repellendum, aut sustinendum, atque utriusque modo vincendum terribile imminens. Ita videlicet ut possibilitas vitandi, & futuritio vitacionis sit indistincta, saltem partialiter, à virtute, & actiuitate ipsius audacis, quatenus apta vincere; ad eum utique modum, quo superius dictum est, possibilitatem & futuritionem boni sperati, qua nititur spes, esse indistinctam à virtute causæ potentis illud inducere. Demum quia fieri potest, ut existente in aliquo virtute absolute sufficienti ad vincendum terribile, sequatur nihilominus affectus timoris, & non affectus audaciæ, oportet, ut pro determinatione appetitus ad audendum adsit existimatio virtutis ad vincendum, quatenus præponderantis, & sperantis, comparatione mali, & periculi, quod imminet. Nempe in iis, quibus inest mixtio ex bono, & malo attenditur ratio præponderantiæ, vel bonitatis, vel malitiæ, ut determinetur appetitus, vel ad prosecutionem, vel ad fugam. Nec enim appetitus sensitivus prosecutionem malum, nisi quia apparet præponderantia boni coniuncti cum eodem

malo; sicut nec refugit à bono, nisi quia repræsentatur simul malum præponderans illi coniunctum, ut colligitur ex D. Thoma, quæst. 45. art. 2. Cum igitur audacia consistat in prosecutione mali terribilis, ut relatum est superius ex eodem D. Thoma; timor verò in fuga, & dimissione boni, necesse est, ut in obiecto audaciæ appareat præponderantia vitabilitatis, quæ est bona, supra terribilitatem, quæ est mala, utque ipsa vitabilitas, per operationem utique victricem, ut dictum est, determinet ratione suæ præponderantiæ, & excessus, ad affectum audaciæ. Apparet itaque causam audaciæ esse terribile, quatenus vitabile per operationem victricem ipsius, adeoque niti, tanquam motiuo suo proprio, virtute, & actiuitate ipsius audacis, quatenus prævalente, seu existimata prævalere aduersus causam illatuiam mali terribilis, vincendo illam, & non solum impediendo utique, per operationem propriam. Ex quo præterea apparet, affectum audaciæ eo esse maiorem ceteris patibus, quoad intensiorem quidem, quo excessus propriæ virtutis maior fuerit supra vim inductiuam mali terribilis, quoad appetitionem verò, quo maius fuerit, vel malum imminens, vel vis causæ, ex qua illud imminet, iuxta dicta superius in simili circa spem. Est enim quoad hoc eadem proportionaliter ratio utrobique.

Ad 1. Patet satis ex animaduersa modo distinctione inter intensiorem, & appetitionem. Maior namque est intensio affectus in audaci, quod apparentia vitabilitatis est maior, seu potius quo vitatio apparet faciliior, & malum, quod imminet, apparet minus. At ad hæc appetitiua ad virtutem aptam vincere, & ad bonitatem operationis victricis eo è conuerso est maior, quo maius est malum imminens, maiorque vis causæ, ex qua illud imminet. Verum audaces dicuntur magis vel minus tales iuxta augmentum, vel diminutionem appetitionis in affectu. Quia appetitatio ipsa boni plurius fit, quam intensio affectus sola circa idem bonum.

Ad 2. Sicut terribilia occurrentia repente timentur magis ita superantur audentius, & audentius eisdem resistitur. Quia occursum repentinus confert ad maiorem apparentiam mali, minoremque apparentiam vitacionis. Quæ enim præuidentur, ipsa sui præuisione stimulant ad querenda remedia, disponendamque vitacionem, atque per istiusmodi prouidentiam vitabilitas redditur maior, vel ipsum malum apparet minus, propter adiunctam considerationem circumstantiarum, quibus minuitur ratio malitiæ, & quarum nulla potest esse consideratio in assultu repentino terribilium. Conceditur itaque ratio proportionis inter audaciam, & timorem contrarium. Sed negatur, causam timoris non esse inenitabilitatem mali, nec eum augeri ex augmento mali, & difficultatis, ut vitetur.

Ad 3. Duæ illæ sententiæ Philosophi sunt verissimæ, & dignissimæ, quæ præ oculis habeantur, & altè insideant animo, pro eo firmissimè stabiliendo aduersus terribilia omnia. Existimatio enim diuinæ potentia nobis propriæ, atque disposita ad protectionem nostram est firmissimum animi munimen ad audendum, sicut & ad sperandum iuxta illud Psalm. 26. 1. *Dominus protector vite meæ à quo trepidabo?* & Psalm. 124. 1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.* Verum Deus dupliciter opitulari nobis potest. Primò nimirum impediendo, & auertendo, per se solum, mala imminenti nobis. Atque si hoc modo existimatur propitius nobis quoad aliquid, non sequitur eatenus affectus audaciæ, sed solius spei. Secundo opitulari nobis potest exigendo cooperationem, & consilium nostrum cum

cum causa nociua, atque illatiua mali terribilis. In quo euentu datur locus audaciæ, quia datur operatiui propriæ victrici mali. Eo autem audacia erit, sub eiusmodi existimatione, maior; quoad intensiorem quidem, quominus, existimatum fuerit, nostro conatui relictum esse à Deo; quoad appretiationem verò, quod est conuerso existimatum fuerit, plus à nobis, nostraque virtute, & resistentia exigere Deum, iuxta expositionem premissam circa primum argumentum.

Ad 4. Omnes affectus appetitus sensitui, ac proinde & audacia diriguntur cognitione sensus. Sensus autem apprehendit minus, quæ distant, quam quæ adsunt coram. Vnde periculum, & malum, cuius illud est, apparent minus in principio aggressiui, quam in ipso conflictu, & pugna cum malo, seu cum causa illatiua eius. Itaque licet realis vitabilitas mali non sit maior in principio, quam in progressu pugnae, apparentia tamen vitabilitatis est maior ob rationem dictam. Affectus autem feruntur ad obiecta, & specificantur ex illis non ut sunt in se, sed quatenus apparent, ut præmonitum est sæpe, idque subintelligitur semper in assignatione obiecti, & causæ obiectiue, respectu cuiusque affectus. Ea igitur minor apparentia periculi in principio, quam in progressu, est causa maioris facilitatis in aggrediendo, maiorisque difficultatis in persistendo. Quod si accedente maiori cognitione periculi in progressu, persistat nihilominus affectus audaciæ, nec ei succedat timor succumbens apprehensioni periculi, affectus audaciæ euadet eo ipso maior appretiativè, quam initio fuisset, ob rationem nuper assignatam.

Ad 5. Dicendum similiter est, accepto iam vulnere reddi difficiliorem permanentiam affectus audaciæ, quam fuerit inchoatio eius, idque continet solum ratio obiectiui. Sed si nihilominus perseueret idem affectus audaciæ, eo ipso euadet appretiativè maior, quia virtus pugnandi, & bonitas operationis resistentis præferetur per affectum audacem malo, & periculo maiori, maiori que eius apprehensioni. Quin &, ob superadditam indidem iram, apprehensio bonitatis in opere pugnandi, & expugnandi euadit maior. Quia eo ipso opus pugnandi, & expugnandi apprehenditur, quatenus subueniens non solum appetitui, & inclinationi naturali, respectu vitæ, sed etiam appetitui elicitò, & inclinationi iræ ad vindictam. Quo duplicatur ratio bonitatis, & æstimabilitatis in eodem opere, atque in propria virtute, & actiuitate quatenus sufficiens ad illud, & apprehensa ut prævalente aduersus vim causæ nociuæ. Crescit itaque audacia ex percussione, & vulnere. Quia licet inde decreseat vitabilitas extremi mali, crescit nihilominus indidem æstimatio vitæ, atque actiuitatis, & operis, quibus vitabile est idem extremum malum, eaque confert ad augmentum affectus audaciæ, quoad appretiationem boni, quo nititur, & mouetur animal ad audendum.

Ad 6. Dicitur, sicut ad præcedentia, affectum audaciæ & spem, seu confidentiam victoriæ esse maiorem, quoad intensiorem, maioremque similiter esse facilitatem concipiendi vtrumque affectum, quo plura, & validiora adsunt præsidia ei, qui constitutus est in periculo. Verum indidem redditur minor, & spes, & audacia, quoad appretiationem. Quæ plurius habetur in affectibus, quam intensio, utpotè præferens bonum, ad quod afficitur, & quo mouetur, maiori malo. Pertinet igitur ad specificarium audaciæ operatio ipsius audacis, quatenus victrix eoque euadit præstabilior audacia, quod ratio victricis magis in illa eminet, magisque

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

splendet, tamen intensio audaciæ aliunde formaliter proveniat.

Ad 7. Dictum est, affectus irascibilis, inter quos sunt audacia, & timor illi contrarius, esse pugnaces, & ferri ad obiectum compositum ex bono, & malo. Quando autem proponitur terribile ut omnino inuitabile, prout accidit in casu illo Philosophi, eo ipso proponitur ut purum malum, ideoque nullus relinquitur locus timori, sed loco eius succedit tristitia, utpotè circa malum reputatum iam omnino præfens. Sed similiter deest audacia, eiusque loco succedit delectatio, quando proponitur terribile, tanquam omnino impossibile, quod eueniat de facto. Vtrobique igitur est vniuniformiter necessaria contingentia aliqua, & vitiationis, & incursum mali, cum excessu vitabilitatis pro audacia, periculi verò, & non euasione pro timore. Videantur quæ dicta sunt in simili circa spem, & desperationem.

QVÆSTIO XXXIII.

Vtrum audacia sit maximè operatiua?

Videtur non esse, sed potius esse impeditiua operationum. 1. Quia ausuri tremunt in principio, ut dicit Philosophus. sect. 27. Problem. 3. Tremor autem reddit corpus ineptum ad operandum, ut patet ex timore, qui ea de causa est impeditiua operationum. Et ratio est, quia tremor est motus in contrarias partes, ideoque trepidantes consistere nequeunt. Patet autem, pariter corporis, nec consistentes, nec manentes firmiter in vno loco esse eatenus ineptas ad operationem, quæ fieri debet in loco determinato, propterea que requirit firmam in suo principio consistentiam. Ergo audacia est impeditiua potius operationum.

2. Inexpertis periculis, & iniusta passi sunt audaciores, ut dicit Philosophus, de inexpertis in illo cap. 5. lib. 2. Rhet. & de passis iniusta lib. 3. Ethic. cap. 8. Vtrique autem sunt inepti ad operandum. Inexpertis quidem; tum quia carent notitia perfecta modi operandi, quæ est directrix operationum, earundemque præcipua causa; tum quia carent consuetudine operandi, & superandi difficultates, quæ itidem consuetudo confert plurimum ad operandum, estque inimica ignaviæ. Id verò, qui iniusta passi sunt, quia inde deiciuntur in tristitiam, quam dictum est supra esse impeditiuiam operationum. Præterea pati iniustum est quidam defectus, omnis autem defectus est impeditiua operationis conuenientis, ad quam, videlicet, ordinantur, & conferunt reliquæ omnes perfectiones vniuscuiusque, ut dictum est supra quæst. 18. & 20. & consequenter omnes alij defectus ordinantur ex se ad defectum operationis. Ergo qui sunt audaciores, sunt minus operatiui.

3. Vinolentos, seu amatores vini dicit audaces Philosophus sect. illa 27. Problem. 4. Vinolentia autem, & ebrietas reddit vel maximè ineptum ad operandum, tum propter perturbationem rationis, & sensus, tum propter inconsistentiam corporis. Ergo audacia coheret ex sua natura ineptitudini ad operandum, & vtrique augetur ex eodem principio.

Responderetur. Audacia potest considerari, & quoad dispositionem, quam suppone natura præsupponit in suo subiecto, & quoad eam, quam ipsa inducit per subsequentem transmutationem, & quoad eam, quam præstat in genere causæ formalis. Ex omnibus autem hisce tribus capitibus audaces sunt maximè

maximè operari, & maximè, efficacissimè quæ actiuitatis. Ex primo quidem dispositionis naturaliter præsupposita: quia audacia procedit ex abundantia caloris in corde. Quia de causa dicit Ph. los. lib. 3. de part. animal. cap. 4. animalia prædita corde secundum quantitatem paruo esse audacia; ignaua verò ac timida, quorum cor est magnum secundum quantitatem, ut patet in lepore, ceruo, & alijs eiusmodi, quorum cor est magnæ quantitatis, respectu proportionis cum reliquis corporis partibus. Quia, videlicet, calor naturalis non ita sufficit ad calefaciendum cor magnum, sicut paruum, ad eum modum, quo ignis non ita facilè, nec vsquædè calefacit magnam, quàm paruum domum. Similiter in dicto Problem. 4. tradit habentes magnum pulmonem sanguineum esse audaciores propter abundantiam sanguinis, & caloris inde redundantem in cor. Abundantia autem sanguinis, & caloris in corde, quod est principium vitæ, & omnis operationis, confert plurimum ad operandum. Quia inde fortificantur, ac proinde redduntur instrumenta ad operandum idonea, exteriores corporis partes, refuso in eas ex corde, tanquam ex fonte, sanguine, & calore, penes quem est præcipuè totus corporis vigor. Similiter dispositio corporalis inducta per transmutationem, quæ consequitur ad affectum audaciæ, confert ad operandum. Quia cum audacia nitatur viribus audentis, earundemque præponderantia supra terribile, atque eatenus participet rationem delectationis circa bonum præsens, ut præeminens malo imminenti, inducit transmutationem dilatatiuam cordis, atque diffusiua sanguinis, & spirituum per totum corpus, sicut dictum est supra de delectatione; tamen remissius, quàm delectatio, inducat hunc effectum audaciæ, propter adiunctum respectum ipsius ad malum. Ergo audaciæ hinc etiam confert specialiter, & disponit ad operandum, licet minùs quàm delectatio, & quàm etiam spes. Quæ, videlicet, non retardatur, ac tepefcit apprehensione tanti mali ex genere suo, quantum obijcitur audaciæ. Demùm hic affectus disponit egregiè ad operandum in genere causæ formalis. Quia, ex quo quis contemnit terribilia, uti contemnit, qui audet, eo ipso est optimè dispositus, ut nihili faciat alias difficultates, quæ contradicunt operationi, utpotè minores incomparabiliter ex genere suo. Patet igitur audaces esse maximè operatuios, atque affectum audaciæ superaddere optimam dispositionem ad operandum.

Art. 1. Ad 1. Apprehensio terribilis imminētis, à quo refugit naturaliter animal, est causa reuocandi sanguinem ab exterioribus partibus ad cor, tanquam fugiat, & ipse idem terribile iuxta naturam affectus existentis in vi appetitiua, cui obsequitur præ cæteris, & conformatur motus sanguinis, & spirituum, uti prænotatum est superius. Reuocato autem sanguine, & calore ab exterioribus ad interiora, frigent partes exteriores, eoque magis, quod plus distant a corde. Frigus autem est, & emefactiuum: unde manus præsertim tremere ea de causa solent, atque etiam pedes. Tremor etiam indidem labrum inferius, tum quia est minùs calidum, quàm labrum superius, quod est propinquius oculis, quorum est maximus calor, tum quia idem labrum inferius tene ut fursùm vi caloris, ideoque concidit facilè diminuto sanguine, & calore, cum labrum superius suo ipso pondere teneatur firmiter in loco connaturali.

Art. 2. Verùm existit magnum discrimen inter reuocationem sanguinis ad interiora, quàm inducit audaciæ, & quàm timor. Quia timor, quatenus succumbit malo, idque fugit totaliter, sanguinem,

quem primò reuocat ad cor, deiecit deinde ad inferiores partes. Audaciæ verò, quia è contra præualet aduersus malum, eique renititur, & perstat firmiter aduersus vim eius, continet sanguinem, & spiritus in superiori cordis parte, atque in didem refundit illum iterùm ad superiores omnes partes, ad pectus, ad cerebrum. Unde fit, ut tremor, & ineptitudo operandi illi coniuncta, quæ præeunt in principio operis audacis, citò commutetur in firmitatem operi peridoneam, affectu audaciæ præualente in progressu aduersus impressionem terribilis, quæ præualet, vsque dum affectus audaciæ proueniens ex meliori consideratione propriæ virtutis illi in infringat, ac repellat.

Art. 3. Contingit etiam tremores, & firmitatem corporis stabilem sibi inuicem succedere per intervalla in opere audendi. Quia cum audax respiciat ad duas virtutes actiuas, alteram causæ nociuæ, cui resistitur, alteram propriæ virtutis, qua resistitur, quæque apprehenditur, ut præualens prior, contingit modò considerati solum, aut præcipuè alteram ex illis, modò alteram, atque ita existere quasdam per intervalla vicissitudines mutuas timoris, & audaciæ; cum sit difficile respicere simul constanter, ac vniiformiter ad complexionem vtriusque causæ, atque ad præminentiam vnius supra alteram. Hinc igitur prouenit etiam tremor prædictus, ob deficientem pro tunc affectum audaciæ, aut non satis adhuc validum, atque eodem deinde inualefcente sistitur tremor, & inducitur asserta operandi aptitudo.

Ad 2. Defectus experientiæ periculorum confert ad audaciæ, tanquam remouens prohibens, quia aufert notitiam perfectam magnitudinis periculorum, propriæque debilitatis, quæ manifestantur per experientiam. Perceptio verò iniustitiæ parit audaciæ, quia acuit itam, ut dictum est superius. Neutrùm autem est eatenus impeditiuum, operationis, sed potius promotiuum, quia inexpertus habet consequenter magnam apprehensionem propriæ virtutis, & paruum circa vim causæ læsiuæ, & vtrique impellitur ad opus. Perceptio verò iniustitiæ, quæ reddit audacem, nec deiecit in tristitiam, quia eo ipso est coniuncta cum spe vindictæ, & victoriæ, nec minuit vires physicas operandi, quia non consistit in subtractione huius boni, sed eius tantum, cuius præsentia inductura fuisset delectationem. Audaciæ autem non disponit immediatè ad opus delectationis, sed solum ad operationes exteriores.

Ad 3. Vinum confert ad audaciæ propter abundantiam caloris, quàm impertitur corpori. Patet autem abundantiam caloris conferte ad vigorem operandi. Perturbatio verò rationis, quæ sequitur ad ebrietatem, impedit quidem virtuosam operationem propriam fortitudinis, non tamen impedit audaciæ, quæ est actus appetitus sensitiui directi immediatè, non ratione, sed sensu. Iam quod corpus consistere firmiter amplius non valeat, consequitur ad ebrietatem consummatam, cui nec Philosophus, nec vllus alius audaciæ adscribit, sed soli abundantie vini, quæ eousque non processerit. Nempè nimietas caloris in corpore, & præsertim vaporum calidorum in cerebro resoluit corpus, omnemque peruertit operationem, ideoque nec audaciæ fouet.

QVÆSTIO XXXIV.

*Utrum Timor, alius sit directè contrarius
spei, alius specie diuersus directè
contrarius audaciæ?*

Videtur specificam istam distinctionem timorum admittendam nequaquam esse. 1. Quia nequē Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 5. nequē D. Thomas quæst. 41. ac deinceps, ubi agunt de timore ex professo, ullam eiusmodi distinctionem instituunt, sed vnum, eundemque timorem, & spei, & audaciæ contraponunt, solumque admittunt differentiam formalem, quoad modum, quo opponitur vtrique, ut apparet præcipue, quoad D. Thomam quæst. 45. artic. 1. ad 2. ubi sic habet: *Passiones irascibiles habent duplicem contrarietatem, vnam secundum oppositionem boni, & mali, & sic timor contrariatur spei; aliam secundum oppositionem accessus, & recessus, & sic timori contrariatur audaciæ, spei verò desperatio.* Ergo timor oppositus spei, & oppositus audaciæ est prorsus idem secundum entitatem, & speciem suam, atque diuersitatem oppositionis, respectu vtriusque, habet, non ex diuersitate sui, sed ex mutua diuersitate spei, & audaciæ, quibus opponitur.

2. Omnis timor est circa malum futurum, quatenus difficile, quod vitetur, & cui resisti non potest aut vix potest ut dicit D. Thom. quæst. illa 41. art. 2. omne autem malum, ex quo est inuitabile, aut vix euitari potest, est terribile. Vt autem daretur distinctio specifica timoris contrarij spei, à timore contrario audaciæ, oporteret alterum esse circa terribile, & alterum non. Confirmatur ex verbis Philosophi iterum inductis superius: *Non enim, ait, cum illa timemus, ut si erit iniustus, aut tardus, sed quacunque vel magnos dolores, vel corruptiones adducunt; id est sola terribilia mala.* Nullus igitur est timor specialiter oppositus spei absque speciali oppositione cum audaciâ.

3. Vnum vni est contrarium. Ergo spei sola est contraria desperatio, & audaciæ solus timor, solique.

Art. 1. Responderetur. Distinctio specifica passionum dependet ex distinctione specifica obiectorum, eademque mensuratur, ut assumit, D. Thomas in præcedentibus sæpe, tum specialiter in hac ipsa quæst. 41. de natura timoris art. 2. c. Malum autem difficile vitabile, seu vix vitabile, quod est obiectum timoris secundum suum conceptum vniuersalissimum, ut ponit ibidem D. Thomas, alijsque communiter, duplici differentia continetur. Sicut enim bonum arduum, seu difficile consequibile, qui est conceptus communis obiecto spei, & audaciæ, aliud consideratur, quatenus consequibile per actionem causæ, vel causarum distinctarum à desiderante idem bonum; atque ut sic est obiectum spei; aliud verò est, & consideratur quatenus consequibile dependenter ab operatione ipsius desiderantis victrici periculi terribilis, quod imminet eidem; atque ut sic est obiectum audaciæ, iuxta dicta superius circa vtranque istam passionem: Ita malum difficile vitabile, aliud est vitabile per alias causas distinctas ab abominante idem malum, seu ab eo, cui illud imminet, aliud verò vitabile per operationem propriam ipsius abominantis malum, eamque victricem terribilitatis, quæ illi opponitur ex parte causæ nociuæ, atque terrentis, quantum est de se. Eadem igitur ratione,

D. de Marinis in III. Part. Sum. S. Th.

qua dictum est, spem, & audaciæ esse duas passiones specie distinctas; dicendum quoque proculdubio est, timorem contrarium spei, & cuius obiectum est malum primi generis, distingui specie à timore, qui est directè contrarius audaciæ, & cuius obiectum est malum generis posterioris. Negari nimirum nullo pacto potest dari prædictam malorum, & vitæ ipsorum diuersitatem. Qui enim existit intra domum ruinofam, timet mortem imminentem sibi ex eius ruina, nec potest eam vitare opponendo suum conatum aduersus impetum domus ruentis. Idem dicitur de eo, qui periclitatur in mari, aut periculo veneni, insidiarum, & sic de similibus. At is, quem aggreditur, & vult occidere hostis, aut inimicus, potest vitare necem sibi imminentem, pugnamdo cum illo, & subeundo periculum pugne, seu operationis suæ impugnantis inimicum. Sicut igitur vterque iste vitæ modus, atque imminentiæ mali, est diuersus, ita necesse est, esse diuersum timorem, quo quis despondet animo in occurfu prioris, & posterioris mali.

Art. 2. Confirmatur primo. Quia ubi datur specialis virtus moralis ad se, necesse est, ut detur specialis passio, cui specialiter imponatur modum eadem virtus. Quia virtutes morales ad se versantur directè circa passiones, sicut virtutes morales ad alium, versantur directè circa operationes, iuxta celebrem, & communi consensu receptam diuisionem, & diuersitatem vtrarumque virtutum, quæ exposita, ac defensa videri potest quæst. 10. de Iustit. Ergo sicut necesse est dari operationem specie distinctam ab operationibus alijs, ut detur specialis virtus moralis ad alium, ita necessaria est passio distincta specie ab alijs passionibus, ut detur specialis virtus moralis ad se. Datur autem specialis virtus moralis, quæ ponit modum, & medium rationis in timoribus, non qualibuscunque, sed in ijs solis, qui impediunt operationem victricem malorum terribilium, seu operationem periculose pugnantem cum eo, qui minatur, ac intentat mortem. Talis namque virtus est fortitudo, ut docet ex professo D. Thomas 2. 2. quæst. 123. art. 5. & 6. ex sententia Philosophi, quem ipse sequitur, & sequuntur cæteri vniuersi consensu. Necesse igitur est fateri timorem terribilium, quatenus difficile vitabile pet. operationem victricem illorum propriam ipsius, cui imminet malum terribile, distingui specie ab omni alio timore, ac proinde ab eo, qui directè opponitur spei.

Art. 3. Confirmatur rursus. Quia omnis timor est composibilis cum spe, imo omnis timor dependet essentialiter ab aliqua spe, dicente D. Thomas quæst. 42. art. 2. c. sub finem: *Ad hoc, quod aliquis timeat, oportet adesse aliquam spem salutis.* Timor autem contrarius audaciæ est totaliter impossibilis cum ipsa audaciâ, non minus, aut aliter, quam desperatio cum spe. Tam enim impossibile est, ut timeat qui audet, timore directè opposito audaciæ, quam est impossibile, ut quis desperet aliquod bonum, cum illud sperat. Timor igitur directè oppositus audaciæ est diuersus à timore directè opposito spei, estque oppositionis modus omnino diuersus vtroque, uti mox apparebit clarius. Augetur vis huius comparationis: quia fieri potest, ut in ordine ad eundem finem adsit eidem maxima spes, & minima audaciâ; atque è conuerso, ut audaciâ sit maxima, & spes minima. Miles enim, qui est pars exercitus iam congressuri cum exercitu minus numeroso, minus disciplinato, constituto in deteriori loco, & cuius causa est iniqua, aut minus æqua, naturaliter concipit spem maximam victoriæ; & tamen, siquidem pugnet simul cum socijs,

audacia pugnandi, eadem de causa erit minima. Si verò exercitus contrarius sit oppositæ per omnia conditionis, spes victoriæ erit e conuerso minima, & audacia militis nihilominus pugnantis erit maxima. Vbi autem spes est maxima, timor directè contrarius spei est minimus, aut nullus; atque e conuerso idem timor est maximus, vbi spes est minima. Audacia autem, quodcumque adest, repellit timorem sibi contrarium, saltè iuxta gradum augmenti sui, Patet autem affectus, quorum alter crescere potest, altero diminuto, aut penitus sublato, esse inter se diuersos. Ergo timor directè oppositus spei est planè diuersus ab eo, qui directè opponitur audaciæ. Accedit, fieri insuper posse, vt existente in prædicto milite maxima spe victoriæ, ideòque excluso totaliter, aut ferè timore amissionis victoriæ, succumbat nihilominus timori impeditiuo audaciæ; itaut, tamen si securus valde sit de consequutione victoriæ, si pugnauerit, subsistat nihilominus, atque occultet se, nolique pugnare, & subire periculum pugnandi, quia est præoccupatus, ac victus timore periculose actionis pugnandi. Timor igitur oppositus audaciæ potest adesse, & dominari animo totaliter, quando nullus, aut vix vllus est timor oppositus spei, nihilque, aut vix quicquam eam labefactat. Quis igitur dubitet istiusmodi timores esse inuicem diuersos, atque distinctos specie?

Art. 4. Dici autem possunt, timor quidem directè oppositus spei, timor diffidens, seu timor diffidentiae; timor verò directè oppositus audaciæ, timor ignatus, seu timor ignauia, siquidem carent apud auctores nomine simplici, quo inuicem discernantur. Pro maiori diuersitatis inter vtrumque timorem claritate conferet plurimum, si exponatur ratio, ob quam timor directè oppositus spei est aliquatenus composibilis cum eadem spe, impossibilis verò totaliter cum audaciæ, qui est directè oppositus ipsi. Ratio autem est, quia spes respicit causas extrinsecas sperati, earumque dispositionem ad subueniendum sibi, quoad consequutionem boni desiderati: Fieri verò potest, vt existente favorabiliter, optimèque disposita aliqua ex eiusmodi causis, & præcognito consequenter idoneo ad sperandum eatenus motiuo, alia ex iisdem causis existat simul iniquè, pessimèque disposita, & consequenter præcognoscatur sufficiens ad timendum eatenus motiuum. Idemque dicitur de causa vnica boni desiderati, partim bene disposita, & partim disposita, & partim disposita malè, seu cui credatur inesse aliquid inclinans ad opitulandum desideranti, & aliquid aliud resistens, quominus opituletur. Fieri igitur potest, vt quis fidat vni causæ, & dispositioni, respectu boni desiderati, atque eatenus illud speret; vtque simul diffidat alij causæ, aut dispositioni, atque eatenus timeat infelicem exitum sui desiderij. Cuiusmodi profectò istorum affectuum combinatio existit in ijs, qui vulgò dicuntur esse inter omnes, & metum circa vnum aliquod bonum desideratum. At audacia respicit vnice virtutem actiuam, ipsius audentis propriam, eamque solam applicat ad opus periculose plenum alex, prout est à parte rei, & secundum omnes conditiones, quæ insunt illi, re ipsa. Vnde fieri non potest, vt partim fidat motiuo audendi, atque adhæreat illi per affectum audaciæ; simulque diffidat eidem, atque ab eodem recedat per timorem aliquem. Componi igitur potest cum spe timor aliquis diffidentiae; timor verò ignauia nullus potest componi cum audaciæ circa idem sperabile, idemque opus superatiuum terribilium; tamen affectus ipse audaciæ possit esse & maior, & minor, tum appretiatiue, tum intensiue, vt dictum est supra.

Art. 5. Adiungo comparationi huic vtriusque timoris cum affectibus prosequutiuis directè sibi contrarijs comparationem aliam, similiter discretiuam vtriusque, cum desperatione, respectu cuius opposito modo se habent. Dixerat D. Thomas quæst. 25. art. 3. desperationem esse priorem timore, eiusdemque causam. At in præsentia quæst. 45. art. 2. dicit e conuerso timorem esse priorem desperatione, eiusdemque causam. Concordia harum duarum propositionum, quæ à S. Doctore docentur expresse, angit non parum Caietanum ad eum art. 2. Dicit in summa timorè, & desperationem posse dupliciter considerari, nempe ex parte obiecti, & ex parte modi attingendi obiectum; atque timorè esse desperatione priorem ex parte modi attingendi obiectum; ex parte verò ipsius obiecti desperationem esse e contra priorem timore. Quia nimirum obiectum timoris est malum, desperationis bonum. Bonum autem est natura sua prius malo. Iam verò ex modo tendendi timor attingit malum, & ab eo fugit per se; cum desperatio non fugiat à suo obiecto, quod est bonum, nisi per accidens, & materialiter tantum. Quod autem est per accidens, est natura posterius eò, quod est per se, atque ab eodem dependet ex sua natura. Verum hæc subtilitas, præterquam non subsistit plenè, & planè, vt sonat, quoad suppositionem de obiecto vtriusque affectus, vt apparet ex dictis supra circa desperationem, satisfacere nequaquam potest. Quia distinctio formalitatum, & consideratio earum, quoad diuersas, seu relate ad diuersas, nunquam efficit, vt idem eodem sit prius, & posterius realiter à parte rei, vtque idem sit, & realis causa, & realis effectus eiusdem. Quia quod est prius, & causa realis à parte rei, quodque similiter est posterius, se toto, & quoad omnia sua prædicata realia, & non solum quoad formalitatem aliquam, & aliquam habitudinem, est prius, & posterius. Doctor autem Angelicus vtrobique loquitur de prioritate, & causalitate reali.

Art. 5. Vera igitur, & solida concordia ratio consistit in præserta distinctione specifica timorum. Quia timor diffidentiae disponit ad desperationem, & tendit, quantum est ex se, ad eam inducendam, cum reali prioritate, respectu ipsius. Nempe timor diffidentiae, iuxta præmissam eius expositionem, est desperatio quædam partialis, & inchoatiua. Qui enim diffidit alicui causæ in ordine ad euentum desideratum, desperat eundem euentum, quantum est ex vi talis causæ, & impedit spem rei desideratæ, quod attinet ad eandem causam, perinde omnino atque desperatio completa, & simpliciter talis impedit, excluditque totaliter spem eandem; itaut desperatio nihil sit aliud, quam vniuersalis timor diffidentiae relate ad omnes causas rei desideratæ, omnesque earum dispositiones; timor verò diffidentiae nihil sit aliud, quam desperatio quædam partialis, & inchoata relate solum ad aliquam causam, vel dispositionem. Patet autem inchoationem esse priorem inchoato, & partem toto, ordine executionis, & causalitatis. Ergo timor diffidentiae est prior desperatione, estque causa eiusdem, & nullo pacto est effectus desperationis, eademque posterior realiter. Desperatio verò e contra est causa timoris ignauia, eodemque natura prior. Quia nemo desperans de fine operatur, neque quisquam de ijs consulit, de quibus desperat, vt habetur ex Philosopho lib. 2. Rhet. cap. 5. Quapropter desperatione victoriæ, & boni desiderati cohibetur audacia, & inducitur timor remouens ab operatione ardua, & periculosa. Nec fieri potest, vt desperatio præsupponat e conuerso hunc timorem,

timorem, qui videlicet est circa medium ordinatum ad finem, à quo desperatio recedit, ut patet ex dictis circa spem, & audaciam, deque huius ad illam subordinatione. Apparet igitur ex hac etiam comparatione necessitas distinguendi timorem diffidentiae à timore ignaviae.

Art. 6. Postremum specificae inter vtrumque eum timorem diversitatis indicium sumitur ex communi quadam diversitate loquendi circa denominationes ab utroque provenientes, seu conceptas relatè ad vtrumque. Dicuntur nimirum quidam natura audaces, quidam natura timidi, timore contrario audaciae magis, quàm dicantur natura speratui, & natura timidi, timore contrario spei. Quae diversitas locutionis inualuit usque adeò apud omnes, ut, cum quis dicitur timidus absolute, & simpliciter, accipitur ab omnibus de timore ignaviae exclusivo audaciae, & non etiam de timore diffidentiae exclusivo spei, ad eum modum, quo circa fortitudinem dicit D. Thom. 2. 2. qu. 123. art. 4. ad 1. *Non tamen ex toleratione quorumlibet aduersorum reputatur homo simpliciter fortis, sed solum ex hoc, quod bene tolerat etiam maxima mala; ex aliis autem dicitur fortis secundum quid.* Ratio eius differentiae est, quia audax principaliter nititur ad audendum magnitudine propriae virtutis, & sufficientiae ad superandum terribilia per operationem propriam, victtricem illorum. At spes nititur principaliter virtute aliarum causarum propitia, respectu sperantis in ordine ad bonum desideratum, uti expositum est supra, circa vtrumque affectum. Magnitudo autem propriae virtutis, & sufficientiae inest unicuique ex sua indiuiduatione, & dispositione temperamenti, qua permanentè afficitur, quaque propterea dicitur natura cuiusque indiuidui. Quòd verò causa, unicuique extrinseca, sint ei propitia, & sufficientes ad subueniendum ipsi, est per accidens, respectu indiuiduationis intrinsecae, seu naturae indiuidualis, ut per se patet. Quae de causa fieri potest, ut qui est natura audacissimus, ideòque difficilis, qui succumbat timori ignaviae, propter cognitionem optimae dispositionis intrinsecae ad pugnandum, & vincendum; circumueniatur nihilominus facile multiplici timore diffidentiae, eique subiaceat frequenter, propter experientiam, & cognitionem identidem recurrentem causarum extrinsecarum minime sibi propitarum, aut non sufficientium ad subueniendum sibi. Hinc insuper procedit, quòd probro maximo habetur, si quis dicatur ignave timidus, minimeque ausuus, magis quàm si dicatur diffidenter timidus, minimeque speratiuus. Quia, scilicet, primum est ex imperfectione potissimum intrinseca, secundum ex infelicitate, vel vnicè, vel principaliter. Ex his itaque omnibus manifestum est, istos duos timores, alterum directè oppositum spei, alterum audaciae, esse specie inter se diversos non minus aut aliter, quàm spem, & audaciam.

Ad 1. Philosophus instituit principaliter sermonem de solo timore, relatè ad quem dicitur quis simpliciter, & ex sua natura timidus, atque obiter solum, & promiscuè exposuit timorem diffidentiae, qui ad eiusmodi denominationem minus pertinet, aut omnino non pertinet, iuxta annotationem, ac discretionem nupèr praemissam. Frequens nimirum Philosopho est, ut nomina abstractorum usurpet pro concretis, solumque consideret earum significata in concreto, eoque simpliciter, & absolute tali, vel tali. Caterum agnouit re ipsa distinctionem specificam mutuan inter vtrumque timorem, quandoquidem fortitudinem alterius tantum moderationi deuinxit, uti relatum est superius art. 2. iam D. Thomas sequitur ubique circa res philosophi.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

phicas phrasim, & sensum Philosophi, ideòque locutus est, sicut ille, de utroque timore promiscuè, intenta tamen principaliter expositione timoris ignaviae. Quòd autem agnouerit distinctionem intentam alterius ab altero timore, apparet inter alia clarè ex illis ipsis verbis relatis in obiectione. Nec enim fieri potest, ut timor qui contrariatur audaciae secundum oppositionem accessus, & recessus, sit idem cum timore, qui dicitur contrarius spei per oppositionem boni, & mali; quandoquidem obiectorum diversitas agnita ibi, & expressa manifestè inducit necessariò tantundem diversitatis inter affectus.

Ad 2. Imprimis non omne malum difficultè, aut vix euitabile, est eo ipso terribile, sed solum, quòd praeterea est corruptiuum, aut valde doloriferum, ut positum est superius ex Philosopho. Deinde utrumque id habeat, terribile vix euitabile potest considerari ut tale, vel relatè ad actionem victtricem illius propriam ipsius timentis, atque hoc pacto specificat timorem longè diversum ab eo, quem specificat, proptèr consideratur relatè ad alias causas extrinsecas, earumque sufficientiam, & virtutem. Verba Philosophi, quae producantur in confirmatione, confirmant, quòd nupèr praemissum est, ipsum egisse principaliter de solo timore probro, ratione cuius, seu obnoxietatis ad eundem, dicitur quis absolute timidus. De reliquo enim indubitatum est, omne malum imminens, & vitabile, sed admodum difficultè, ac nominatim iniustitiam, & morosam tarditatem, cum imminent quasi inuitabiles, timeri timore aliquo propriè tali, & opposito aliquatenus spei boni desiderati.

Art. 3. Vnum vni est contrarium simpliciter secundum eandem rationem. Sed secundum quid plura possunt esse contraria eidem. Exemplum est in vita, cui simpliciter opponitur sola mors. At secundum quid opponuntur eidem aresatio, aut putrefactio cuiusvis membri, surditas, caecitas, vulnus, agritudo. Hoc igitur pacto spei est contraria simpliciter sola desperatio, & audacia solus timor ignaviae. At spei opponitur praeterea secundum quid multiplex timor diffidentiae, proptèr dependentiam ipsius spei à pluribus causis, & causarum circumstantiis, ex quarum singulariter, & seorsim sumptarum defectu exurgit timor aliquis diffidentiae, per quem debilitatur spes directè, & indirectè audacia, quin propterea necesse sit spem totaliter, & quoad substantiam impediri. Data porro est superius art. 4. ratio discriminis, ob quam dari non potest, respectu audaciae, affectus similiter contrarius directè, tantum secundum quid.

QVÆSTIQ XXXV.

Vtrum causa timoris ignavi sit terribile vix vitabile per operationem victtricem ipsius?

Videtur non esse. Quia vnumquodque malum eò est terribilius, quòd est minus vitabile, & tunc maxime omnium, cum vitari nullo pacto potest. Ergo si terribile esset causa timoris, terribile prorsus inuitabile esset causa timoris summi. Non autem est causa timoris summi, imò quatenus tale, nullius est causa timoris, sed solius tristitiae, ut dictum est supra ex Philosopho, & confirmatum exemplo eorum, quibiam decapitantur. Ergo terribile non est causa timoris.

2. Magis timentur, qui sunt astuti, & tardi ad iram, quàm qui sunt iracundi, seu ira praecipitis, ut dicitur Philosoph.

Philos. lib. 2. Rhet. cap. 5. ad medium. Eademque est ratio, ex eodem ibidem de iis, qui laedere, & qui passi sunt. Timentur enim magis, qui laedere, quam qui passi sunt, ceteris paribus, ut & Cornelius Tacitus alicubi observauit. Sunt autem terribiliores, quorum est ira præceps, & qui passi sunt, quam qui sunt mites, & astuti, quique laedere. Quia iracundia incitat vehementer, additque vires ad nocendum, & qui passus est, acceptæ iniuriæ stimulis accenditur similiter ad vindictam. Ergo terribilitas non est mensura, & causa timoris.

3. Magis itidem timentur terribilia, quæ occurrunt repente, quam quæ præuisa fuere, dicente August. lib. 2. confess. cap. 6. *Timor insolita, & repentina exhorrescit, rebus, quæ amantur aduersantia, dum præcauet securitati.* Similiter timentur magis mala, quorum, si euenerint, nullum est remedium ideoque sunt diuturna. Non autem est maius malum, magisque terribile, quod repente occurrit, quodque est inauferibile, postquam euenerit, quam quod præuisum est, aut auferibile est. Quia idem prorsus malum, & repente, & cum præuisione accidere potest. Similiter idem malum potest esse, tum diuturnum, tum breue, propter defectum, aut copiam remediorum; & neutrum facit, ut malum ipsum sit diuersum, & consequenter neque ut sit maius, vel minus. Confirmatur ex Philosopho dicente lib. 1. Ethic. cap. 6. ad med. *Non est magis bonum, quod est diuturnius eo, quod est unius diei; neque quod est perpetuum eo, quod non est perpetuum.* Ergo neque malum est maius, aut magis terribile propter diuturnitatem, aut perpetuitatem, defectumque remedij. Ergo magnitudo mali terribilis non est causa saltem adæquata magnitudinis in timore, ac proinde neque malum ipsum terribile est causa saltem adæquata timoris.

4. Mors est malum inter omnia corporalia terribilissimum ex Philos. lib. 3. Ethic. cap. 6. eaque imminet omnibus, & semper. Et tamen non omnes, & semper aut etiam plerumque illam timent, ut tradit D. Thomas ex eodem Philosopho quæst. 42. artic. 2. Similiter peccatum est terribilissimum omnium absolute, quia priuat beatitudine æterna, addicitque æternis suppliciis. Imminet verò omnibus, dum sunt in vita mortali: & tamen secundum se præcisè consideratum non est obiectum, & causa timoris, ut docet D. Thomas ibidem artic. 3. Ergo non omne terribile imminens, & difficulter vitabile, est causa timoris.

5. E conuerso timor ipse non est malum terribile, quandoquidem est voluntarius, & per se ipsum placet timenti. Hoc enim est commune omni affectui, ut per se ipsum sit volitus aliquo tandem modo ab eo, cui inest. Et tamen timor ipse timeri potest, timorque futurus potest esse obiectum, & causa timoris præsentis, ut tradit ibidem D. Thomas artic. 4.

Art. 1. Respondetur. Vix quidquam necesse est superaddere re ipsa iis, quæ dicta sunt in quæstione proximè præcedenti, circa naturam, & obiectum timoris diffidentiae, & timoris ignaui, necnon iis, quæ præmissa ante fuere circa obiectum, & causam tum spei, tum audaciæ, quandoquidem contrariis contraria omnia proportionaliter conueniunt. Nihilominus maioris claritatis gratia præmittitur primò timorem esse fugam quandam virtutis appetitiuæ. Fuga autem est mali, sicut prosequutio boni. Deinde malum dupliciter considerari potest, nempe & secundum se præcisè, seu ut est purum malum, & prout est coniunctum cum aliqua ratione bonitatis, atque apprehenditur ut contingens adhuc, & vitabile. Quod si malum consideretur secundum se præcisè, terminat fugam pro-

priam appetitus concupiscibilis, nempe vel odium, vel abominationem, vel tristitiam. Si autem consideretur prout coniunctum cum bono contingentiæ, & vitabilitatis, inducit fugam propriam appetitus irascibilis, siquidem vitatio sit difficilis, & ardua. Si enim vitatio sit omnino facilis, non variat rationem mali secundum se, atque aded pro eo repellendo perinde sufficit sola simplex abominatio. Malum denique difficulter vitabile, si bonum vitabilitatis præponderet malo difficultatis, & arduitatis, pertinet ad spem, vel audaciam, ut dictum est supra. Si autem è conuerso præponderet malum difficultatis bono vitabilitatis, seu possibilitatis vitandi, pertinet consequenter vel ad timorem diffidentiae directe oppositum spei, vel ad timorem ignaum directe oppositum audaciæ. Præponderat autem ratio illa mali, quando malum ipsum principale, quod imminet, apparet admodum difficulter vitabile, seu vix vitabile; itavt appareat probabilius, non esse vitandum, quam esse vitandum, tamen si fiat, quidquid fieri potest in ordine ad vitatorem.

Art. 2. Quod si malum difficulter eo modo vitabile apprehendatur, quatenus sic vitabile per causas extrinsecas, vel etiam per propriam operationem minimè periculosa, nec terribilem secundum se, pertinebit utique ad timorem diffidentiae, sicut pertinet ad spem vitatio mali, cuius vitabilitas præponderat difficultati vitandi, iuxta dicta superius. Si verò malum apprehendatur quatenus eodem difficultatis præponderantis modo vitabile per operationem propriam ipsius, cui malum imminet, eamque periculosa, seu pugnantem periculosè cum causa instinctiua mali, eiusdemque victricem, pertinebit utique ad timorem ignauiæ, eundemque inducet, tanquam specialis, & propria causa ipsius. Eadem profectò ratione, qua dictum est superius, pertinere ad audaciam, eiusque causam existere terribile vitabile per operationem victricem ipsius, quando bonum vitabilitatis repræsentatur ut præponderans malo arduitatis, & difficultatis vitandi. Malum nimirum iunctum bono determinat ad prosequutionem, vel fugam propriam appetitus irascibilis, iuxta præponderantiam mali supra bonum, vel boni supra malum, idque totidem modis, perque tot species affectuum in utramque partem, quod sunt modi, & species arduitatis, & difficultatis; sicut bonum, & malum simplex determinat ad prosequutionem, & fugam propriam partis concupiscibilis. Patet itaque obiectum proprium, & causam obiectiuam timoris ignaui esse malum terribile vix vitabile, seu in quo apparentia vitabilitatis est minor, quam ineuitabilitatis, idque per operationem pugnam, & victricem causæ intentantis malum terribile, edendam ab ipso, cui imminet idem malum.

Art. 3. Supponitur porro, quod circa alios quoque affectus animaduersum semper est, vim causatiuam mali, respectu timoris, considerari secundum apparentiam eius in præuia apprehensione sensus, & non ut est in se, seu in sua causa à parte rei. Quia affectus specificantur ex bono, & malo apprehenso, non ab eo, quod re ipsa datur, nisi tale etiam appareat, quale est in se. Quæ de causa definit optime Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 5. initio, *timorem esse ex imaginatione futuri mali corruptentis, ac dolorem inferentis, perturbationem quandam, aut tristitiam.* Eademque de causa Seneca Epist. 13. *Plura, inquit, sunt, quæ nos terrent, quam quæ premunt. Et sæpius opinione, quam re laboramus; nempe re, quæ datur solum in apprehensione, quam re, quæ datur etiam in se ipsa, vel in causa sua reali. Quod etiam vel maxime pertinet, quod dicitur Ps. 13. 15.*

Illic

Illic trepidauerunt timore ubi non erat timor. Omnia igitur, quæ augment apparentiam, & apprehensionem excessus mali, quod est in periculo, & difficultate pugnandi, ac vincendi, supra bonum vitalitatis, & consequibilitatis victoriæ, valent in eodem prorsus gradu ad augmentum timoris. Idemque dicitur, quoad diminutionem, de causa apprehensionis oppositæ, vti clariùs apparebit in solutionibus argumentorum.

Ad 1. Terribile, quatenus apprehenditur vt omnino inuitabile, non est malum mixtum bono, sed est purum malum, ideòque non est causa timoris, cuius obiectum est malum adhuc contingens absolute, sed est causa tristitiæ, cuius obiectum est malum præsens, vel in se, vel quod perinde est, in sua causa penitus inimpedibili. Propterea, causa timoris dicitur terribile, non vtunque consideratum, sed quatenus est vitabile adhuc, licet vix vitabile sit.

Art. 1. Ad 2. Iracundi sunt manifesti ex sua natura, produntque vultu, & alijs indicijs malum, quod ex ipsis imminet, & cui, & quando imminet, propterea quæ præuideri facile potest, & vi præuisionis aut vitari, aut minui, prouisis opportunè remedijs, vt aduertit Philosophus illo ipso in loco. At astuti, & lentioris iræ, sunt occulti ex sua natura, nec manifestant, cui, & quando nocumentum illaturi sint; propterea quæ præuideri minimè potest malum, quod ex eis imminet, ac proinde vitari, aut minui remedijs opportunis minus potest. Itaque iracundi sunt magis timendi, quàm astuti, ac lentis, respectu inconsiderati, & sistentis in prima rerum superficie: quia spontanea prima apparentia mali est maior ex illis, quàm ex istis. At absolute, & respectu iusti, ac profundi, & adæquati æstimatoris rerum sunt è conuerso terribiores lentis, & astuti, quàm qui sunt ira præcipiti feroces: quia malum ex illis imminens est magis irreparabile, ideòque maius absolute, quàm quod imminet ex istis. Eodem pertinet lentos, ac astutos esse iræ diuturnioris, quia sunt magis terrei; iram verò iracundorum natura citius euancescere, quia sunt magis ignei; atque ignis est mobilior, terra stabilior.

Art. 2. Quod attinet ad alteram comparisonem lædentium, & læsorum, hoc est manifestum, vtrumque reddi terribiliorem, quia læsit, & quia passus est, quàm foret antecederet, vt apparet ex ratione obiectionis. Quia nimirum, qui intulit iniuriam, inde specialiter stimuletur, vt pergat vltèrius nocere, quousque opprimat, sin minus debilitet patientem, ne possit retribuere vindictam. Qui verò accepit iniuriam, inde specialiter incitatur ad vindictam, & ne detur vltèrior regressus vindictæ, incitatur insuper ad opprimendum, sin minus ad debilitandum semper læsorem. Vter autem reddatur absolute terribilior ex eiusmodi suppositione, ambiguum est. Sensus vulgaris, & ordinarius hominum videtur esse, passum iniuriam esse terribiliorem, quàm lædentem, vti manifestat versiculus communi approbatione receptus: *Pulvere, qui ladit, scribit sed marmore læsus.* Sed Tacitus terribiliorem facit lædentem, eodemque propendere videtur Philosophus.

Art. 3. Videtur autem componi controuersiam posse distinctione iræ naturalis, seu purè sensitivæ, & innaturalis, seu rationalis, iuxta expositionem tradendam infra quæst. 42. Ira enim dependens ex apprehensione mali propria potentia sensitivæ secundum se præcisè, est maior in læso, quàm in lædente. Quia ille habet obiectum sensibile, quo irritatur ad vindictam, hic non habet; ideòque læsus, est eatenus terribilior, quàm lædens. Ceterum idem lædens est minus placabilis attento discursu intelle-

ctuali circa malum sibi imminens. Quia conscientia iniuriæ illatæ, & reatus inde contracti, premit ipsum assidue ex vna parte, & ex alia, cum maneat superior læso, ex quo læsit, naturaliter inclinatur ad operandum, ne decadat à superioritate, & excessu, quem iam possidet supra iniuriatum, cumque obtineri hoc non possit, nisi oppresso penitus, aut indefinenter depresso iniuriato, pergit porro ad nocendum quantum potest atque ad id vehementer incitatur ex vtraque ea apprehensione. At qui passus est iniuriam, nec conscientiam gerit grauam reatu vltionis, nec superioritatem possidet, respectu lædantis, quò potius est eatenus inferior, faciliusque dimittitur bonum nondum possessum, quàm quod præhabitu iam est, vt dictum est superius. Est igitur placabilior, qui passus est, si cætera sint paria, quod attinet ad iram rationalem.

Artic. 4. Verum quia plures sequuntur sensum, quàm intellectum, vti pluries notatum est cum D. Thoma, propterea apud vulgus communiter inualuit prior illa opinio, & verificatur in plerisque. Posterior verò præualuit apud paucos intimiores inspectores motuum intellectualium, & in paucis quibusdam verificatur, de quibus proinde dici potest: *Pulvere, qui læsus, scribit, sed marmore lædens.* Vel annectatur præinducto vulgari versiculo hic alius pro non vulgariter nequam: *Marmore, qui læsus lædens tamen ære profundus.* Proportionale quid contingit in benefico, & beneficiario magis ad sensum, magisue intellectualiter operantibus. Vtunque res habeat, semper timor est maior ex maiori apprehensione terribilis imminens, & magnitudinis eius, siue sensitiva ea sit, siue intellectualis. Atque ex his patet satis ad rationes obiectionis, eorumque præponderantiam omnibus pensatis.

Ad 3. Terribilia repentina tunc maiorem incutiunt timorem, quàm quæ præuisa antè fuere, quando præuisio coniuncta fuit cum practica remedium meditatione, & præparatione, necnon cum ponderatione circumstantiarum, ratione quarum vnumquodque terribile est minus nocuum. Quia vtrouis modo minuitur, aut malum ipsum, aut apprehensio mali, vt dictum est in simili circa tristitiam quæst. 25. ad 6. Ceterum si præuisio terribilium non sit eo modo prouida, ac prudens, confert potius ad augmentum timoris, quia inducit augmentum apprehensionis circa terribile diutius præmeditatum, ideòque manifestatum magis animo. Huc pertinet sapiens Seneca consilium in dicta epist. 13. *Illud tibi præcipio, ne sis miser ante tempus, cum illa, quæ velut imminens expauescit, fortasse nunquam ventura sint; certè nondum venerunt. Quædam enim nos magis torquent, quàm debeant; quædam antè torquent, quàm debeant; quædam autem torquent, cum omnino non debent.* Pertinet item ad priorem illam præuisionem prouidam, & prudentem malorum, quod idem auctor suggerit epist. 24. *Quod accidit pueris, hoc quoque nobis masculis pueris euenit. Illi, quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expauescunt. Non autem hominibus tantum, sed & rebus demenda persona est, & reddenda sua facies. Quid mihi gladios, & ignes ostendis, &c.* nempe incussuros magnum timorem, nisi detrahatur persona, præmeditando bona, quæ inde redundare possunt. De altera parte obiectionis circa diuturnitatem mali per defectum remedium, nihil necesse est dicere, cum sit manifestum, malum quoduis diuturnitate, & defectu remedium reddi maius. Ea enim, vt dicit D. Thomas qu. 47. art. 6. *quæ sunt in tempore, secundum durationem temporis quodammodo mensurantur. Vnde si par-*

aliquid in tempore tanto, est malum, pati idem in duplo tempore apprehenditur, ut duplatum, Ratio autem obiectiōis procedit de magnitudine mali præcisè secundum suam substantiam, & non attendit circumstantia augente vel apprehensionem mali, vel permanentiam eius. Similiter Philosophus loquitur de magnitudine per se, & secundum speciem, quam non variat permanentia, aut breuitas accidentaliter eueniens.

Ad 4. Quæ valde longè sunt, non timentur, vt dicit Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 5. post initium. Quia malum, quod longè abest, apprehenditur vt non futurum, proptereaque non angit, nec timetur. Ita autem apprehenditur plerumque mors naturalis, in qua propterea exemplificat Philosophus sententiam suam; eaque de causa plerumque non timetur, sed est obiectum solius abominationis, & puræ fugæ. Peccatum verò, idèò secundum se præcisè, non timetur, quia dependet directè ex propria voluntate, atque est vitabile absque operatione vlla periculosa, & quicumque vult vincere, vincit certissimè absque vlla iactura, & cum maximo lucro, omnibus consideratis. Quod, si peccatum vitari aliquandò non possit, nisi per operationem periculose victricem causæ extrinsecæ inducentis ad peccandum, timeri profectò eatenus potest peccatum, debetque timeri timore omnium maximo, atque ita docet eodem illo in loco D. Thomas. Sub vtraque porro consideratione peccatum, cum euenit, est causa tristitiæ. Quia tristitia est de omni malo præsentī; timor verò de solo malo futuro arduo, quatenus arduo, vti expositum est superius.

Ad 5. Quæ sunt mala absolutè, & bona solum ex suppositione, possunt timeri, & displicere, antequàm fiat talis suppositio, tametsi placeat, & delectent facta eadem suppositione. Eiusmodi autem est timor. Quia cum sit partialiter impeditiuus, ac priuatiuus spei, atque inductiuus desperationis timor diffidentia; timor verò ignauus sit exclusiuus audaciæ, & aggressionis generosæ, vt dictum est: & vterque sit insuper causâ transmutationis corporalis valde incommoda; vterque est absolutè nociuus. At facta suppositione imminentiæ mali, vtiliter insurgit affectus timoris, qui propterea placet per se ipsum timenti, & per quem simul eidem displicet ipsum malum, eiusque imminentiæ, & stimulat ad querendum remedia, vel compensationem, & lenimentum. Benè igitur componitur, quod timor mali imminenti, dum præuidetur imminens, adsit præsens, placeatque ei, cui iam proximè imminet malum; & nihilominus idem timor, eiusdemque necessitas, cum nondum adest, & præuidetur imminens, timeatur, atque displiceat, & impediatur, quantum fieri potest per alium timorem interim præsentem. Quæ est distinctio D. Thomæ illo in loco, & responsio ad rationes, ob quas videtur Augustinus censuisse, non posse timeri timorem.

QVÆSTIO XXXVI.

Verum diuisio timoris communiter recepta in sex alias differentias sit bona?

Eiusmodi differentia sunt segnitie, erubescencia, verecundia, admiratio, stupor, & ignia, quas dicit species timoris Damascenus lib. 2. Fidei orth. cap. 15. & ex eo communiter alij cum D. Thoma quæst. 41. art. 4. Videtur autem diuisionem istam non esse bonam 1. Quia spei, & audaciæ, quibus opponitur timor, nullæ assignantur differentia. Ergo nec timo-

ris assignari debent vllæ differentia. Patet consequentia, quia differentia malorum in nullo genere possunt esse plures, quàm differentia bonorum, in quorum priuatione conceptus malorum consistit adæquate.

2. Obiectum timoris, & tristitiæ est prorsus idem quoad substantiam, cum sola diuersitate accidentalī penes præsentiam, & absentiam, dicente Philosopho lib. 2. Rhet. cap. 5. timorem esse de malo contristatiuo. Tristitiæ autem quatuor tantum assignantur differentia, vt dictum est supra quæst. 24. Ergo totidem solum differentia timoris esse possunt.

3. Quod est in potestate cuiusque, præcisè quatenus illi subest, non est obiectum timoris, vt dictum est supra. Obiectum autem segnitie, erubescencia, & verecundia, est propria cuiusque operatio, quatenus propria. Ergo his tribus affectibus non conuenit ratio timoris.

4. Timor ex suo conceptu vniuersali est de malo futuro, & adhuc potest absolutè esse, & non esse. Verecundia autem est de malo præterito, nempe de operatione mala iam executioni mandata. Ergo verecundia non est timor.

5. Admiratio, & stupor sunt ex se indifferentes ad bonum, & malum. Quia quodlibet magnum, & insolitum occurrens repente, siue bonum sit, siue malum, est causa tum admirationis, tum stuporis, iuxta differentiam magnitudinis rei insolita. Timor autem versatur vniuersaliter circa solum malum. Ergo neuter ex illis affectibus continetur sub conceptu vniuersali timoris. Nec enim species aliqua potest esse indifferens ad id, ad quod genus eius est vniuersaliter determinatum.

6. Non possunt coincidere in idem ea, quorū effectus, & causalitates sunt inuicem opposita. Effectus autem, quos causant admiratio, & timor sunt inuicem oppositi. Quia timor mouet ad fugiendum, vt dictum est, admiratio verò ad inquirendum, vt dicit Philosophus in principio metaphysicæ, quorum alterum fit, inhærendo, alterum recedendo. Ergo admiratio, & timor non possunt inuicem identificari, sicut species, & genus.

7. Transmutatio corporalis, quam causat verecundia, est contraria transmutationi, quæ consequitur ad timorem. Quia verecundia effundit sanguinem in faciem, timor verò contrahit eundem ad interiora. Ergo verecundia non est timor, sed est contraria natura vtriusque.

Art. 1. Respondetur. Quor, & quales sunt differentia mali difficulter vitabilis cum apparenti excessu difficultatis supra vires; tot, & tales sunt differentia timoris, vt potè habentis pro obiecto, & causa sua propria malum eiusmodi, vt dictum est. Malum autem eiusmodi potest considerari vel in operatione cuiusque propria, vel in rebus aliis, vti distribuit optimè D. Thomas in illo art. 4. In operatione ipsa duplex tale malum occurrere potest. Alterum est purè physicum ex apprehensione laboris grauantis naturam, & excedentis vires operantis, atque hinc suboritur segnitie, quæ refugit opus propter eiusmodi malam circumstantiam nimia defatigationis, & laboris. Alterū est intentionale, & proprium hominis, quā intellectualis est, & consistit in periculo, ac imminenti læsionis, famæ, & opinionis bonæ ex operatione turpi. Si tale periculum imminet ex operatione turpi iam facta, solumque præsentē in memoria sui timor inde subsequens de iactura famæ dicitur verecundia. Dicitur verò erubescencia timor similis ex operatione turpi nondum executioni mandata, adeoque futura secundum se, solumque præsentē in actuali designatione animi in ordine ad illam.

Art. 2.

Quaest. XXXVII. Vtrum timor sit, &c. 81

Art. 2. Mala alia exteriora, praeter operationem turpem, si secundum se praecise, & pure physice considerentur, nullam habent differentiam formalem, quoad vim motiuam appetitus, vltra duas illas expositas supra quaest. 34. At si considerentur relate ad intellectum, sortiuntur triplicem differentiam formalem, quoad vim eandem mouendi appetitum, mediante triplici differentia formali mouendi intellectum, & eo rursus mediante appetitum. Si enim occurrat considerandum tam magnum malum, cuius quidem natura perfecta habeatur, sed exitus considerari, & conijci non possit; sequitur admiratio, non illa curiosa, & indagatrix principij, quae est origo sciendi, sed timida, quae retrahit à difficultate indagandi exitum, propter excessum eius difficultatis supra vires intellectus. Si verò malum occurrens intellectui sit insolitum, atque ex eo capite gignat imaginationem, & apparentiam magni mali; sequitur stupor, qui est timor retrahens applicationem intellectus ad considerandam naturam talis mali. Si denique occurrat malum, cui prouidere, & cuius inuenire, & excogitare remedia, appareat similiter difficile, cum praedicto super excessu difficultatis; sequitur agonia, quae est timor retrahens ab applicatione intellectus ad prouidendum de remedijs.

Art. 3. Patet igitur opportunè, & cum fundamento ex parte obiecti assignari sex praedictas differentias timoris. Pertinent autem omnes ad timorem diffidentiae, tanquam ad rationem genericam illis omnibus communem, quatenus labefactant spem bonae operationis, siue corporalis, siue intellectualis, necnon retinendae famae, & honoris absque laesione, in quibus nulla intercedit ratio terribilitatis superius exposita, quatenus pertinentis ad timorem ignauum propriae talem; quamquam reductiue ad eum etiam pertineant, praesertim segnitie, admiratio, stupor, & agonia, quae sunt circa operationem propriam videlicet difficultatis specialis. Specialitas porro in singulis praedictis differentijs exposita, talis tantum est, ut sufficiat ad specificam earum differentiam, vti docet etiam D. Thomas loco indicato.

Ad 1. Est quidem vna vnius formalis priuatio cuiusque boni, contradictorie illi opposita. Contraria tamen mala, seu entitates positivae continentes in se eandem priuationem, possunt esse plures, & numero, & specie, respectu vniuscuiusque boni. Patet hoc inter alia in vita corporali, cuius vnicum contradictorium est mors, cum contraria, ut agri- tudines, aliaeque priuatiua vitae, sint quamplurima, & quampluribus remedijs specie diuersis impedibilia. Similiter ergo, respectu boni desiderati, & operationis, videlicet mali imminenti, possunt esse plura mala specie diuersa, quae illis contrariantur, & aduersus quos indigeat animal pluribus remedijs specie diuersis. Affectus autem auersatiui malorum sunt praecipua animalis remedia, ac munimina contra mala sibi imminencia. Quapropter huiusmodi affectus possunt multiplicari specie, absque simili multiplicitate affectuum prosecutionis circa bona, idque patuit satis pro re praesenti ex superiori malorum specie diuersorum enumeratione.

Ad 2. Diuersitas differentiarum tristitiae considerata est eo in loco penes diuersos effectus, & circumstantias. Diuersitas autem timorum considerata, & illata est, ex diuersitate malorum, quae illis obijciuntur. Vnde non necesse est, ut numerus differentiarum alter alteri iuste correspondeat. Nec sane fieri id potest, quia in malo iam praesenti, quod ut tale est obiectum tristitiae, nulla superest ratio arduitatis, aut multiplicis, aut vniiformis. Quae

tamen ipsa multipliciter inesse potest malo imminenti.

Ad 3. Operationi, quae secundum se est in nostra potestate, potest inesse circumstantia difficultatis, aut alterius incommodi, secundum quam, possit terminare timorem, atque, ita accidit, respectu segnitiei, erubescen- tiae, & verecundiae, ut dictum est; sicut etiam operationi iam praesenti, aut etiam praeterita potest inesse vis inductiua mali de futuro, atque eatenus potest terminare, & causare speciem particularem timoris, quae dicitur verecundia. Ex quo patet ad 4.

Ad 4. Non solum malum, sed etiam quod secundum se est magnum bonum, potest habere rationem mali comparatione intellectus, quatenus propter magnitudinem, & insolitam apparentiam redditur difficilis intellectui consideratio illius. Atque ex hoc capite potest causare timorem, itum admiratum, tum stupidum. Sicut enim operatio exterior secundum se bona, potest causare segnitiam, quae est difficilis exequutionis, quae est mala circumstantia; ita obiectum interius occurrens potest causare vtrumque eum timorem, quae est difficilis considerationis, alio, atque alio modo. Est enim par, & assimilis vtroque ratio. Vnde eadem operatio exterior, quatenus est difficile meditari, & proficere quid, quando, & quomodo agendum sit, potest inducere aliam speciem timoris, qui dicitur socordia, sed communiter includitur sub segnitie, atque ad eam reducitur, propter similitudinem difficultatis adiacentis operationi exteriori.

Ad 5. Admiratio potest esse coniuncta cum excessu apparenti potestatis ad inueniendam totam veritatem, quae latet, supra difficultatem indagandi eandem, atque eatenus est principium sciendi, & coniungitur cum spe scientiae, eiusdemque prosecutione, nec habet rationem timoris. Potest itidem admiratio esse coniuncta cum contrario excessu difficultatis inueniendi exitum, supra vires intellectus, atque eatenus inducit timorem, & fugam. Hoc autem secundo modo accipitur admiratio in praesenti, & coincidit cum timore, & fuga.

Ad 6. Dictum est, timorem, alium esse naturalem, & alium rationalem. Timor naturalis, cum sit de terribili corruptio corporis reuocat sanguinem ad interiora, sicut facit mors, quando naturaliter imminet, vti exponitur in quaestione sequenti. At timor rationalis, qualis est verecundia, quia non est de malo corporis, sed de malo animae, seu contradicente soli appetitui, quasi contrahit, non corpus, sed animam ipsam, atque ita eam disponit magis ad motionem spirituum, & caloris, atque ad diffusionem eorum in partes exteriores. Ratio igitur obiectionis solum probat, verecundiam esse timorem diuersae naturae à timore simpliciter dicto, non verò alterum esse timorem, & alterum non.

QVÆSTIO XXXVII.

Vtrum timor sit impediens operationum?

Videtur non esse. 1. Quia timor reuocat spiritus, & calorem ad interiora. Vnde necesse est, ut ex vi timoris cor abundet spiritibus, & calore, atque ita dilatetur, & quodammodo amplificetur. Dilata- tio autem, & amplificatio cordis per abundantiam caloris, & spirituum confert ad audendum, & operandum fortiter, ut dictum est circa audaciam. Ergo timor iuuat potius ad operandum.

2. Verecundia, quam dictum est esse speciem timoris, diffundit sanguinem in partes exteriores,

vt patet in rubore faciei eorum, qui verecundantur, ex obseruatione Cic. quaest. 4. Tusc. & Philof. lib. 4. Ethic. cap. vlt. Sanguis autem diffusus in partes exteriores fortificat eas, & reddit magis idoneas ad operationes exteriores, vt dictum est circa delectationem, spem, & audaciam. Ergo timor confert ad perfectionem earum operationum.

3. Abundantia caloris in partibus exterioribus, ex vi timoris, plura indicia suffragantur. Primum enim timentes solent sitire, & maxime quando timor est maximus, vt apparet in ijs, qui ducuntur ad mortem. Sitis autem provenit ex abundantia caloris depascentis humidum. Deinde emissionem superfluitatum inducit ars medica per medicinas laxatiuas, quae sunt calidae, eademque emissio impeditur per appositionem frigidorum, quae occludunt poros, aliosque meatus. Timor autem inducit emissionem superfluitatum, quia quando est maximus, soluitur venter, & effluit urina, quin detineri possit, sitque transpiratio magna, ac vehemens, vt dicit Philosophus sect. 27. Probl. 11. Manifestum porro est, calorem esse maxime actiuum, & consequenter per abundantiam eius in partibus exterioribus ipsas reddi ad operandum specialiter idoneas.

4. Timor facit consiliatiuos, vt dicit Philof. lib. 2. Rhet. cap. 5. Quod autem inducit ad consultationem, iuuat utique ad operationem perfectam, cuius causa est diligens consultatio. Ergo timor est causa perfectionis in opere. Confirmatur valide ex illo Apostoli ad Philip. 2. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Hoc enim dici non posset, nisi timor, & tremor essent causa perfectionis in opere.

5. Sicut spes, & audacia prosequuntur bonum, & tendunt ad eius consequutionem; ita timor diffidentiae, & timor ignauiae illis oppositi fugiunt a malo, & tendunt ad vitiationem eius. Tam autem necessaria est diligens, & multiplex operatio ad arcendum malum, atque ad obtinendum bonum. Eadem igitur ratione, qua dictum est supra, spem, & audaciam esse operatiuas, dicendum etiam est timorem esse operatiuum.

Art. 1. Respondetur. In timore potest considerari, & transmutatio corporalis, quam inducit in genere causae efficientis, & applicatio virium animae, quam praestat in genere causae formalis. Ratione transmutationis corporalis timor est impeditiuus operationum, quarum membra corporis sunt causae instrumentales. At ratione applicationis virium animae, ex qua dependet applicatio virium corporis, timor propriam iuuat operationem, & impedit extraneas, ad eum modum, quo dictum est supra circa delectationem. Ratio, quoad priorem partem est, quia affectus proueniens ex apprehensione terribilis imminenti habet vim motiuam corporis similem illi, quam habet malum ipsum corruptiuum, cum afficit physice corpus. Nempe praesentia intentionalis mali imitatur praesentiam eius physicam, & consequenter affectus consequens ad praesentiam intentionalem mali euadit similis, in operatione sua reali praesentiae eiusdem mali. Malum autem corruptiuum salutis, & vitae, ad instar cuius mali apprehendit sensus omne aliud malum, cum omne malum sentientis quia sentiens praecise est, reuocetur ad malum secundum tactum, quod ex genere suo est corruptiuum salutis; ad eum utique modum, eaque ratione, quibus dictum est supra, omne bonum animalis, quia animal est, reuocari ad tactum, atque adeo pertinere ad conseruationem salutis, & vitae. Malum inquam corruptiuum, cum adest, retrahit spiritus, & sanguinem ab exterioribus ad interiora, vt patet in moribundis, quibus

frigunt partes omnes exteriores corporis. Similiter ergo affectus consequens ad apprehensionem, ac imaginationem mali imminenti reuocat spiritus, & sanguinem ab exterioribus ad interiora. Vnde partes exteriores corporis destituta calore sanguinis, & spiritu ideoque contractae, rigentes, ac tremantes, redduntur inhabiles ad operandum.

Art. 2. Verum est notanda cum D. Thomae quaest. 44. art. 1. ad 1. ex Philosopho loco nuper indicato, differentia reuocationis spirituum, & sanguinis ad interiora, quam inducit timor ab ea, quam inducunt spes, & audacia. Timor enim, quia est ex apprehensione mali excedentis vires, fugit sine termino, quantum potest, nec subsistit ad resistendum; ideoque sanguis, vi eius reuocatus ad interiora, non consistit in corde, quod est quasi arx animalis, sed eo deserto, truditur ad partes inferiores, ac ignobiliore; Idque absque ordine, & directione idonea ad opus aliquod defensionum animalis, & reiectum mali imminenti. Quia omnis eiusmodi ordo, ac directio prouenit ex corde, & cerebro, quae iam supponuntur destituta calore, & vigore, vt conuenienter agant per se, & conuenienter applicent reliquas partes. Quapropter ex timoris excessu patiuntur magis, quam agant, solumque redduntur habiles partes inferiores, ad effluxum, & electionem: ad quam nimirum sufficit dilatio earum partium, utcumque inordinata, quam causat abundantia sanguinis, & caloris distributi, & excurrentis inferius inordinatè. At spes, & audacia, quia e conuerso oriuntur ex apprehensione virtutis excedentis vim mali, retrahunt quidem sanguinem ad interiora sed sistunt eum in corde, vt inde iterum resiliat, nouiter instauratus ex influentia ipsius cordis, ad partes exteriores, & ad opus resistendi malo. Eadem igitur ratione, qua dictum est supra, transmutationem corporalem propriam spei, & audaciae, conferre vniuersaliter ad operationes exteriores, concluditur easdem impediri per transmutationem corporalem, cuius causa est timor, tum diffidentiae, tum maxime ignauiae, qui est maior timor, utpote proueniens ex terribili maiori malo.

Art. 3. At applicatio virium animae, de qua erat posterior pars conclusionis, & quam praestat idem timor in genere causae formalis, confert plurimum ad operationes impeditiuas mali, quod imminet, dummodò timor sit moderatus, ac mediocris. Quia, videlicet, timor consistit in fuga, & abominatione mali, ideoque applicat animum necessariorum ad diminutionem, & vitiationem eius, quantum potest. Potest verò plurimum, dum est moderatus. At si immoderatus sit, nimisque vehemens, impedit omnem operationem: quia perturbat rationem, eiusdemque, & sensus etiam communis attentionem ad alia obiecta, praeter id, quod vsque adeo angit, uti saepius, notatum est superius circa nimietatem aliorum quoque affectuum. Verum timor, etiam cum moderatus est, non virget, certè non exequitur tam bene operationes circa suum obiectum, sicut virget, & exequuntur circa suum spes, & audacia. Quia anima dependet ex corporis temperamento, quod dictum est, reddi inidoneum vniuersaliter ad operationes ex vi timoris, idoneum verò ex vi spei, & audaciae. Est denique commune timori cum delectatione, alijsque affectibus, vt impediat operationes extraneas, seu non viles ad vitandum malum, quod est eius causa, tum ex applicatione virium ad operationes impeditiuas eius mali, tum quia facile praetermittantur operationes, ex quarum omissione nullum timetur malum. Ob haec igitur

igitur omnia, passio timoris dicenda est absolute impeditiva operationum; operatiua vero cum limitatione, iam exposita.

Art. 1. Ad 1. Notatum iam est discrimen timoris, & audaciae, quoad vim reuocandi spiritus, & calorem ab exterioribus ad interiora; nempe audaciam reuocare ad cor, atque inde iterum refundere cum maiori vigore superaddito ex naturali cordis activitate ad partes praesertim superiores; vi autem timoris, praesertim ignavi, demitti sanguinem inordinatè infra cor ad partes inferiores. Hinc fit, ut ad timorem sequatur contractio partium superiorum simul cum corde, atque inde tremor ibidem, qui sunt effectus frigoris: In partibus vero inferioribus sequatur dilatio, & laxatio, atque inde plurima ibidem transpiratio, emissioque exercementorum, qui sunt effectus caloris praesertim distributi inordinatè. Existit praeterea specialis differentia inter audaciam, & timorem, quoad vim inductam contractionis, & tremoris. Ex vi namque audaciae sequitur hic effectus solam in principio aggressionis, & deinde succedit contraria firmitas, & vigor rediuvius. At ex vi timoris crescit potius idem effectus in progressu.

Art. 2. Ratio est, quia obiectum audaciae est compositum ex bono futuro, & malo partialiter saltem, & inchoativè praesentem cum praepoderantia boni, ut dictum est. Quapropter audacia nata est inducere transmutationes inuicem contrarias, & quia non potest utraque simul inducere, inducit successivè. Inducit verò primò transmutationem contractivam, & tremulam, quae est ex apprehensione mali. Quia ratio mali, quae sibi obijciuntur est praesens, utpote contenta in praesentia causa nociva, & minantis malum. Ratio verò boni, quae principaliter consistit in victoria, est absens, magisque remota in principio aggressionis, quam in progressu. Hac igitur de causa existit initio in audaci transmutatio, quae est ex malo, ac deinde subinducitur ea, quae est ex bono, eademque posterior transmutatio crescit sensim, vigetque magis, quò maior fit appropinquatio ad victoriam, per promotionem operationis victricis. At, respectu timoris, adest ex parte obiecti praepoderantia mali, partim praesentis in causa nociva, partim futuri in effectu eius, cuius propinquitas est maior in progressu, uam in principio. Unde contractio, & tremor, & reliqua transmutatio existens ex vi timoris est uniformis, atque maior in progressu, quam in principio.

Ad 2. Verecundia est timor rationalis, ut dictum est supra, & provenit ex timore mali, non contradicentis naturae, vitaeque hominis, sed soli appetitui, atque pertinentis directè ad animam. Unde inducit quandam contractionis modum in solam animam, quasi vellet se occultare, ne pateret infamiae imminenti, ideòque obtendit sanguinem, quasi velum quoddam, in partem magis prominentem, ac conspicuam, quae est facies. At timor simpliciter dictus est de terribili corruptivo naturae, illique cedens agit in fugam ignobilem, sanguinem, & spiritus, eosque demittit inordinatè ad partes inferiores. Hac igitur causa est, cur is timor corrumpat operationes exteriores, ex intemperie debilitante partes corporis exteriores praecipuas, quae sunt instrumenta ad illas; verecundia verò id non efficiat, multòque minùs spes, & audacia, de quibus nuper dictum est oppositum.

Ad 3. Indicia observata in obiectione probant assertam caloris abundantiam in solis partibus infra cor. Sic enim vexat timore correptos, post tempus

aliquid, quia calor demissus inferius consumit humidum existens in nutritiva, atque inde subsequitur sitis. Arguit praeterea eandem transpirationes copiosae & copiosae emissiones humoris exercementitij, quae sunt in iisdem partibus inferioribus, ut dictum est. Calor autem est actius in animali, quatenus afficit partes eius praecipuas, maxime cor, & cerebrum, unde est principium, & vigor, atque directio operationum omnium; & non quatenus abundat inordinatè in partibus inferioribus.

Ad 4. Ea ratio probat activitatem timoris, penes id solum, quod praestat in genere causae formalis, applicando vires animi ad vitiationem mali, quod timetur, & ad impeditionem causae, ex qua timetur. Hinc enim fouetur accurata consultationis diligentia. At adversus transmutationem nocivam ex sua natura, atque inertem, nihil inde concluditur. Verba Apostoli non sunt ad propositum. Quia non agit de timore, qui est passio, & existit in appetitu sensitivo; sed de spirituali, purèque intellectuali timore Dei, qui, cum non sit nocenter transmutativus corporis, ut est timor sensitivus, est tamen sicut iste, & multò magis applicativus virium animae ad praecavendum malum, quod fugit, ac timet, nempe ad vitandas occasiones peccatorum, quarum vitatio hominem facit verè salicem, ac solidè, & permanentè hilarem. Quae de causa dicitur Prou. 28. 14. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* & ps. 12. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Vbi apparent coniunctae beatitudo cum pauore, & exultatio laetibunda cum servitute timente, ac tremente, nempe spiritualiter, purèque intellectualiter, conformiter ad dictamen, & mensuram rationis rectae.

Ad 5. Pater satis ex dictis superius de convenientia spei, & audaciae cum timore, quoad applicationem virium animae, simul cum discrimine, quoad transmutationem corporalem utrinque pro uenientem.

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum ira sit passio retributiva mali?

Videtur non esse. 1. Quia cuilibet passioni specialis est contraria specialis alia passio, ut patet tum ex inductione aliarum omnium passionum, quae expositae hucusque sunt; tum à priori, quia qualibet ratio boni, & mali sensibilis, & cuiuslibet complexionis ex utroque, potest adesse, & abesse, cum nihil sensibile sit necessarium simpliciter, atque permanens invariabiliter. Quilibet autem ratio obiectiva causat affectus inuicem contrarios in appetitu, dum abest, & dum adest. Ira autem nulla alia passio est contraria, uti positum est superius quaest. 2. ex D. Thoma quaest. 23. art. 3. & in praesenti quaest. 46. art. 1. ad 2. Ergo ira non est passio.

2. Nulla una passio constituitur per confluxum plurium passionum. Quia una passio dicitur unus affectus in se simplex, proprius appetitus sensitivi. Ira autem includit confluxum plurium passionum, nempe spei, delectationis, & tristitiae, ut habetur ex Philosopho lib. 2. Rhetor. cap. 2. & 3. Ergo ira non est una aliqua specialis passio.

3. De ratione passionis est, ut dependeat ex cognitione potentiae sensitivae, eademque sola dirigatur, ac inducatur immediatè, ut dictum est superius. Impossibile autem est, ut affectus retributivus mali dirigatur, ac inducatur cognitione potentiae sensitivae. Quia potentia sensitiva non est composita.

compositiua, & comparatiua, atque commensuratiua vnius obiecti cum alio. Affectus autem retributiuus mali essentialiter præsupponit comparationem, & commensurationem mali infligti, ac suscepti cum malo inferendo, ac retribuendo. Ergo ira non est passio, aut affectus pertinens ad appetitum sensitium, sed est opus solius rationis, & intellectus. Quia de causa dicitur ps. 4. 5. *Irafcimini, & nolite peccare.* Quia videlicet ira pertinet ad voluntatem, sicut peccatum.

4. Retributio mali est purum bonum, sicut ablatio ægritudinis, & sanatio vulneris, & restitutio rei ablata. Obiectum autem passionum pertinentium ad potentiam irascibilem, quæ denominatur talis ex affectu iræ, est compositum ex bono, & malo. Ex hac enim solùm mixtione differunt affectus irascibilis ad affectibus concupiscibilis. Ergo passio iræ non rectè exponitur, ac definitur relatè ad solam retributionem mali.

5. Retributio mali pertinet ad odium. Qui enim læsit aliquem, redditur illi odibilis, ratione læsionis, atque læsus vi odij inclinatur ad regerendum malum, & ad vexandum læsores, præcisè, quia læsit. Ergo differentialis ratio iræ non consistit in retributione mali.

6. Ira non solum insurgit aduersus causam cum cognitione, & ratione nocentem, sed etiam aduersus res rationis, omnisque cognitionis expertes, vt cum piscator proiecit cannam, aut pennam scriptor, & sic de alijs similiter iratis aduersus inanimata sibi displicentia, vt patet maximè in cane mordente, ex affectu iræ, lapidem iactum aduersus ipsum. Retributio autem mali non dicitur propriè, nisi respectu cognoscentis malum, quod sibi regeritur, idèque dolentis. Ergo ad iram non spectat retributio mali, certè non ea sola ad ipsam pertinet, tanquam ratio differentialis adequata.

7. Ira est naturalior, quàm concupiscentia, vt dicit Philos. lib. 7. Ethic. cap. 6. & ex eo D. Thomas quæst. 46. art. 5. Retributio autem mali est minùs naturalis, quàm acquisitio, & conseruatio boni. Quia hoc conuenit per se, illud verò tantum per accidens, & supposita passione mali. Patet verò, naturalius esse, quod conuenit per se, quàm quod per accidens, & ex suppositione tantum. Ergo expositio iræ per retributionem mali non est legitima.

Art. 1. Respondetur. Ira definitur à Philos. lib. 2. Rhet. cap. 2. *appetitus ultionis cum dolore, propter apparentem immeritò vel in se, vel in suos contemptum.* Ex quibus patet passionem iræ esse aliquo modo participem reliquarum ferè omnium passionum, tanquam effectum, ex earum confluxu redundantem, idèque habere in ratione effectus quandam vniuersalitatē intra suum genus, virtualiter scilicet, & participatiuè, vt aduertit D. Thomas quæst. 46. art. 1. Ad eum vsque modum, quo amor habet vniuersalitatē in ratione causæ efficientis, & delectatio in genere causæ finalis. Quia sicut amor est principium, & radix, vnde procedunt reliquæ omnes appetitiones, tanquam adaptans appetitum ad illas, atque delectatio est veluti centrum, ad quod tendit appetitus per omnes alios suos actus, ita ad iram pari ferè cum vniuersalitate concurrunt dispositiue, & efficienter reliquæ passiones. Necessarius namque est imprimis ad iram influxus amoris, quatenùs ira dicitur appetitus quidam specialis. Requiritur itidem causalitas desiderij, quatenùs ira est appetitus ultionis, idèst boni nondum habiti, atque futuri. Quia verò ultio dicitur appeti per iram cum dolore, apparet concurrere præterea tristitiam de malo præferti, cuius compensatio, &

redintegratio quaeritur per ultionem. Id, quod expressius manifestatur per subsecuentes illas particulas definitionis; *propter apparentem immeritò vel in se, vel in suos contemptum.* Hæc enim apparentia præuia mali, vsque aded pungentis ex sua natura, necessariò parit tristitiam, quæ deinde stimulet ad affectum iræ propulsatiuum eiusdem mali. Quia verò nemo mouetur ad impossibile, necesse præterea est, vt iram præcedat spes ultionis, vt dicit Philos. sub initium illius cap. 2. Quia de causa si is, qui læsit, sit valde excellens comparatione patientis, non sequitur ira in ipso patiente, sed sola tristitia propter defectum spei circa ultionem, vt concludit D. Thomas loco indicato ex Auicenna. Dictum porò est superiùs spem ex sua natura esse coniunctam cum delectatione aliqua; vnde delectatio etiam concurret specialiter ad iram. Quo pertinet pronerbiū iam olim vulgare, cuius meminit Philosophus eodem in loco; Quod nimirum *ira multò dulcior melle dissillante in pectoribus virorum gliscit.* Ex his itaque patet, iram esse vniuersaliter participem reliquarum passionum, tanquam effectum ex illis omnibus resultantem.

Art. 2. Maximè tamen omnium participat rationem odij, & audaciæ. Odij quidem, quia continet in se auersionem ab eo, de quo intendit sumere vindictam, ac proindè fertur ad duplicem rationem mali, sicut odium, vt obseruat D. Thomas dicta quæst. 46. art. 6. Auertitur enim iratus ab eo, qui se læsit, tanquam à malo, respectu sui, eidemque intendit inferre malum, per cuius illationem ultio perficitur. Quo eodem modo dictum est supra, intendi malum malo per affectum odij. Commune similiter est iræ cum audaciā, non solum quod vtrique requirit in suo obiecto difficultatem, & arduitatem aliquam, cum citra ea quæ sunt leuia, & facilia, non concitetur ira, vt aduertit Philos. lib. 2. Rhet. cap. 2. & ex eo D. Thomas 46. art. 3. quod est commune omnibus passionibus irascibilis; sed etiam quod ira respicit malum sibi illatum, tanquam repellendum per operationem propriam, vel physicè, vel saltem moraliter, eamque arduam aliquatenus, ac difficilem, sicut dictum est superiùs de audaciā. Vnde necesse est vt iram præcedat affectus audaciæ superatiuus mali terribilis, aut quasi terribilis. Nec enim fieri poterit, vt irascatur, qui timet lædentem. Quia, subsidente animo per timorem, fieri non poterit, vt erigatur ad affectum regerendi ultionem. Differt nihilominus ira ab vtroque eo affectu.

Art. 3. Differt verò maximè ab odio quinque de causis. Primò, quia ira intendit compensationem mali, quod passus est iratus. Odium verò præscindit à compensatione, & tendit ad interitum, & exclusionem mali, quod inest alteri, siquidem sit odium abominationis; ipsius verò odio habiti, si sit odium inimicitiae; iuxta dicta superiùs de vtroque odio. Secundò consequenter ira respicit malum alteri inferendum tanquam ablatiuum mali, quod inest irato, cum impetus odij nihil curet de ablatione, seu quasi ablatione eius mali, sed de sola illatione mali secundum se, atque de destructione rei, seu personæ odio habitæ. Differunt terciò per obseruatam iam rationem ardui, ac difficilis, quæ requiritur in obiecto iræ, & non requiritur in obiecto odij. Quarta differentia notabilis est, quia ira ex suo conceptu fertur determinatè ad aliquod, vel aliqua indiuidua; cum odium ad speciem etiam, & genus aliquod totum ferri possit. Nempe, vt dicit Philos. prædicto cap. 2. *Ira semper in singulos, vt Socratem, Galliam. Odium verò etiam in genere. Omnes namque calumniantem, & furem oderunt.* Ratio est, quia ira mouetur

monetur ex actione laesiva irati, & fertur ad laedendum, quatenus est auctor eius actionis. Actiones autem sunt singulorum, & notantur ad vindictam illi determinate, qui laesere. At motuum odij est qualitas displicens quatenus afficiens subiectum odio habitum, ac proinde odians fertur indiscriminatim ad quosvis affectus eiusmodi qualitate, nec obseruat, ex suo conceptu vniuersali, quibus determinate indiuiduis illa insit. Postrema differentia, eademque radix, & causa reliqua dissimilitudinis est, quia ira praefigit sibi certos, ac determinatos limites mali inferendi alteri. At odium defauit absque vlllo limite vsque ad exterminium odio habitum. Quia ira tendit ad compensationem mali, quod passus est iratus, & cum eo perueniret, cessat. Odium vero intendit illationem mali secundum se, utque malus male habeat. Qua de causa D. Thom. q. illa 46. art. 6. docet cum Philosopho, & Augustino affectum odij esse absolute grauiores, ac nocentiores, quam affectum irae. Quia odians fertur ad malum secundum se, sicut auarus ad diuitias, ideoque neuter vnquam satiatur. Quia quae appetuntur secundum se, appetuntur sine vlla mensura, & limite, ut dicit Philosophus circa auarum lib. 1. Polit. cap. 6. Per hanc differentiam verificatur quod dicit idem Philosophus praedicto lib. 2. Rhet. c. 4. sub finem. *Iratus, si fiant multa, miserebitur: odians autem, pro nullis.* Quae secunda pars exprimitur, Eccl. 12. 16. *Inimicus, si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine.* Satiatur autem iratus, cum peruenit ad aequalitatem.

Art. 4. Iam discrimen irae ab audacia ex iis ipsis apparet satis, quia nimirum audacia non praesupponit ex suo conceptu malum illatum ipsi audaci, ut dictum est, praesupponi ab ira. Consequenter audacia non intendit bonum compensationis, & retributionem mali prius illati, prout intendit ira. Denique audacia respicit terribilitatem proprie talem, cum ira dari possit seclusa terribilitate proprie tali, cumque sola aliqua imitatione eius, ut apparebit magis ex quaestione sequenti.

Art. 5. Ex his omnibus deprehenduntur tria quaedam praecipua praedicata propria irae. Primum est vehementia, & efficacia eius supra omnes alios affectus. Quam huius affectus conditionem explicat optimè Cicero 4. Tuscul. *An est, ait, quidquam similis insania, quam ira. Quam bene Ennius initium dixit insaniae. Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum, atque factorum quam partem habent sanitatis?* Et rursus: *Quid est enim, quo non progreditur ira, quo furor? Iraque iratos proprie dicimus exiisse de potestate, id est de consilio, de ratione, de mente.* Tanta est huius affectus vehementia, iuxta illa Prouerb. 27. 4. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ferre quis poterit?* Ratio est quia omnes alij certe plerique alij affectus praecunt ante iram, eamque inducunt coniunctis viribus impetuosissimam, sicut multi fluij minores confluentes in vnum, decurrunt deinde impetu longe maximo, quia vires omnium colliguntur in vnum. Accedit humorem cholericum, qui disponit ad iram, esse maxime actiuum, maximè impetuosum, utpote igneum. Vnde ira, quoad impetum, & velocitatem, ac efficaciam superat odium, sicut & alios singulos quosvis affectus, licet omnibus consideratis odium sit grauius, magisque nociuum, ut aduertit D. Thom. in illo art. 6. praesertim ad 1. Alterum speciale praedicatum irae est, quod est imitativa iustitiae vindictivae, ut docet D. Thom. q. 46. art. 7. Quia ad iustitiam vindictivam pertinet inferre vindictam compensationem laesionis, sicut laedere innocentem pertinet ad iniustitiam. Conuenit igitur ira cum iustitia vindictiua, tum ex parte mali illati inique,

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

quod vtrique praesupponit, tum ex parte mali propterea retribuendi, quod vtrique similiter infert, Tertium denique praedicatum praecipuum irae est, quod hic affectus praeter ceteris omnibus pertinentibus ad appetitum sensitium, est quodammodo rationalis, & dependens à ratione, vel ab aestimatiua, qua haec est maxime affinis rationi, ut tradit D. Th. in eadem quaest. art. 4. cum Philosopho lib. 7. Ethic. cap. 6. Proprium nimirum rationis est, atque supra facultatem sensus, conferre vnum cum alio, atque alterum alteri commensurare. Dictum autem est obiectum irae adequatum confurgere ex malo, cui iam subest iratus, & ex eo, quod intendit inferre iniuriant, atque alterum alteri commensurare hunc affectum ad eum modum, quo iustitia inducit aequalitatem inter eiusmodi extrema. Confert praeterea cognitio directiua irae, vires irati cum viribus eius, cui irascimur, nec inducit affectum irae, nisi proponat excessum virtutis propriae supra alienam; ita ut insit spes victoriae, uti suppositum est ex Philosopho. Propter istas igitur tot, & tales comparationes, ira est praeter ceteris affectibus rationalis. Est tamen rationalis imperfectè: quia dirigitur ratione, non tanquam praecipiente, sed tanquam manifestante iniuriam, eiusque compensabilitatem, & anteuolat perfectam directionem rationis, insurgitque ad opus vindictae antequam concludatur quantum, & quando, & qualiter expediat irasci, & exequi, uti aduertit optimè Philos. sect. 28. Problem. 3. & in illo cap. 6. lib. 7. Ethic.

Art. 6. Sunt nihilominus capacia irae animalia etiam bruta, nec non homo ante omnem actum rationis proprium. Quia licet potentia sensitua non possit comparare perfectè vnum cum alio, potest nihilominus apprehendere rationem bonitatis, & conuenientiae, quae reperitur in depressione laedentis, & in redemptione, seu quasi redemptione iniuriae, & laesionis. Ad eum utique modum, quo superius circa spem, & audaciam, atque timorem dictum est, sensum posse, licet imperfectè, apprehendere rationem futuri, & possibilis, & ardui. Vnde quod dicit Diuus Thomas in dicto art. 4. ad 1. animalia bruta concipere iram ex solo instinctu naturali indito ipsis per auctorem naturae, perque eius rationem, atque inde esse capacia imitandi affectibus suis motus interiores, & exteriores similes motibus rationis proprie, & strictè talis. Hoc inquam non ita accipiendum est, quasi voluerit D. Thomas iram brutorum esse inclinationem quandam purè naturalem, ac physicam, nec dependere vllatenus à praecognitione propria ipsius bruti quoad rationem differentialem vltimam talis seu inclinationis, seu affectus. Hoc enim est prorsus absurdum nec fieri potest, ut in eandem entitatem coeant ratio affectus intentionalis, & ratio inclinationis, ac determinationis purè naturalis, & physicae respectu eiusdem obiecti, eiusdemque operis. Certè Diuus Thomas agnoscit clarissimè rationem affectus intentionalis in ira, quam attribuit brutis, idque quoad rationem differentialem propriam ipsius, atque hoc ipsum confirmat ratio instinctus; quod dicit dirigi iram brutorum. Quia instinctus ex proprio conceptu consistit in cognitione, & sensatione, ideoque sunt expertia, prorsusque incapacia instinctus proprie talis inanimata, & insensibilia omnia. Intentio itaque D. Thomae, & legitima veritatis expressio est, Deum vi sapientiae suae dedisse brutis potentiam appetitiuam, quae cognitione imperfecta, & incapaci comparationis proprie talis, moueri posset ad actus & operationes exteriores similes iis, quibus exercetur homo per rationem perfectè comparatiuam obiectorum inuicem commensurabilium.

H

bilium. In hunc igitur modum ira est passio specialis retributiva mali.

Ad 1. Inductio ex aliis passionibus, quoad contrarietatem earum, nihil conuincit respectu iræ pro simili necessitate passionis ipsi contrariæ. Quia nulla alia passio est composita, seu quasi composita ex passionibus contrariis, nec inducitur per passionem inuicem contrarias, quantum dictum est de ira. Quæ autem coalescunt ex contrariis non habent ullum contrarium, ut obseruat D. Thomas quæst. 46. art. 1. ad 2. & confirmat exemplo colorum, qui dicuntur medij, quibus nullus color est contrarius, eademque est ratio de aqua tepida, deque aliis eiusmodi. Vnde ex hoc capite non concluditur necessitas passionis positivæ, quæ sit directè contraria iræ. Deinde nec ratio illa à priori conuincit. Quia quod sensibilia omnia possint adesse, & abesse, solum efficit affectum quoque iræ posse adesse, & abesse. An autem possit abesse per puram sui priuationem, an per affectum posituum contrarium, ex ea ratione constare minimè potest. An verò aliundè constet absolute, mansuetudinem esse passionem specialem positivè contrariam iræ, apparebit infra quæst. 41.

Ad 2. Constat ex dictis, iram constitui per confluxum plurium passionum, non formaliter, sed participatiuè tantum, & virtualiter, sicut alij effectus dependentes ex pluribus causis partialibus inuicem diuersis, eaque est intentio Philosophi in eo loco, uti expositum est superius ex professo.

Ad 3. Constat similiter ex nuper præmissis art. 6. adesse in brutis; nec non in homine, quæ sensitiuus præcisè est, cognitionem imperfectè comparatiuam, eamque sufficere ad affectum iræ imperfectum quidem, sed propriè talem. Sensus enim potest simultaneè percipere malum infligendum animali, & vim eiusdem ad infligendum lædenti æquale malum, nec non conuenientiam infligendi illud, atque ita repellendi proprium malum. Quod est opus præstandum per iram. Iam in verbis illis psalmi non est sermo de ira secundum se, sed de modo iræ pertinenti ad virtutem. Sub qua videlicet sola ratione potest ira pertinere ad consilium, vel præceptum.

Ad 4. Esto retributio mali sit purum bonum, præsupponit tamen essentialiter malum, cui, seu ratione cuius retribuitur, ideoque affectus retribuentis ferrur ad vtrumque indiuisum, ad alterum tanquam ad terminum à quo, ad alterum tanquam ad terminum ad quem, sicut etiam affectus medicantis & sanantis. Obiectum igitur iræ adæquatam est compositum ex contrariis ex hoc ipso, quod est affectus retributivus mali.

Ad 5. Quod regeratur malum lædenti, tam potest fieri per odium, quam per iram. Sed ira retribuit præcisè, nec vltra progreditur. Odium verò non præscribit sibi eos limites, uti expositum est superius art. 3.

Ad 6. Cum affectus indignationis, quo scriptor proicit pennam, piscator cauanam, & sic de similibus, sit ineptissimus manifestè, ac valde ridiculus, & de quo erubescere meritò possit, ac debeat, qui ita operatur, si reflectat, nec respondere quidquam possit, præterquam per stolidam aspirationem, interroganti, quid enim mali fecit? Cum, inquam, hoc ita habeat, clarissimè apparet, cognitionem directiuam talis indignationis esse valde distortam, atque omninò dissonantem naturæ rei, circa quam versatur. Apprehendit nimirum rem inanimatam ad modum inanimatæ, & sentientis, atque illudentis domino suo cum contemptu eius. Affectus autem sequuntur naturam rei, non qualis est in se, sed qua-

lis apparet in cognitione, siue sit ea propria, & iusta, siue impropria, ac deficiens, uti sæpius dictum est. Quæ itidem de causa solent mitescere & quiescere pueri pullato pariete, in quem impingere, tanquam reo læsionis, ob quam plorabant. Ineptitudo itaque eiusmodi indignationum solam probat ineptitudinem cognitionis prauæ, non verò defectum affectus intendentis retributionem mali, vnde August. lib. 14. de Ciu. c. 15. loquens de iracunda styli collisione, & fractione calami, concludit sic: *Verum & ista licet irrationabilior, tamen quadam vlciscendi libido est, & nescio quæ, ut ita dixerim, quasi umbra retributionis, ut qui mala faciunt, mala patiantur.*

Art. 2. Ad 7. Ira est aliquatenus naturalior quam concupiscentia, & aliquatenus est minus naturalis, uti exponit optimè D. Thom. in illo ipso loco. Est quidem naturalior concupiscentia, tum ex parte obiecti, ob rationem, quæ proponitur in obiectione; tum ex parte subiecti considerati secundum rationem suam genericam animalis, quatenus omne animal inclinatur per se ad bonum suæ conseruationis, quod pertinet ad concupiscentiam. Est autem è conuerso naturalior ira, quam concupiscentia, ex parte subiecti, respectu hominis considerati secundum suam rationem specificam, maximè verò si consideretur secundum indiuiduationem propriam iracundi. Verum hæc consideratio est bipartita, nempe & quoad complexionem temperamentis, quæ se tenet ex parte corporis, & quoad rationalitatem, quæ est propria animæ.

Art. 2. Complexio temperamenti conuenit homini secundum suam speciem æquilibrata, & absque excessu notabili alicuius ex primis, aut secundis qualitatibus. Quo differt homo à brutis. Quia singulæ species brutorum subsunt speciali excessui alicuius eiusmodi qualitatis, propterea quæ existit in illis prædominium dispositionis ad speciales passionem, ut in leone ad audaciam, in cane ad iram, in lepore ad timorem, & sic de reliquis. Hac igitur consideratione est naturalior speciei humane concupiscentia, quæ non requirit prædominium alicuius qualitatis, quam ira, quæ requirit, eaque de causa homo dicitur communiter animal mansuetum natura. At si eadem complexio consideretur in indiuiduo, naturalior est è conuerso ira respectu hominis naturaliter iracundi, quam concupiscentia respectu specialiter dispositi ad concupiscendum. Quia dispositio indiuidualis ad iram fundatur in præeminentia, & excessu complexionis cholericæ. Motus autem cholera est velocior, & fortior, quam motus proueniens à quolibet alio humore, quatenus humor cholericus est igneus, ideoque est facile, ac velociter mobilis, & maximè actiuus. Quapropter iracundus facilius ac vehementius mouetur ad iram, cæteris paribus, quam ad concupiscentiam, quia est ex sua complexione specialiter ad illam dispositus. Quæ eadem ratione dicit Philosoph. lib. 7. Ethic. cap. 6. Iram magis traduci à parentibus in filios, quam concupiscentiam.

Art. 3. Demum considerata specie hominis, quæ rationalis est, ira est ipsi naturalior, quam concupiscentia. Quia rationalitas pertinet ad naturam hominis. Dictum autem est, iram, secundum perfectam, & omninò completam rationem suam differentialem, esse cum ratione, concupiscentiam verò minimè. Est igitur naturalior homini, quæ rationalis est, ira, quam concupiscentia, atque ad hanc considerationem pertinet, quod dicit Philosophus lib. 4. Ethic. cap. 5. Humanus esse punire, quod pertinet ad iram, quam mansuetum esse. Quia verò in vnoquoque præeminet ratio specifica rationi genericæ,

generica, atque in hominem præminet similiter rationalitas, quæ est penes animam, complexionem, quæ est penes corpus; absolute dicitur cum Philosopho, & D. Thoma locis indicatis in obiectione, iram esse homini naturaliore, quam concupiscentiam.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrum causa iræ sit sola parui pensio, seu contemptus proprius, quatenus vindicabilis difficulter.

Videtur non esse. 1. Quia quælibet iniuria est causa iræ, dicente Damasc. libro 2. Fidei Orth. cap. 16. iniuriam passos, vel æstimantes pati, irasci propterea. Est autem multiplex iniuria, seu iniustitiæ genus præter parui pensio, & despectum, ut patet in latrocinio, aliisque eiusmodi. Ergo non sola parui pensio est causa iræ.

2. Animalia bruta sibi iniucem irascuntur, tum natura, ut canis feli, tum propter incommodum, seu obstaculum delectationis, & commodi, ut canes iniucem circa cibum promiscue oblatum, tum propter vulnus, quo maxime prouocantur ad iram omnia animalia, ut dicit Philosophus lib. 3. Ethic. cap. 8. Et tamen bruta sunt incapacia sentiendæ parui pensio, & contemptus, sicut & honoris æstimandi, ac cupiendi. Ergo causa iræ est vniuersalior parui pensio, & contemptu.

3. Oblivio amicorum, & consanguineorum, exultatio, & hilaritas quorumlibet aliorum in infortuniis propriis, prompta denunciatio euentus cuique improspere, quoduis denique impedimentum explendi desiderium sunt prouocatiua iræ, ut dicit, & cum pluribus aliis causis iræ connumerat Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 2. Omnia autem eiusmodi præscindunt à parui pensio, possuntque fieri indiscriminatum per contemptum, & sine contemptu, imo plerumque fiunt absque animo contemnendi. Ergo plura alia præter parui pensio, & contemptum sunt prouocatiua iræ.

4. Qui sunt minus expositi parui pensio, sunt magis expositi iræ, eamque, cæteris paribus concipiunt maiorem, quia quicumque excellunt in aliquo genere, sunt eatenus remotiores à contemptu, cum excellentia quælibet conferat magis ad venerationem, & honorationem. Excellentem autem sunt magis prouocati ad iram, & irascuntur vehementius cæteris paribus, dicente Philosopho lib. 2. Rhet. c. 9. *Homines propter excellentiam indignantur.* Ergo ira non est proportionata parui pensio, sicut necesse est, effectum proportionari suæ causæ.

5. Eo ratio contemptus est minor in parui pensio cuiusque, quo is maioribus subest defectibus, quibus vilescat, & minoris merito æstimari possit. Contingit autem indidem facilius accendi iram. Quia egentes & infirmi, & quicumque quomodolibet male habent, iisque carent, quæ concupiscunt, irascuntur facilius, & magis, ut tradit Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 2. Vnde similiter apparet, iram non esse proportionalem parui pensio, quoad magnitudinem suam, & facilitatem.

6. Magis prouocat ad iram amicus contemnens, quam inimicus, tamen dictum, aut factum contemptum sit idem, ideoque parui pensio sit æqualis, ut patet ex illo Psalmi 54. 13. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, id est contempsissem facile iram.* Ergo ira non est ex sola parui pensio

7. *Delectationes impediunt iram*, ut dicit Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 3. Non autem impediunt parui pensio, ut per se patet, cum proueniat ab aliis. Ergo ira aliunde etiam est, quam ex parui pensio, nempe ex quibuslibet impediuntibus delectationem.

8. In quolibet exurgit facile ira aduersus iniurias amicorum, aliorumque quorumlibet sibi specialiter deuinctorum. Similiter contingit facile, & vehementer irasci aduersus eos, qui despiciunt artem, aut alia quælibet, ad quæ quisque maxime afficitur, quæque magni facit, ut obseruat Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 2. Ergo non solus contemptus cuiusque proprius est causa iræ.

9. Sæpe Domini irascuntur in seruos, nec non parentes in filios paruulos; cum tamen vtrisque sit facillima vindicta, seu punitio. Ergo non est de conceptu iræ, ut vindicta, quam intendit, sit difficilis, & ardua.

10. Non potest dari differentia ex parte effectus absque differentia ex parte causæ. Tres autem assignantur differentie iræ à Damasceno lib. 2. Orth. Fidei, à Gregorio Nyss. seu Nemefio lib. 4. Phil. cap. 13. & à Diuo Thoma quæst. 46. art. 8. aliisque communiter; nempe fel, mania, & furor, id est ira velox, ira diuturna, & ira impetuosa. Contingit vero tres istas differentias iræ existere in diuersis propter eundem parui pensio modum, ut experientia docet, & supponit Philosophus lib. 4. Ethic. cap. 5. Ergo non est causa, saltem adæquata, iræ sola parui pensio.

Art. 1. Respondetur. Causa iræ ex parte subiecti sunt passiones omnes aliæ, ex quarum influxu, & motione, dictum est superius, illam prouenire. Vnde cæteris paribus magis irascitur, qui magis tristatur de nocimento sibi illato, qui magis amat, & concupiscit bonum oppositum, qui magis sperat retributionem iniuriæ, qui magis audet configere cum iniuriante. Consequenter temperamentum naturale conferens directe ad eiusmodi passiones, confert eo ipso indirecte ad affectum iræ: Confert vero directe ad eundem humor cholericus ex consensu omnium, quia est igneus, ideoque iuuat ad ignitam, ac impetuosam actiuitatem iræ. Verum specificatio iræ non prouenit ex his. Quaritur vero præcipue causa iræ quoad rationem eius specificam, ac differentialem, & ex qua conceptus eius specificus desumitur. Quæ causa se tenet ex parte obiecti. Ex cuius videlicet specie, propriaque differentia prouenit omnis specifica differentia affectuum, vti positum est superius in communi.

Art. 2. Circa obiectum porro iræ duo sunt manifesta. Alterum est, affectum iræ concipi non posse absque apprehensione alicuius nocimenti illati, aut intentati irascenti. Nemo enim irascitur, dum nemo sibi nocet, aut intendit nocere, aut contradicere suæ voluntati. Alterum est, non omne nocimentum esse causatiuum iræ, sed solum, quod est iniustum, aut apparet tale. Quia ut dicit Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 3. Non fit ira ad iustum, nec irascuntur homines, cum putauerint se iuste passos esse. Omnis autem iniustitia continet in se aliquam parui pensio iniquam eius, qui illam patitur. Quicumque enim infert iniuriam alteri, præfert se illi circa rem suam ipsius, hoc est præfert se alteri circa rem, in qua idem alter excelsit re ipsa. Quia rem esse alicuius conuertitur cum excessu, & præminetia eius supra omnes alios circa eandem rem, ut dictum est quæst. 2. de Iustitia. Manifestum autem est iniquè parui pendere, qui posthabetur in eo, in quo excelsit. Contingit verò dupliciter, ut

H 2 quis

quis despiciatur, ac paruipendatur. Primo indirecte, ac materialiter. Quando nimirum, qui paruipendit: commodum precipue intendit suum, quatenus distinctum ab incommodo, ac displicentia alterius, quem lædit, quæsiturus idem, tametsi nihil alteri noceret, aut etiam libentius quæsiturus absque læsione alterius; ut qui furatur, quia indiget pecuniis, veste, aut cibo. Secundo despicitur quis directe, quando nocumentum illi infertur iniuste ex intentione nocendi ipsi, & absque alio emolumento nocentis, ut cum is comburit segetes alterius, aut impingit illi alapam, eidemque conuiuiatur. In huiusmodi namque iniustitia intenditur, directe depressio patientis, atque in eius vilificatione bonum, voluptatemque suam constituit, qui lædit, non facturus idem, nisi displiceret patienti, isque inde redderetur vilior, & minoris æstimationis. Ira autem est maior aduersus despectum, & paruipensionem directam, quàm aduersus indirectam. Quia ut dicit Philof. lib. 2. Rhet. cap. 3. *his, qui propter iram aliquid fecerunt, aut non irascimur, aut minus irascimur. Non enim propter paruipensionem videntur egisse*: idemque dicit de læsione, tum ex ignorantia, tum ex alia quauis passione præterquam directe prælatiua sui respectu alterius. Consequenter, lib. 5. Ethic. cap. 5. addit, maximè vnumquemque irasci contra illos, quos putat ex industria sibi nocuisse. Indidem prouenit maiorem esse iram aduersus eos, qui coram, quàm qui clam, & in absentia nocent in diuitiis, aut honore, cum odium è conuerso aduersus clancularios sit maius. Patet igitur obiectum iræ esse læsionem iniustam, quatenus continet in se paruipensionem, & despectum; ita ut magnitudine motionis ad iram mensuretur, non tam magnitudine nocumenti iniusti, quàm magnitudine paruipensionis & despectus; cuius patiens non est dignus.

Art. 3. Ea itaque omnia augent iram, quæ augent paruipensionem, & contemptum. Augent autem contemptum vilitas contemnentis, & dignitas, ac excellentia eius, qui contemnitur, idque circa materiam propriam contemptus. Vnde præeinentes iurisdictione, diuites, fortes, ingeniosi, præstantes in scientia, vel arte, tunc maximè irascuntur, cum despiciuntur in iis ipsis, in quibus eminent, nisi tanta sit excellentia, & usque adeo apud omnes manifesta, ut nihil videatur nocuisse despectus. Similiter crescit ira ex opposita despicientis conditione. Ratio est, quia quo quis excellit magis, eo patitur maiorem iacturam honoris & existimationis, dum deprimitur ad aliquem usque determinatum gradum. Et similiter est maior iactura patientis, quo est inferior conditio lædentis. Quia qui paruipendit, eatenus postponit sibi paruipensum. Patet autem eo esse maiorem demissionem, ac depressionem, quo is subitus quem detraditur, est in humiliiori loco constitutus. Quod tamen est intelligendum de vilitate despicientis, quæ antecedit despectum, adeoque iam informat tanquam principium, & causa eius. Humiliatio namque, atque vilificatio iniuriantis, maxime si voluntaria sit, minuit iram, iuxta illud Prouerb. 15. 1. *Responsio mollis frangit iram.* Eademque de causa dicit Philosophus ubi supra, minorem esse iram dominorum aduersus seruos, qui læsere, & pœnitent, agnoscunt culpam, & silenter, nec ægre ferunt oburgationem. Quia eatenus ostendunt se magnificare Dominos, eisdemque se submittunt tanquam indignos. Eadem est proportionaliter ratio de rustico, aut insipiente despiciente nobilem, vel sapientem, ac deinde humiliat, & pœnitente, & sic de reliquis. Nempe sicut vilitas antecedens actum despiciendi auget despectum, & consequenter iram; ita humi-

liatio, & pœnitentia subsequens auget honorationem despecti prius, & consequenter minuit, aut extinguit iram, prout contigerit, tantundem honorationis reponi, quantus fuerat despectus, & ex eo iactura honoris, aut eò propinquius, vel remotius accedere humiliationem subsequenter. In hunc igitur modum crescit, ac decrescit ira ex parte obiecti quod est causa eius.

Art. 4. Requiritur autem ad inducendum affectum iræ, ut paruipensio appareat vindicabilis à patiente ipso, idque cum aliqua arduitate, ac difficultate. Quia si vindicta, id est compensatio paruipensionis, quoad vim læsionem paruipensi, appareat impossibilis, hoc est superans vires ipsius paruipensi, non exurgit ira, sed mansuetudo coniuncta cum tristitia. Quia nemo intendit, quod videtur impossibile sibi, suasque vires excedens. Intendit autem ira vindictam, & compensationem, tanquam executioni mandandam ab ipso irato. Inquam verò ab ipso irato, ipsoque paruipenso. Quia ira tendit ad hoc, ut reponat excessum irati supra iniuriantem, loco excessus intenti ab iniuriante supra iratum, ac paruipensum; ita ut modus reparationis correspondeat, iuste modo paruipensionis. Quia alioquin non apparet facta compensatio, nec videtur paruipensus emergere totaliter à vilitate contracta, quidquid aliunde fiat ad depressionem iniuriantis. Quia is nihilominus manet comparatiuè superior, dum non deprimitur ab illo ipso, quem depressit, & sicut depressit. Hæc causa est, ob quam duellatores nullis vnquam legibus comprimi potuerunt, nullisque quiescunt suppliciis eorum, per quos paruipensi fuere. Quia videlicet quidquid fecerit Magistratus, semper manet integer excessus comparatiuus iniuriantis, ut iniuriantis, dum is non deprimitur ab illo ipso qui paruipensus est, ideoque nulla aliunde humana compensatione, aut ratione quiescere potest, sed sola ad Deum submissione per virtutem, iuxta illud ad Rom. 12. 19. *Mihi vindicta; ego retribuam.* Quod dictum denique est de arduitate vindictæ, est commune obiecto iræ cum obiectis aliarum passionum pertinentium ad partem irascibilem, ut dictum est sapienter ex Philosopho, ac D. Thoma. Quia facultas irascibilis inseruit concupiscibili ad victoriam difficultatum, quæ obstant bono concupito, ac delectabili, atque ubi deest arduitas, ac difficultas, sufficit simplex affectus concupiscentiæ. Quare obiectum causatum iræ est compositum ex bono vindictæ, ac victoriæ, & ex duplici malo, altero paruipensionis, quæ præcessit, altero difficultatis perueniendi ad compensationem illius per depressionem proportionaliter æqualem paruipendentis. Constat igitur ex his motuum, & causam specificatiuam iræ esse solam paruipensionem, & despectum proprium irascentis, quatenus vindicabilem ab eodem, cum arduitate, & difficultate aliqua, modo, & sensu hucusque explicato quoad singula.

Ad 1. Sententia illa Damasceni, quod quælibet iniustitia sit prouocatiua iræ, est verissima. Sed ostensum est iam supra art. 2. quæ ratione quælibet iniustitia contineat in se aliquam paruipensionem eius, aduersus quem committitur. Quia tamen in plerisque iniustitiis ratio paruipensionis se habet materialiter, nec intenditur directe, propterea plerumque ex illis subsequitur parua ira, quando abest formalis despectus modo inibi explicato.

Ad 2. Animalia bruta tametsi honorem formaliter apprehendere non possint, nec despectum, amant tamen excellere, & ægre ferunt, quod deiiciantur indignè ab excellentiæ gradu, qui apparet conueniens respectu cuiusque, ideoque irascuntur aduersus

aduersus depressoem sui, vt dicit D. Thom. q. 47. art. 2. ad 2. Vt mirum profecto sit, D. Thomam simul cum Philosopho contemni, ac reiici, quoad hanc partem doctrinæ, à quodam moderno propter istud tantummodo argumentum petiit ex triuo, quin quidquam opposuerit responsioni D. Thomæ, quæ est vsque adeo manifesta. Quod est signum clarum, impugnatum ab eo fuisse D. Thomam, quin eum legeret, nec consideraret eiusdem, aut Philosophi contextum. Quod etiam alias in eo auctore notare liceret.

Ad 3. Oblitio in primis amicorum, & consanguineorum reputatur iniuriosa, quatenus opposita memoria eorum censetur debita, ideoque ea oblitio participat rationem paruipensionis iuxta prænotata de iniustitia, & quasi iniustitia in genere. Deinde eadem oblitio est præterea signum speciale paruipensionis, ad quam plerumque consequitur. Quia difficulter obliuiscimur eorum, quos magnifacimus. Similiter est indicatiua despectus exultatio hilaris in infortunio alterius, idemque dicitur de denunciatione infortuniorum. Quia nihil horum fit, aut fit difficulter circa eos, quos plurimum reueremur. In illis igitur omnibus, & inque aliis similibus, aut præsupponitur, & indicatur, aut etiam exercetur despectus, tametsi aliquando non intendatur directe. Nec enim ad iram requiritur formalis intentio despiciendi. Sufficit enim noluisse vitare despectum, & animaduertisse actioni exercitæ circa aliquem inesse re ipsa despicientiam eius, nec pensi id habuisse.

Ad 4. Illa ratio probat excellentibus rariis occurrere occasiones iræ, quia rariis paruipenduntur. At quando accidit paruipensio eorum, ira est maior. Quia cæteris paribus iactura honoris, & depressio excellentiæ est maior, ac indignior, vt dictum est supra.

Ad 5. Quod viles, & malè habentes faciliè irascantur, non provenit ex magnitudine motionis ad iram, conuenientis despectui eorum, sed ex dispositione subiecti, seu physica penes temperamentum corporis, seu intentionali per affectum tristitia, cui subsumunt, & quam dictum est disponere specialiter ad iram. Deinde qui iniquiori subsumunt fortunæ facilius apprehendunt exprobrari illam sibi, seque proinde contemni directe, sibi que contradicere ex contemptu formali. Quod dictum est valere plurimum ad iram ex parte obiecti sui. Atque in istas duas causas reuocat ibi Philosophus iram facilem, & nonnunquam acrem viliam, ac debilem.

Ad 6. Eo maior est iniuria quæuis, quo magis contradicere rationi debiti. Maior autem est obligatio amici ad honorandum amicum, quam aliorum, cæteris paribus. Vnde eadem actio materialis iniuriatiua, aut paruipensiuæ magis prouocat ad iram aduersus amicum autorem eius, quam aduersus non amicum, idque exprimitur in illis verbis à Psalmista.

Ad 7. Delectatio impedit iram, sicut dictum est eandem foueri tristitia. Nempe quia delectatio quolibet impedit aliquantulum tristitiam, sensumque doloris, vti superius dictum est in loco, ideoque valet impedire iram ex parte subiecti. Quod nihil probat aduersus assertam rationem obiecti iræ.

Ad 8. Amor est vnitiuus, vt dictum est supra quæst. 9. Vnde iniuria illata personis dilectis causat iram iuxta gradum dilectionis. Quia iniuria illis irrogata, & paruipensio inclusa in iniuria æstimatur tanquam propria. Et similiter despectus artis, cui quis est deditus, & quam magnificat, reputatur

tanquam nocumentum redundans in ipsum professorem artis, eiusdemque æstimatorem, & sic de similibus ab vnoquoque vel concupitis, vel magni habitis.

Ad 9. Facilitas pulsandi, ac verberandi fertios, aut filios, aut alios debiles despectores opponitur arduitati, quæ est propria operi audacis, ideoque iræ aduersus eiusmodi paruipensores deest formalis ratio audaciæ, quæ reperitur in ira aduersus validos, quorum impugnatio est difficilis, ac periculosa. Cæterum non semper est facile compensare æqualiter iniuriam irrogatam à seruo, aut filio, aut quouis alio, qui resistere non possit. Quia contingit eosdem nihilominus esse pertinaces, ac sæpè reciduos in offensione, ac paruipensione, siue directa, siue indirecta suorum maiorum. Vnde est difficile talem inducere vindictam, quæ iniuriis, ac paruipensionibus finem imponat, spemque faciat vindicanti de sua imposterum indemnitate quoad decus, & reuerentiam sibi debitam. Qua de causa poenitentibus, ac ostendentibus bonam animi dispositionem, firmamque in futurum, facilius ignoscitur. Imò nullus insurgit iræ impetus, si poenitentia, & humiliatio appareat æqualis, atque omnino proportionata magnitudini iniuriæ, & priori pronitati ad iniuriandum, vt aduertit Philosophus c. illo 3 lib. 2. Rhet. Eiusmodi igitur est arduitas, & difficultas, quam vniuersaliter respiciunt omnes actus iræ, cum non nisi aliqui eorum ferantur ad arduitatem periculofam.

Ad 10. Diuisio illa iræ coincidit cum ira acuta, amara, ac difficili. Vnde Philosophus cap. illo 5: iracundos, alios dicit acutos, alios amaros, alios difficiles; estque diuisio purè materialis non diuersificans speciem iræ, sed solam sequens differentiam eius accidentalem ex parte subiecti. Ira enim dicitur acuta, & iracundus acutus, ex abundantia humoris cholericis, qui quia est igneus facit, vt faciliè, ac citissime accendatur ira, vtque eadem sit manifesta. Dicitur verò amara, propter memoriam paruipensionis diu, ac pertinaciter inhaerentem animo, propterea que propagatiua iræ ad multum tempus, nullis, ac paruus interim existentibus indicibus eius, quousque tempus opportunum vindictæ superueniat. Quod provenit ex prædominio complexionis terrea. Vnde non contingit eosdem esse acutos simul, & amaros, quia abundantia humoris ignei, quæ confert ad velocitatem iræ, & ad subitam, ac efficacem operationem eius, simul est impeditiua diuturnæ memoriæ. Quia videlicet mobilitas illi agnata circumagit plurimum spiritus vitales, eorundemque inducit transpirationem copiosam, & vtroque modo impedit permanentiam vniuersalem specierum impressarum, & phantasmatum per longum tempus, vt non possit vigere diu memoria paruipensionis præteritæ. Ira demum difficilis dicitur ex intentione magna, qua concupiscitur vindicta, & ratione cuius nequit vilo pacto quiescere, aut ad alia diuertere, qui passus est iniuriam. Pater igitur eiusmodi diuisionem iræ nihil facere pro necessitate vllius differentia ex parte causæ obiectiua, cum tota sit materialis, & ex parte subiecti; atque hæc est expositio D. Thomæ in eo loco:

QVÆSTIO XL.

Vtrum ira sit causa delectationis?

Videtur non esse. 1. Quia ira est cum tristitia, ac dolore, vt patet ex definitione Philosophi superius præmissa, & ex his eiusdem verbis lib. 7. Ethic.

Ethic. cap. 6. *Omnis, qui facit aliquid propter iram, facit tristatus.* Opposita autem non sunt simul, nec tristitia potest esse inductiua delectationis. Ergo ira non est causa delectationis.

2. Tunc tandem delectatur iratus quando vindicta est iam perfecta. Tunc autem cessat ira. Ergo ira numquam coniungitur cum delectatione; cum tamen necesse sit causam cuiusque effectus esse coniungibilem cum ipso.

3. Ira impeditur per delectationes, ut dictum est superius ex Philosopho cap. illo 3. lib. 2. Rhet. Nulla autem causa impeditur per suum effectum. Ergo.

4. Delectatio est quietatiua animalis, sicut tristitia est perturbatiua eiusdem, ut dictum est superius circa utramque quaest. 17. & 21. Ira autem inquietum est contra maximopere reddit animal. Quia inducit feruorem sanguinis circa cor, ut tradit ex Damasceno D. Thomas quaest. 48. art. 2. Vnde & palitationem cordis, & corporis tremorem ulterius inducit, ut tradit Gregor. Mag. lib. 5. Moral. cap. 31. Impossibile autem est, ut in eundem affectum concurrant simul vires inductiuae effectuum usque adeo inuicem oppositorum. Impossibile igitur est iram esse delectatiuam.

5. Per delectationem disponitur optimè animal ad operationes sibi conuenientes, ut dictum est supra quaest. 19. Ira autem est conuerso impedit operationes usque adeo, ut iratus, praesertim si ira sit magna, ac valde vehemens, ne quidem mouere linguam possit, ut dicit Gregorius ibidem, & confirmatur ex tremore irati proprio, ut nuper notatum est. Tremens enim nihil exequitur bene. Non est igitur ira coniuncta cum delectatione, sed est eidem prorsus contraria.

Art. 1. Respondetur. Dictum est, iram ex multiplici passione prouenire, esseque proinde intrinsecè participem plurium passionum. Qua de causa dicit Philosophus lib. 4. Ethic. cap. 5. sub initium, *iram esse effectum, quem qua efficiunt sunt multae, & diuersae.* Hinc prouenit, effectus irae, quoad transmutationem corporalem, & formalem animi dispositionem, non esse semper vniformes, sicut in aliis passionibus, sed valde inter se diuersos, prout contigerit, participationem huius, vel illius passionis in ipsa praeminere supra participationem rationum formalium specialiter pertinentium ad passiones alias. Aliquando enim praeminet ratio tristitiae propter maiorem apparentiam iniuriæ irrogatae, quam vindictae irrogandae. Aliquando praeminet ratio spei propter magnam apparentiam futurationis vindictae, sufficientis perfectè ad obruendam iacturam paruipensionis. Aliquando praeminet ratio audaciae propter rationem proportionalem similem, & sic de aliis eiusmodi. In hunc igitur modum necesse est esse multipliciter varios effectus irae, propter multiplicem diuersitatem ipsius, tum ex parte subiecti, tum ex parte obiecti.

Art. 2. Vniuersaliter tamen inest ira delectatio, ut liquet ex prouerbio Philosophi superius indicato, quod ira gliscat in pectoribus virorum multo dulcior melle distillante. Vis ista delectandi inest principaliter irae, quatenus subuenit, veluti medicina, & remedium efficax, dolori, qui ex sua natura est maximus. Subuenit enim dolori de iactura excellentiae, cuius amor est maximus in omnibus. Quia ex aliis omnibus nostris bonis aliquam excellentiam quaerimus, ut dicit Philos. lib. 2. Rhet. cap. 2. ideoque excellentia est veluti apex, & medulla reliquorum omnium bonorum, atque haec sunt veluti cortex illius, & fulcrum. Summus igitur amor est circa excellentiam, & consequenter dolor subsequens ad eius iacturam est pariter sum-

mus. Quod autem medetur summo dolori non potest non esse valde delectatiuum. Ergo ira ex suo conceptu vniuersali est valde delectatiua, atque illa ipsa, quae nuper dicta est amara, est talis, non respectu sui subiecti, sed solum relatiuè ad eos, aduersus quos insurgit.

Art. 3. Haec nihilominus delectatio est imperfecta, dum perseverat affectus irae; completur verò, ac perficitur, quando cessat operatio irae, ipsaque ira definit propter vindictam iam totaliter executioni mandatam. Quia videlicet eo usque perseverat malum paruipensionis, eiusque realis praesentia, coniuncta cum defectu compensationis, ingerit molestiam, ac dolorem, quo minuitur, ac debilitatur delectatio ex vindicta intentionaliter tantum interim praesenti, nempe in cognitione eius, & spe, ac intentione. At peracta vindicta, & cessante proinde ira, succedit delectatio perfecta, eaque magna ex genere suo, propter exclusionem mali summè doloriferi, ut dictum est. Itaque delectatio magna, sed imperfecta est comes irae, eidemque inest partim intrinsecè, partim concomitanter; perfecta verò subsequitur ad ipsam, tanquam ad causam suam mediatam, ac dispositiuam. Reliqui effectus irae, conuenientes ipsi iuxta gradum participationis aliarum passionum, ut praenotatum est, non indigent peculiari expositione, quia facileprehenduntur ex dictis superius circa singulas alias passiones, debentque applicari irae proportionem seruata.

Ad 1. Illa ratio probat delectationem coniunctam cum ira non esse perfectam, ut concessum, ac expositum modo est. Ceterum praeualeat delectatio dolori, saltem ut plurimum, in pectore irati. Quia praeualeat spes vindictae, ideoque consideratur malum praexistens, tanquam protinus repellendum, ac desitutum, ideoque iratus gaudet, sicut agrotus in fine accessionis, seu prope finem existens. Non autem repugnat, delectationem imperfectam, ac praevalentem coexistere tristitiae eidem imperfectae, ac iam remittenti, & properanti ad desitionem.

Hinc etiam patet ad 2. & 3. Quia utrumque procedit, & verificatur de sola delectatione completa, quae est post iram, tanquam post causam suam mediatam, & simul cum vindicta, tanquam cum causa sua immediata.

Ad 4. Delectatio imperfecta quietat imperfectè, & inchoatiuè tantum. Quapropter cum delectatio coexistens irae sit imperfecta, quietat interim imperfectè tantum, & minuit perturbationem, quae futura esset, existente pura tristitia absque spe, & intentione vindictae. Quod autem est reliquum de tristitia, est coniunctum in affectu irae cum participatione audaciae, ut dictum est supra, ideoque reuocat sanguinem ad cor, sub primum impetum, ac deinde eundem refundit auctum calore, & vigore ex corde, in partes exteriores, sicut dictum est de audacia, nisi quod, propter praedominium humoris cholericus in ira, existit maior, ac violentior motus sanguinis in irato, quam in audaci. Vnde est palpitatio, & tremor in illo maior. Varietas igitur, & contrarietas successiua transmutationum in irato existit, modo dicto, ex multiplici compositione virtuali ipsius irae.

Ad 5. Ineptitudo irati ad operationes exteriores consequitur ad iram, quando in ipsa praeualeat multum ratio tristitiae, aut timoris, & quando appetitus vindictae in eadem est nimium vehemens. Ex priori enim capite praevalentis tristitiae, aut doloris resultat transmutatio affinis transmutationi propriae utriusque eius passionis, quam dictum est esse impeditiuam operationum, quaest. 26. & 27.

Ex

Ex posteriori autem capite vindictæ nimis vehementer concupitæ exundant spiritus vitales, totusque sanguis in partes superiores in tanta copia, & usque adeo inordinate, ut non solum tollatur potestas perfecta deliberandi per rationem, sicut in ebriis, sed etiam impediuntur membra corporis, & inter alia etiam lingua, quominus moueantur, atque operentur conuenienter. Cæterum sublati his excessibus ira moderata, aut non extremè immoderata, est maximæ, ac vehementis actiuitatis propter rationes superius propositas.

Q V Æ S T I O X L I.

Vtrum mansuetudo sit passio contraria iræ.

Videretur non esse passio, sed pura priuatio passionis iræ. 1. Quia nullum obiectum est specialiter contrarium obiecto iræ, quod possit esse motuum mansuetudinis. Malo enim præfenti, quod est obiectum iræ, solum opponitur bonum præfens, aut possessum, quod non est obiectum mansuetudinis, sed delectationis. Repugnat autem specialis passio absque obiecto speciali, ut patet ex quæst. 2. Ergo mansuetudo non est specialis passio.

2. Apparente malo difficili iam iniacente, ac præfente, quod dictum, est, esse obiectum iræ, necesse est, appetitum; vel succumbere malo, & hoc sit per tristitiam vel inuadere, velque expugnare causam læsuam, & hoc pertinet ad iram. Neque enim est vllum medium inter hæc extrema, quia est impossibile appetitui, ut velit fugere tale malum, siquidem ponitur iam adesse, ac inesse. Ergo nullus posituius motus appetitus est contrarius directè, ac formaliter motui iræ, vel secundum accessum, & recessum, ut patet ex hac ratione, vel secundum prosecutionem, & fugam ut patet ex ratione præcedenti. Accedit his rationibus auctoritas D. Thomæ, qui illis vtitur coniunctim pro hac parte, quæst. 23. art. 3.

3. Stoliditas est pura priuatio. Ergo & mansuetudo. Patet consequentia, quia effectus non potest esse in plus, quam causa. Stoliditas autem est vnica causa mansuetudinis in appetitu sensitivo secundum se dicente Philos. lib. 4. Ethic. cap. 5. sub initium: *Qui, & ob qua oportet, & sicut oportet, & quando, & in quos oportet, non irascuntur, hi profecto esse stolidi videntur.* Et probat immediatè: *Qui enim non irascitur, neque videtur sentire, neque dolore affici, neque esse idoneus ad vltiscendum.* Quæ omnia sunt præ priuatiua.

4. Colores medij nullum habent contrarium præter extrema, ex quorum mixtione coalescunt, ut dicit in hanc ipsam rem D. Thomas quæst. 46. art. 1. ad 2. eademque est ratio de tepido, deque alijs qualitatibus perfectæ medietatis. Ira autem est passio composita, seu quasi composita ex passionibus inuicem contrariis, ut dictum est quæst. 38. Ergo ira nullam habet passionem specialiter sibi contrariam.

Respondetur. Eadem, credo ratione visum est D. Thomæ, ac deinde alijs mansuetudinem esse puram priuationem in appetitu sensitivo, qua nonnullis alijs ante D. Thomam visum fuit desperationem esse puram priuationem spei, ut innuit idem D. Thomas quæst. 40. artic. 4. Quia videlicet mansuetudo, sicut etiam desperatio, nullam inducit per se operationem exteriorem, sed solum suspendit operationem, quæ futura fuisset mouente spe, aut ira, atque affectus inferiores motum plerumque operationibus ipsorum exterioribus. Cæterum considerata attentè natura motui, propter quod quis

irascitur, & mansuescit, probabilius apparet, mansuetudinem in appetitu etiam sensitivo esse effectum posituum directè contrarium iræ, secundum accessum, & recessum, ad eum modum, quo dictum est superius de spe, desperatione, de audacia, & timore ignauo. Certè Philosophus eodè modo astruit contrarietatem in illis, atque in istis. Dicit enim lib. 2. Rhet. cap. 3. *Verum quoniam irasci, & mansuetum esse, contraria sunt, & ira mansuetudini contrarium.* Et licet lib. 4. Ethic. cap. 5. post initium videatur dubitare de hoc puncto, dum dicit: *At defectus* (nempe iræ,) *sive ira vacuitas quædam sit, sive quippiam aliud, vituperatur.* Quia tamen ibidem, & maxime in indicato loco Rhetoricæ assignat ex professo motuum, & causam posituam specialem mansuetudinis perinde, atque aliarum passionum, idque discutendum proponat in illos cap. 3. dum præmittit: *Dicendum nunc est quomodo se habentes mansueti sunt, & quibus, & quas ob res:* dubitari minimè potest, quin Philosophus mansuetudinem censuerit esse affectum posituum, sicut desperationem, & timorem. Ratio est quia motuum iræ non est malum præfens secundum se, sed quatenus vindicabile diffculter, uti ostensum est supra quæst. 39. Sicut ergo insurgit affectus iræ apparente excessu virtutis propriæ ad vindicandum supra vim causæ læsuæ, & apparente præterea magnitudine mali paruipensionis cum præponderantia supra malum arduitat in opere vindicandi: ita etiam subsequitur affectus mansuetudinis apparente excessu contrario secundum alterutram, vel vtramque eam comparisonem. Tam nimirum idoneum motuum est ad nolendum opus vindicatum, quod causa læsuæ appareat maiorum virium, quam ut expugnetur à patiente, vel quod imminet maius malum ex impugnatione, seu conatu expugnandi eandem causam læsuam, quam malum inflicturn per ipsam; quam est idoneum motuum ad volendum vindictam contrarius excessus vtroque apparens, ut præminens absolute quoad vtramlibet partem. Datur igitur motuum speciale ad affectum posituum mansuetudinis, seu nolitionis vindictæ, non secus quam ad affectum posituum iræ, seu intentionis vindictæ. Eadem profecto ratione, qua idem proportionaliter dictum est superius de desperatione, & timore. Dictum nempe est superius vniuersaliter quæst. 2. affectus irascibilis ferri ad obiectum compositum ex bono & malo, atque appetitum sensituum determinari ad prosecutionem, & fugam, seu potius ad accessum, & recessum, secundum præponderantiam bonitatis supra malitiam sibi adiunctam, vel malitiæ supra bonitatem, cui adiacet. Cum ergo bonum intentum per iram sit coniunctum cum malo arduitat, & diffcultatis afficientis opus vindicatum, fierique possit, ut hæc ratio malitiæ appareat præponderans illi bonitati, fieri vtiq; potest, ut appetitus sensitui determinetur per affectum posituum ad recedendum ab opere vindicandi. Atque in hoc ratio mansuetudinis consistit. Dicendum igitur potius videtur, mansuetudinem esse affectum posituum, & passionem directè contrariam iræ & non puram priuationem. Necesse porro nequaquam est quidquam addere specialiter pro expositione huius affectus. Sufficit namque monere, illi conuenire opposita omnia eorum, quæ dicta sunt de ira.

Ad 1. & 2. patet sufficienter ex dictis. Supponitur enim in vtraque ea ratione motuum iræ esse malum inflicturn irato, secundum se consideratum, nec attenditur ad gradum vindicabilitatis, seu potentiam ad vindicandum, & conuenientiæ operandi in ordine ad vindictam. Quod tamen est speciale in ira, & discretium eius à tristitia. Idemque est

capax determinandi appetitum ad accessum, & ad recessum, iuxta explicatum præponderantia modum.

Art. 1. Ad 3. Non tribuit Philosophus stoliditatem quamlibet cessationem iræ, & mansuetudinem qualitercunque contingentem, sed solum cessationem iræ, quando, & ob quæ & oportet irasci. Quod quidem quia viriosum, ac defectuosum est, necesse est, in priuatione eatenus situm esse. De reliquo Philosophus laudat ibidem, laudantque omnes mansuetudinem, quando adest ratio sufficiens, qualis nuper exposita est, omittendi opus vindictarum. Vnde mansuetudo eatenus est affectus positus.

Art. 2. Nota hic obiter mansuetudinem esse difficilem, & facilem, minusque placabilem iram in iis in quibus ratio, & discursus est debilis, ac imperfectus. Quæ de causa mulieres sunt maximè iracundæ, minimèque placabiles, iuxta illud Eccl. 25. 23. *Non est ira super iram mulieris.* Dictum namque est supra ex Philosopho, iram esse cum ratione, sed imperfecta, nempe nunciante malum, & instigante ad vindictam, & nondum præcipiente modum eius. Præuertit enim ira ultimum, & perfectum dictamen rationis, sicut famuli præcipitanter obsequio si præuertunt nonnunquam ultimam determinationem, & expressionem domini præcipientis. Quo exemplo, & canis custodis domus aut gregis exponit rem hanc Philos. lib. 7. Ethic. cap. 6. initio. Quapropter quorum est imperfecta ratio, uti est maximè in feminis; nec non in extremis ætatibus viorum, atque in principio ebrietas ira est facilior, maior, ac diuturnior. Quia habent discursum, quantus sufficit ad irascendum, & non habent, quantus sufficit ad perfectam comparisonem eorum, quæ interueniunt in ira. Sed in iis, qui sunt valde stupidi, ac hebetes, deest insuper ratio, quanta sufficit ad æstimandum honorem, & iacturam illatam per paruipensionem, ideoque vel omittunt iram, per puram eius priuationem, vel concipiunt affectum mansuetudinis stultum, minimèque proportionatum naturæ mali, cui subsunt, sicut ij, qui sunt multum ebrij. Quo pertinet posterior pars testimonij, quo utitur obiectio ex Philosopho.

Ad 4. Exempla obiectionis petuntur ex iis, in quibus nulla est præeminentia vllius contrariorum confluentium in vnum, ideoque nihil conuincunt circa iram. Quæ videlicet concipi non potest, quin præponderet ratio bonitatis, quam prosequitur, difficultati, per quam illa redditur ardua. Vnde existente præponderantia contraria difficultatis, sequitur recessus ab eadem bonitate. Quod fit per affectum mansuetudinis, quæ ob eam rationem omittit opus vindictæ; atque ad hanc omissionem subsequitur deinde noua tristitia de malo inuindicationis. Videatur quæst. 2. ab art. 6.

QVÆSTIO XLII.

Virum omnes species passionum diuidantur in innaturales, & naturales; finitas, & infinitas?

Videtur neutra diuisio subsistere posse 1. Quia passiones omnes sunt affectus intentionales, ac animales. Naturale autem contraponitur intentionali, ac animali. Ergo nulla passio dici potest naturalis.

2. Si quæ essent passiones non naturales, eo ipso essent rationales, ac intellectuales: quia ratio contraponitur naturæ, & contra naturam diuiditur, ut

habetur ex lib. 2. Physic. sub initium, & textu 19. Repugnat autem passiones aliquas esse rationales, intellectuales: quia de conceptu passionis est, ut sit actus appetitus sensitui, uti positum est quæst. 1. Repugnat autem actui appetitus sensitui, ut dirigatur ratione, seu cognitione propria intellectus, ac proinde ut sit rationalis, ac intellectualis. Omnis enim virtus appetitiua commensuratur adæquatè cognitioni sui generis, nec eius limites prætergredi potest, atque adeo appetitus sensituius solo sensu dirigi, mouerique potest. Ergo nullæ sunt passiones non naturales.

3. Omnis diuersitas passionum dependet ex obiectorum diuersitate secundum virtutem motiuam appetitus, ut patet ex quæst. 2. Diuersitas autem obiectorum appetitus, naturalium, & non naturalium, seu quæ apprehenduntur per sensum, quæque per intellectum, est purè materialis. Quia virtus motiua obiecti, ex cuius sola diuersitate specifica oritur diuersitas specifica affectuum, sicut dictum est superius non semel cum D. Thoma, est eadem, eodemque modo mouet, siue proponatur per sensum, siue per intellectum. Ergo diuisio passionum in naturales, & non naturales est purè materialis, ac propterea ad considerationem scientificam nequaquam pertinet.

4. Omnes aliæ passiones terminantur ad affectum delectationis tanquam ad finem suum, & centrum. Vnde si aliquæ aliæ species passionum diuiderentur in naturales, & non naturales, delectationum quoque aliæ forent naturales, & aliæ non naturales. Repugnat autem delectatio non naturalis. Primum quia delectatio est passio quietatiua animalis, ut dictum est quæst. 17. Repugnat autem esse quietatiuum, quod non est naturale: quia vnumquodque quiescit in eo solum, quod est sibi connaturale, sicut corpora in solo loco sibi connaturali quiescunt. Secundo quia quod non est naturale, est violentum. Omne autem violentum est contristatiuum potius, quàm delectatiuum, ut habetur ex Philos. lib. 1. Rhet. cap. 11. sub initio. Demum quia illud solum est delectabile, quod constituit secundum naturam, ut dictum est in eadem quæstione ex Philosopho. Quidquid autem constituit secundum naturam, est naturale.

5. Ij solum motus dicuntur naturales, ad quos inclinatur natura. Sunt autem aliquæ species passionum, seu affectuum, ad quos non inclinatur natura. Nec enim inclinatur natura ad timorem, & dolorem, seu tristitiam, neque ad spem, audaciam, & iram. Quia priores duo affectus sunt circa obiectum, cui repugnat natura. Posteriores verò, propter necessariam comparisonem multiplicis rationis obiecti, transcendunt limites appetitus naturalis, seu innati. Ergo non omnes passionum species diuiduntur in naturales, & non naturales, sed aliquæ ex suo conceptu vniuersali sunt non naturales, seu supra naturam, & excedentes appetitum innatum.

6. Omnis affectus est prosequitiuus boni conuenientis, vel reiectiui mali inconuenientis. Neutrum autem procedit in infinitum. Et quidem nullum conueniens finito, qualis est appetitus sensituius potest esse infinitum: quia omne conueniens est proportionatum subiecto, cui conuenit, eidemque congruit. Infinitum autem nullum est proportionatum, & congruens finito. Iam inconueniens, cum sit priuatiuum conuenientis, eisdem cum ipso limitibus continetur. Nullus igitur affectus, siue naturalis sit, siue non naturalis, potest esse infinitus.

7. Delectatio est terminus omnium aliorum affectuum; ita ut omnis affectus, vel sit delectatio, vel tendat ad delectationem. Nulla autem delectatio est infinita;

infinita; tum quia nullum delectabile secundum sensum est infinitum, atque natura, & ratio cuiusque affectus sumitur ex natura & ratione sui obiecti; tum quia delectatio prouenit ex consequutione finis, qui repugnat infinito. Nullus igitur affectus dici potest infinitus.

Art. 1. Respondetur. Expositis iam singulis seorsim speciebus omnium passionum; commodius, ac intimius percipi poterunt, quam si praemissa initio, aut interiecta deinde fuissent quinque ipsarum comparationes, quae superfluit pro integra earum notitia. Prima comparatio est quoad naturalitatem, & innaturalitatem, finitatem, & infinitatem, quae differentiae saluantur in qualibet specie passionum secundum se praecise. Secunda comparatio, de ordine causalitatis, & dignitatis passionum, componit singulas earum species cum reliquis omnibus speciebus. Tertia affectus appetitus sensitui cum affectibus voluntatis, quoad magnitudinem utroque. Quarta, eosdem affectus appetitus sensitui, & naturales dispositiones ad ipsos, comparat cum ultimo fine. Quinta denique cum mediis ad ultimum finem, in ordine ad quem reliqua omnia considerat Theologia. Quod ad primam partem primae comparationis attinet, omnes in primis passionum species dici possunt quodam sensu naturales, & quodam alio innaturales. Naturales quidem, quia natura cuiusque, atque appetitus innatus identificatus cum ipsa inclinat ad omne bonum sibi conueniens, & fugit ab omni disconuenienti. Affectus autem omnes hoc ipsum vniuersaliter praestant, ut vel prosequantur, quod apparet conueniens, & fugiant a quocunque apprehenso inconuenienti. Vide eatenus sunt omnes conformes naturae, & appetitui naturali, ac proinde naturales dici possunt. Innaturales vero cum simili vniuersalitate dici similiter possunt, quatenus naturale nonnunquam usurpatur, quatenus distinctum ab intentionali, & a cognitione, atque ab iis, quae cognitioni consentanea sunt, atque ab eadem dependent ex sua natura immediate. Patet enim affectus omnes esse motus intentionales, atque dirigi immediate cognitione inexistente ipsi appetenti. Quae tamen innaturalitas, secundum eiusmodi praecise conceptum, dicitur, non per oppositionem, sed tantum per additionem, idque quoad solum modum; quandoquidem nulla eatenus differentia adhuc existit, aut consideratur inter utrumque appetitum ex parte bonorum, & malorum, ad quae referuntur.

Art. 2. Verum quia sensus latius patet, quam natura, & rursus intellectus latius, quam sensus; ideoque quae sensitiua sunt, eo ipso sunt capacia plurimum bonorum, & consequenter inclinationum, quam insensibilia; & similiter intellectualia, quam pure sensitiua, ac irrationalia, plures affectus sunt innaturales per excessum comparatione inclinationis naturalis, seu appetitus innati. Ita videlicet, ut quaecunque appetuntur appetitu innato, sunt quoque appetibilia appetitu animali, ac elicito, non vero conuerso: & similiter quaecunque sunt appetibilia per appetitum sensituum, & dependent a solo sensu, sunt quoque appetibilia per voluntatem, & dependent a cognitione intellectuali; non vero conuerso. Hinc fit, ut affectus quidam dicantur specialiter naturales, alij vero innaturales, seu potius ultra naturales. Affectus enim circa cibum, & potum, aliaque similia, quibus indiget animal ad conseruationem sui, aut suae speciei, dicuntur naturales, quia eadem bona cadunt sub appetitum quoque naturalem, ac innatum, & propter conformitatem cum ipso dicuntur specialiter naturales. Quia videlicet continent in se inclinationem,

quae formaliter, vel certe proportionaliter est communis omnibus naturis, seu sentientibus, seu non sentientibus, quaeque reperitur in animalibus ipsis independenter etiam ab omni sententia. Affectus vero, qui versantur circa bonum, & malum praecise, quatenus apprehensum per sensum, quales sunt praesertim, qui feruntur ad bonum, vel malum futurum, ut futurum formaliter, sunt praeternaturales, quia excedunt limites appetitus innati. Quia appetitus innatus nequit moueri, nisi per bonum, & malum sibi actualiter praesens, quae praesens est, vel certe quae praescindit ab absentia, & futuritione. Huiusmodi igitur affectus dicuntur ea ratione praeternaturales, eodemque modo praeternaturales dicuntur affectus, qui feruntur ad obiectum compositum ex bono, & malo inuicem permixtis, quia appetitus pure naturalis, ac innatus ne imperfecte quidem est comparatiuus, & compositiui diuersorum, sicut sensus, & consequenter appetitus sensituius.

Art. 3. Istiusmodi tamen excessus conuenit affectibus multo magis dependenter ab intellectu. Quia intellectus est capax ad inueniendum, & excogitandum plures rationes bonitatis, & malitiae, quae dependent ab eius propositione placere possunt, displicere appetitui, quin ad eadem extendi villo pacto posset immediate appetitus innatus. Esse enim adorabile, & honorabile, ac diligibile, est appetibile dependenter ab apprehensione intellectus, nec nisi ipso praelucente potest appeti per naturam, vel etiam per appetitum sensituum. Similiter consonantiae vocum, & musicae, atque proportionales picturarum sunt perceptibiles per solum intellectum, & sic de similibus. Affectus igitur, qui sunt circa eiusmodi bona sunt praeternaturales per excessum, dicunturque propterea innaturales a Philosopho lib. 1. Rhet. c. 11. Consequenter priores affectus excitabiles per solum sensum independenter ab intellectu sunt communes homini cum ceteris animalibus; posteriores vero soli homini conueniunt. Quae de causa Philosophus in eodem cap. 11. priores affectus dicit communes, & necessarios; posteriores vero humanos, ac rationales. Sub hac consideratione omnes vniuersim affectus pertinentes ad irascibilem, si considerentur secundum suum conceptum omnino perfectum, ac adequatum, dici possunt humani, ac rationales; animales vero, & irrationales solum secundum conceptum imperfectum, confusum, ac inadequatum. Quia obiectum spei, audaciae, & irae cum suis contrariis, compositum ex bono, & malo, & mouet secundum praeminentiam alterius supra alterum, & includit praeterea in suo conceptu possibilitatem, & futuritionem, atque insuper ira commensurationem vindictae cum laesione. Quae omnia patet non nisi imperfecte atque confuse apprehendi posse per sensum; perfecte vero, atque distincte per intellectum solum, ut obiter notatum est de singulis eiusmodi passionibus in loco. In hunc igitur modum passiones omnes vniuersaliter, & praesertim quae pertinent ad irascibilem, intellectuales, ac rationales dicuntur cum diuersitate, eatenus non exigua ab iis, quas naturales diximus, ac irrationales.

Art. 4. Inter istas duas passionum classes superest aliud vltius discrimen. Nempe quod passiones naturales, ac irrationales sunt vniiformes, quantum est ex parte obiecti in omnibus tum brutis, tum hominibus: quod sequuntur dictum, & impetum naturae: qui semper, & in omnibus est vniiformis, quatenus dirigitur dictamine sapientiae diuinae, quae est incommutabilis, ac inuariabilis, atque ideo omnibus vniiformiter disponit, quaecunque ipsis con-

gruunt,

gruunt; solamque admitit diuersitatem materialem inter ea, quæ singulis congruunt. Dictum autem est supra diuersitatem materialem obiectorum non sufficere ad diuersitatem formalem affectuum, dummodo virtus eorum motiua sit nihilominus vniformis. At affectus rationales sortiuntur multiplicem in aliis, atque aliis diuersitatem. Quia diuersi diuersimodè ratiocinantur, ideoque diuersi in diuersis affectus insurgunt, qui propterea propriis, nempe hominum, vt homines sunt apppositi hoc est superadditi singulorum affectus eatenus dicuntur à Philosopho lib. 3. Ethic. cap. 11. Ex eadem amplitudine intellectus, & rationis, alia præterea resultat diuisio affectuum in infinitos, & finitos, quæ erat altera pars comparisonis. Ratio est, quia intellectus est quodammodo omnia, ideoque est capax, vt apprehendat rationem bonitatis sine fine, & consequenter vt affectum exciter illimitatum, ac infinitum. Quæ de causa dicit Philosoph. lib. 1. Polit. cap. 6. *quod infinito concupiscentia existente homines infinita desiderant.* Vnde avarus desiderat diuitias sine fine, & quocumque eorum cumulo iam possessio, pergit ulterius augere sine vlllo fine, & sine vlla vnquam appetitus requie. Quia videlicet illas amat propter se, & tanquam finem. Quæ autem appetuntur tanquam finis, & propter se, appetuntur absque vlllo limite. Semper enim placet augmentum eius, quod placet propter se. Quia enim sanitas appetitur propter se, maior sanitas appetitur magis absque vlllo limite, & sic de similibus omnibus volutis propter se. Quæ autem appetuntur vt media, non procedunt similiter in infinitum, sed cum ventum fuerit ad finem, aut ad sufficientiam illum habendi, quiescit appetitus. Qui enim vult diuitias non secundum se, sed præcisè quatenus necessarias ad conseruationem vitæ, gerit affectum erga eas omnino finitum, vt dicit Philosophus eodem in loco, & sic de similibus. Quia verò natura appetit omnia in ordine ad conseruationem sui, suæque speciei, affectus naturales, ac irrationales, atque conformes appetitui innato, & communes homini cum brutis sunt omnes finiti, & habitis iis, quæ ad prædictum finem sufficiunt, nihil conantur amplius, aut moliantur. Patet igitur per hæc principium, ac fundamentum diuidendi affectus in innaturales, & naturales; infinitos, & finitos.

Art. 5. Exposita hucusque vtriusque huius diuisionis ratio desumitur ex parte obiecti. Sed superest alia ratio diuidendi ex parte subiecti, eaque rursus est bipartita. quoad naturalitatem, & innaturalitatem. Infinitas namque vno tantum contingit modo ex parte subiecti, nempe successiuè, & in potentia. Cum enim sensibilia bona permanentia nequaquam sint, nec sufficiant singula se solis, quolibet eorum habito manet adhuc in animali naturalis vltior indigentia pro tempore sequenti, ideoque sumpto cibo, aut potu exurgit inde nouus affectus comedendi, ac bibendi pro tempore sequenti, propter superstitem adhuc indigentiam, iuxta illud Christi Domini Ioan. 4. 13. *Omnis, Qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.* At in actu semper est finita appetitio naturalis, quia est commensurata naturæ, quæ fertur ad certum aliquid, atque omnino determinatum, finitumque. Innaturalitas affectus ex parte subiecti alia est physica, & alia intentionalis. Physica prouenit ex defectuosa temperamenti naturalis dispositione, quæ quatenus exorbitat ab exigentia cuiusque naturæ secundum se, impellit ad appetendum quædam, quæ non sunt appetibilia per se, & ex vi naturæ secundum se; atque affectus eatenus euadit innaturalis. Hoc pacto quibusdam, ratione ægritudinis, dulcia videntur amara, & displicent; quibus-

dam aliis ex complexione indiuiduali placet comestio terræ, & carbonum, & sic de similibus. Intentionalis dispositio simpliciter innaturalis constituitur per habitum ex sinistra obiectorum apprehensione, vel ex accidentali aliqua suppositione, atque opportunitate subortum, ratione cuius trahitur quis ad effectus naturæ secundum se minime congruentes. Hoc pacto quidam afficiuntur ad comedendos homines, ad coitum bestiarum, aut masculorum, & sic de similibus, quæ non congruunt naturæ humanæ secundum se. Vtroque igitur hoc modo aliqui affectus sunt innaturales respectu substantiæ secundum se, & nihilominus naturales respectu huius, vel illius indiuidui. Quia videlicet complexio indiuidualis propter inseparabilitatem connumeratur naturæ: quia inexistit semper, sicut natura. Et similiter habitus, seu consuetudo vulgò dicitur altera natura: Quia, vt dicit Philosoph. lib. 1. Rhet. cap. 11. sub initium: *Quod vstitutum est, quasi iam innatum esset, gignitur.* Nam cum sapere ipsum ipsi semper propinquum sit, & ipsius quidem semper natura sit, ipsius verò sapere consuetudo; natura consuetudo similis est. Similia autem confunduntur frequenter sub eadem voce. Tot igitur modis, & rationibus dicuntur affectus alij naturales, alij innaturales; alij finiti, alij infiniti.

Art. 6. Patet porro consideranti, quæ dicta sunt, vtramque diuisionem vagari aequaliter re ipsa per omnes indiscriminatim species affectuum: quia differentie assignate, tum ex parte obiecti, tum ex parte subiecti, perinde dari possunt respectu obiecti præcipientis ab absentia, & præsentia, absentis, & præsentis, & sic de aliis quibusvis aliorum affectuum obiectis peculiaribus. Excipitur tamen delectatio quoad infinitatem, præterquam successiuam: quia bonum sensibile præsens semper est finitum, & propter præsentiam non potest apparere, nisi vt finitum, & quale est. Neque quoad hoc est eadem proportionalis ratio de tristitia. Quia tristitia concipitur de absentia, & priuatione omnis boni concupiti. Possunt autem abesse simul omnes diuitiæ, omnes honores, omnesque voluptates desiderata, possuntque perinde apprehendi postquam superuenit impedimentum eorum, atque dum apprehendebantur vt futura. Hinc prouenit, magnitudinem delectationis sæpe non correspondere magnitudini concupiscentiæ, ac desiderij, cum adest, quantum potest, bonum concupitum, seu desideratum, tristitiam verò eidem concupiscentiæ, seu desiderio semper correspondere iuste, cum impeditur, ac excluditur idem bonum. Itaque tristitiæ eodem profus modo conuenit esse finitam, quo amor, desiderio, spei, &c. delectationi verò, & voluptati nequaquam. Semper enim, & omni modo hæc est finita, præterquam successiuè. Igitur diuisio passionum in innaturales, & naturales; infinitas, & finitas est legitima modo explicato.

Ad 1. Illud ipsum, quod appetitur appetitu innato independentem ab eius apprehensione, appetentis propria, terminat appetitum animale, & elicitur, quando proponitur per sensum, aut rationem. Appetitus autem animalis congruens eo modo appetitui innato, dicitur naturalis, non propter naturam, & naturale contraponuntur intentioni, & intentionali, sed quatenus contraponuntur iis, quæ repugnant naturæ, quæque exorbitant ab eadem.

Ad 2. Conceditur, passiones innaturales, ex parte obiecti tantum, esse rationales, seu intellectuales. Sed negatur, affectus appetitus sensitiui proprios hominis non posse dependere ab intellectu. Quia intellectus non solum cognoscit spiritualia, sed etiam sensibilia bona, eaque non solum in comuni,

muni, sed etiam in particulari, atque eatenus potest mouere non solum voluntatem, sed etiam appetitum sensituum, qui radicatur in eadem animæ rationalis substantia. Præterea intellectu apprehendente sensibilia vniuersaliter, atque indefinite potest induci, atque inducitur sæpe in sensu imaginatio particularis proponens appetitui imperfecte ad modum suum, quod ratio modo suo particulari proponit voluntati. Vtroque igitur modo dari potest in appetitu sensitui affectus, quoadtenus rationalis, seu intellectualis, propter dependentiam specialem mediatam, vel immediatam ab intellectu.

Ad 3. Obiectum appetitus est bonum apprehensum, ideoque diuersificatur iuxta diuersitatem apprehensionis, quatenus proponens diuersas rationes formales obiectiuas. Dictum autem est, per rationem, & intellectum innotescere in rebus etiam sensibilibus plures rationes formales obiectiuas, prædita speciali virtute motiua appetitus, quas non potest assequi sensus, neque vilo modo imaginari ex se præcisè. Vnde passiones, quæ dictæ sunt rationales, & propriæ hominum, aut omnium, aut aliquorum, dissident specie à passionibus naturalibus, quæque sunt communes homini cum brutis.

Ad 4. Conceditur sequela de innaturalitate delectationibus quoque communi, iuxta præmissam innaturalitatis intelligentiam, ex qua patet ad rationes in contrarium. Primum enim homini est naturale, non solum quod secundum sensum, sed etiam & maxime, quod secundum rationem, licet hoc posterius dicatur innaturale relatiue ad naturam, quatenus commune omni animali, idque per excessum ad ipsam. Deinde quod est innaturale solum per excessum, non est violentum, sed quod est innaturale per contrarietatem, & repugnantiam respectu naturæ. Non sunt autem huius posterioris rationis affectus, qui dicti sunt innaturales. Deum quod constituit secundum naturam rationalem est delectabile, vt patet, & tamen est innaturale per excessum mododicto.

Ad 5. Sunt quidem maxime omnium naturales affectus prosecutionis pertinentes ad concupiscibilem propter rationem obiectiuam. Sed non propterea sunt omnibus modis innaturales affectus fugæ. Quia facta suppositione mali imminenti, aut præsentis est omnino conformis naturæ fuga ab illo. Sed neque affectus pertinentes ad irascibilem sunt omnes vniuersaliter, omnibusque modis innaturales. Quia natura inclinat ex se ad rationem bonitatis, quæ præminet in iis eiusmodi affectibus, qui sunt prosecutioni, & similiter abhorret à ratione malitiæ, quæ præminet in auersatiuis; tamen excedi non possit per se, & absque adminiculo apprehensionis, ad compositionem, & comparisonem boni, & mali. Vnde quia aliqui affectus irascibilis feruntur ad præminentem rationem, & bonitatis, & malitiæ, quæ non nisi per rationem manifestari possunt, conuenienter ij etiam affectus diuisi sunt in innaturales, & naturales, seu rationales, & irracionales.

Ad 6. Infinitum dicitur dupliciter. Primum per præcisionem à fine, & syncategorematicè. Secundò categorematicè, & positiuè, seu quasi positiuè. Conceditur, passiones nullas posse esse infinitas categorematicè, ac positiuè, quod solum concludit obiectio. Cæterum præcisè, & syncategorematicè possunt esse infinitæ dependentes ab intellectu. Quia intellectus potest apprehendere diuitias, & similia, quin præfigat vllum illis finem, ac certum terminum, & consequenter appetitus potest ferri ad eadem simili modo.

Ad 7. Exempta iam est nuper art. 6. ab infinitate

delectatio, præterquam successiue, ibidemque ostensa est peculiaris quoad id ratio de delectatione, & de aliis affectibus. Nec obstat, reliquos affectus tendere ad delectationem, vt ad centrum. Quia conantur eam inducere, quantum possunt, iuxta naturam apprehensionis præcedentis, & non etiam eius, quæ subsequitur ad præsentiam boni, quæque est immediatè directiua delectationis.

Q V Æ S T I O XLIII.

Vtrum prima passio sit amor; præcipua verò sit delectatio?

Videtur, nec amor esse prima passio ordine causalitatis, nec delectatio ordine dignitatis. Quia quod est maioris perfectionis, est maioris causalitatis, & virtutis effectiua. Omne enim bonum est communicatiuum sui, & eo magis, quo melius est. Repugnat igitur, aliam passionem esse primam ordine causalitatis, & aliam, ordine dignitatis. Quæ enim est prima ordine dignitatis, atque adeo est optima, eadem necessario est prima ordine quoque causalitatis, seu quoad virtutem causatiuam, eiusque vniuersalitatem.

2. Passiones irascibilis sunt maioris perfectionis ex genere suo, quàm passiones concupiscibilis; tum quia feruntur ad bonum arduum, atque ad superandam eius difficultatem ordinantur, quod patet, ad peculiarem quandam præstantiam pertinere; tum quia secundum suum conceptum perfectum, & completum dependent specialiter ab intellectu, & ratione, vti sæpe notatum est superius, præsertim circa iram. Delectatio autem pertinet ad concupiscibilem. Igitur delectatio dici non potest passio præcipua, seu prima ordine dignitatis.

3. Amor est debilissima entitatis inter omnes passiones. Quia habet rationem puræ dispositionis, & coaptationis ad reliquos affectus, vt dictum est quæst. 6. Repugnat autem esse primum, ac præcipuum quoad causalitatem, quod est debilissima, ac infima entitatis. Ergo amor non est prima passio ordine causalitatis.

4. Inter virtutes ea est maximæ & causalitatis, & perfectionis simul, quæ est amatiua. Charitas enim, ad quam pertinet dilectio, est maxima omnium virtutum. Ergo similiter inter passiones, quæ est amatiua, est prima non solum ordine causalitatis, sed etiam ordine dignitatis, & perfectionis.

5. Quælibet passio potest esse causa cuiuslibet alterius passionis. Quia odium circa aliquod malum potest esse causa amoris circa bonum exclusiuum talis mali, & similiter desperatio, aut timor circa vnum, potest esse causa audendi circa aliud; vti superius dictum est in loco; eademque est ratio de quibuslibet aliis passionibus, & quidem à fortiori quoad plerâque, vtpote nullam similiter habentes oppositionem inter se. Nullus igitur ordo causalitatis determinatus constitui potest inter passiones, penes conceptum specificum ipsarum.

6. Quod est causa præsentis obiecti delectabilis est præstantius delectatione. Quia ipsum delectabile præsens præstat delectationi. Est enim causa eius æquiuoca, atque causa æquiuoca præminet suo effectui. Eadem verò ratione necesse est, vt præcellat delectabili præsentem, quod est causa præsentis eius. Omnes autem alia passiones præter delectationem habent rationem causæ respectu præsentis delectabilis, quia omnes intrinsecè ordinantur ad illam inducendam. Omnes igitur reliquæ passiones

passiones præstant delectationi, suntque perfectiones eadem.

7. Quod est maximè vnitiuum cum bono, est optimum. Passio autem amoris est maximè vnitiua cum bono, vt dictum est supra quæst. 9. Ergo amor potius, quàm delectatio, dici debet prima passio ordine dignitatis, & perfectionis.

8. Si delectatio esset perfectissima inter passiones; tristitia, quæ est illi opposita, esset consequenter infima passionum omnium. Et similiter audacia, & ira, quæ sunt propinquiore delectationi, quàm spes, essent nobiliores eadem spe. Hæc autem, & alia similia, quæ consequuntur ad eandem positionem, repugnant sententiæ communi dicenti cum D. Thoma quæst. 25. art. 4. quatuor principales passiones esse gaudium, & tristitiam, spem, & timorem; iuxta illud Boët. de consol. metr. vlt. *Gaudia pelle, pelle timorem: Spemque fugato, nec dolor adsit*, quibus principales passiones exprimere voluit. Ergo delectatio non est passio præcipua.

Art. 1. Respondetur. Quod est primum in intentione, esse vltimum in executione; & consequenter quod est primum in executione, esse vice versa vltimum in intentione, vulgare, & verissimum est axioma ex Philosopho. Manifestum autem est, quod est primum in intentione, primumque tenet locum in affectu, & appetitione, esse præcipuum & optimum; infimum verò minimæque bonitatis esse, quod est vltimum in intentione, & postremum locum tenet in affectu, & appetitione. Manifestum rursus est, delectationem esse & primam in intentione, & vltimam in executione. De executione res est clara quia delectatio est affectus quietatiuus, in quo velut in centro suo quiescit appetitus; itavt eo habito nihil ulterius molitur circa objectum eiusdem affectus, vt dictum est supra quæst. 17. Hinc patet altera pars de intentione, quia id necesse est, vt primo, ac præcipuè intendatur, quod maximè explet, & quietat appetitum. Manifestum similiter est, amorem esse primum in executione, & vltimum in intentione. De executione nihil necesse est addere iis, quæ dicta sunt supra quæst. 6. Inde enim constat amorem esse affectum dispositiuum, & coaptatiuum amantis respectu omnium conuenientium sibi. Nulla autem operatio præcedere potest in vilo genere dispositionem, & coaptationem vniuersalem intra idem genus. Hinc deducitur altera pars de intentione: quia dispositio ad aliquid habet rationem medij, & instrumenti ad illud, ideòque non tanti fit, nec tantum intenditur, quàm hoc aliud. Patet igitur primam passionem ordine causalitatis efficientis, & executionis, eandemque vltimam ordine causalitatis finalis, & intentionis, esse amorem, & delectationem vice versa esse præcipuam, ac primam ordine causalitatis finalis, ac intentionis: postremam verò ordine causalitatis efficientis, & executionis. Affectus igitur perfectissimus omnium ex genere suo est delectatio; primæ vero, ac vniuersalissimæ causalitatis efficientis affectus est amor.

Art. 2. Hinc desumi potest ordo perfectionis, & causalitatis inter reliquas passiones. Quia quæ sunt propinquiora primo in aliquo genere, sunt priora intra idem genus; posteriora verò, quæ sunt remotiora ab eodem. Dicuntur porò propinquiora primo, quæ sunt illi magis similia, & remotiora, quæ sunt magis dissimilia. Patet autem, delectationi, quæ est maximæ perfectionis esse similiores affectus prosequutiuos, nec non eos, in quibus præualet ratio prosequutionis, quàm affectus consistentes in auersione, & fuga, necnon eos, in quibus præualet ratio auersionis, & fugæ. Quia delecta-

tio est pura prosequutio boni, & quidem vltimo completi in genere suo, atque constituti in statu perfectissimo, nempe boni præsentis, & possessi. Deinde inter affectus prosequutiuos, & præminentes prosequutione, ij sunt similiores delectationi, quorum est maior adhesio ad bonum, atque ad maiorem rationem bonitatis: quia delectationi conuenit plena adhesio ad completam rationem bonitatis, vt dictum est. Quapropter affectus irascibilis, in quibus præualet ratio prosequutionis, nempe spes, audacia, & ira, sunt maioris perfectionis, quàm alij affectus prosequutiuus concupiscibilis, nempe quàm amor, & desiderium, seu concupiscentia. Quia videlicet priores affectus feruntur ad rationem boni, quatenus superatiui difficultatum, eisdemque præponderantis, ac proinde continent in se maiorem appetitionem boni, quàm posteriores affectus, quibus deest specialis eiusmodi appetitatio boni, atque cætera sunt paria. Eadem ratione ira est perfectior, quàm audacia, & hæc, quàm spes. Quia audacia præfert rationem bonitatis, ad quam afficitur, maiori difficultati, nempe terribilibus aduersus salutem, & vitam, à quibus præcindit spes. Ira verò afficitur ad rationem honoris, & excellentiæ, quæ præfertur reliquis temporalibus bonis, eamque præfert & contraponit quibuslibet indiscriminatum malis occurrentibus in contrarium, ideòque præcellit & spei, & audaciæ. Iam concupiscentia comparata cum amore facile apparet eo præstantior: quia concupiscentia continet in se conatum determinatum ad præsentiam boni, qua fruatur delectatio. At amor contentus simplici complacentia in bono præcindit ab absentia, & præsentia boni, neque est determinatus ex se præcisè ad præsentiam potius, quàm ad absentiam boni, vel inducendam, vel repellendam, ideòque minimè omnium, atque debilissimè participat de conceptu delectationis inter affectus prosequutiuos. Quorum proinde series, & gradus, quoad perfectionem attinet, est talis delectatio, ira, audacia, spes, concupiscentia, amor.

Art. 3. Inter affectus consistentes in auersione, & fuga, ordo imperfectionis, seu recessus, & dissimilitudinis respectu delectationis hic est: tristitia, seu timor, mansuetudo, timor ignauus, desperatio, timor diffidentia, abominatio, seu fuga, odium. Quia videlicet tristitia directè, & totaliter opponitur delectationi, eidemque est summè dissimilis, vt pote specificata ex malo præsentis, vt præsentis. Mansuetudo verò opponitur similiter iræ, quæ dicta est supremæ perfectionis post delectationem, & consequenter despiciat honorem læsum præ incommodo occurrente in eius reparatione, tametsi proponatur vt superabile absolutè. Quo autem est maior, ac præstantior ratio bonitatis neglectæ, eo est maior vilitas affectus. Succedit mox timor ignauus, qui similiter contemnit victoriam terribilium, quæ est præstantior, quàm victoria aliarum difficultatum, quibus solum ex parte cedit timor diffidentia, desperatio verò totaliter; cum de reliquo vtri-que huic affectui commune sit, vt negligat eodem modo victoriam eiusmodi minorum difficultatum, ideòque minùs præstantem, quàm sit victoria neglecta per timorem ignauum. Est igitur maioris imperfectionis desperatio, quàm timor diffidentia, & maioris adhuc timor ignauus. Rectè igitur ordinati sunt ij affectus omnes quoad imperfectionem, & recessum, seu dissimilitudinem respectu delectationis.

Art. 4. Ordo causalitatis efficientis, seu executionis constituendus est similiter per propinquitatem, & similitudinem respectu amoris, quem di-

ctum

etiam est esse primum in executione. Maxima autem similitudo cum amore conuenit desiderio, seu concupiscentia. Quia solum differt ab amore per rationem boni absentis, ad quod fertur cum præcisione à reliquis omnibus, à quibus & amor præscindit. Succedit deinde spes, quæ superaddit bono absenti rationem ardui, quæ sola circumstantia augeat dissimilitudinem concupiscentia respectu amoris. Post spem sequitur audacia, quæ similiter superaddit terribilitatem difficultati, ratione cuius differt spes à desiderio, & specialiter ab amore. Executio ira est eodem modo posterior his aliis affectibus. Quia complectitur in suo obiecto indiuisas rationes differentiales eorum omnium, & præterea superaddit commensurationem mali infligendi cum infligendo, atque in ea commensuratione constituit rationem bonitatis specialis, ad quam afficitur. Postremum denique executionis locum tenet delectatio inter affectus prosequutiuos: quia est summè inter eosdem dissimilis amor, utpote terminata ad præsentiam, & possessionem boni, quæ est summè difficilis præcisioni ab absentia, & præsentia boni, tam in se, quàm in sua causa, id est à futuritione etiam, & non futuritione, à possibilitate, & impossibilitate.

Art. 5. Affectus auersatiui eodem modo; eademque proportionali ratione ordinantur inuicem, atque affectus prosequutiuus, quibus opponuntur. Ita nimirum ut odium præcedat timorem dissidentia, qui deinde inducat desperationem, & hæc rursus timorem ignauum, post quem succedit mansuetudo, & post hanc postremo tristitia. Iidem autem affectus auersatiui cum iis solum affectibus prosequutiuis comparari possunt, quibus ex suo conceptu coexistunt. Atque sub hac comparatione odium mali nocentis bono amato procedit primitus ab amore eius boni. Quia est simillimum amor, propter præcisionem similem ab absentia, & præsentia, aliisque specialibus circumstantiis mali, quod odit. Sequitur deinde spes vitandi malum odio habitum, propter circumstantiam arduitatis, quæ superadditur malo, quatenus terminat spem suæ vitiationis. Similiter desperatio circa aliquod seu bonum, seu malum cooperatur ad actum audaciae circa bonum, aut malum aliquod, cuius, seu obtinendi, seu vitandi spes simul adest cum eadem desperatione. Eadem est ratio de mansuetudine circa vnam iniuriam, respectu ira circa iniuriam aliam, cuius vindicanda spes coexistit, necnon audacia ad vindicandum sufficiens. Demum tristitia de latione honoris, seu excellentia, si adsint, simul iidem affectus; cooperatur illis ad actum ira ad quem dictum est consequi delectationem. Talis igitur est vniuersaliter, & particulariter ordo inter passiones, tam intentionis, quàm executionis, & perfectionis, atque imperfectionis, atque in genere causa tum finalis, tum efficientis: tenetque primum locum dignitatis delectatio, causalitatis verò efficientis amor; atque per propinquitatem, & distantiam ad hæc duo extrema constituitur series, & ordo vterque inter reliquas passiones, interceptis semper in medio passionum concupiscentibus iis, quæ pertinent ad irascibilem, modo explicato, qui est conformis D. Thom. quæst. 25.

Ad 1. Passiones sunt causæ instrumentales animalis, quibus vitur ad bonum suum. Ex instrumentis autem prius adhibentur, quæ sunt minus perfecta, ac deinde quæ sunt perfectiora. Vnde ratio obiecti vallet potius ad oppositum in subiecta materia, atque principium, quod assumit, verificatur de causis non subordinatis inuicem per modum instrumenti.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

Ad 2. Dicitur similiter, passiones irascibilis habere perfectionem solum instrumentariam in ordine ad finem intentum ab animali, qui est delectatio, ideoque sunt minoris perfectionis, quàm ipsa. Quod verò eadem passiones, secundum suum conceptum omnino perfectum, sint specialiter participes rationis, solum conuincit, delectationem, quæ suboritur illis præeuntibus, esse maiorem cæteris paribus. Quod est verum, quia delectationi de bono obtento superadditur eo ipso delectatio specialis de victoria difficultatis, quæ habet specialem bonitatem, eo maiorem, quo difficultas fuit maior.

Ad 3. Natura incipit ab operatione imperfecta, eaque iuuante, procedit deinde ad aliam, atque aliam perfectiorem. Hoc igitur modo amor, qui est minima perfectionis, exercetur per se immediate circa effectum minimæ itidem post ipsum perfectionis, nempe circa desiderium, & deinde fit progressu ad affectus perfectiores. Quapropter amor dicitur esse primus secundum ordinem causalitatis efficientis, non propter præstantiam suæ actionis immediate, sed propter vniuersalem solum dependentiam mediatam, vel immediatam reliquarum omnium passionum ab ipso.

Ad 4. Virtutes non multiplicantur, sicut passiones secundum diuersitatem statuum, & conditionum peculiarium, quibus contingit diuersimodè affici obiectum quoad rationem bonitatis physicae. Quia specificatum peculiare cuiusque virtutis est sola ratio specialis honestatis, quæ non est diuersa propter absentiam, & præsentiam, difficultatem, & facilitatem, secundum se. Quapropter charitas adhæret summo bono propter se, tum absenti, tum præsentem, ac possibile; tum etiam cum præcisione ab vtraque ea circumstantia, ut dictum est in questionibus de hac virtute. At passio amoris dependet intrinsecè ab eadem præcisione, eaque propter non potest habere vllum actum circa bonum, ut præsens. Nulla igitur est paritas ex perfectione charitatis, quæ est determinata ad summum bonum, super omnes alias virtutes, pro simili excessu amoris, qui est passio, super omnes alias passiones.

Ad 5. Quæstiones scientificæ instituuntur de iis, quæ sunt per se, quæque conueniunt singulis ex suo conceptu specifico. Atque hoc pacto datur ordo certus, ac determinatus inter passiones omnes, tam quoad executionem, quàm quoad intentionem, & perfectionem. Quod autem odium aliquod sit causa alicuius amoris, & aliqua desperatio alicuius audacia, & sic de similibus est per accidens, & ex suppositione, non per se, & ex conceptu specifico; cum è conuerso omne odium ex conceptu suo specifico præsupponat amorem, & audacia spem, & sic de similibus iuxta dicta. Quam differentiâ, quæ est valde notabilis in processu doctrinali, nonnulli non obseruant, & ideo negligunt ordinem passionum præscriptum à D. Thom. aliisque communiter. Sed hoc non indiget vltiori impugnatione, cum abundè sufficiat insinuatio crassa æquiuocationis.

Ad 6. Quidquid sit de comparatione delectationis cum suo obiecto quoad magnitudinem, & excessum bonitatis, manifestum est ex dictis, eandem delectationem præminere ex genere suo reliquis omnibus passionibus, tametsi omnes in hoc vnum incumbant, ut inducant obiectum delectationis, tanquam causæ proximæ, & remotæ eiusdem obiecti. Quia nimirum huiusmodi causalitatem exercent in genere causæ instrumentalis, ut dictum est, atque obsequuntur delectationi, tanquam fini suo influenti in easdem omnes in genere causæ finalis, quæ est potissima causerum.

Ad 7. Amor est vniuersum bono intentiona-

I liter

liter tantum, & affectiue. At delectatio vnit cum eodem bono, & affectiue, & realiter, quæ est, duplo maior vno, ut notatum est superius in loco. Ergo delectatio est nobilior ex hoc etiam capite.

Ad 8. Gaudium, & tristitia; spes, & timor dicuntur à D. Thoma, & aliis communiter passiones principales, non propter excessum perfectionis super omnes alias passiones, ut aduertit Caietanum cum D. Thoma illo ipso in loco; sed quia habent singuli ex illis affectibus specialem quandam rationem termini ultimi, atque inde specialem quandam conspiciunt, & apparentiam maiorem. Delectatio enim, seu gaudium est vltima quies in bono, & similiter tristitia est vltima inquietudo, ac perturbatio in malo. Item spes est motus quodammodo vltimus ad bonum, & similiter timor est motus quodammodo vltimus à malo, nempe modo sufficienti ad prædictam specialem apparentiam maiorem. Ceterum hoc quaecunque sit, nihil refert ad intelligentiam numeri, aut ordinis realis passionum.

QVÆSTIO XLIV.

Virum affectus appetitus sensitui sint in unaquaque specie maiores, quam affectus intellectuales?

Videntur esse maiores. 1. Quia quorum cognitio est melior, appetitio quoque est maior. Virtus enim appetitiua est perfecte subordinata virtuti apprehensivæ. Est autem melior in nobis cognitio sensibilium, & bonorum, & malorum: quia sensibilia cognoscimus immediate, ac intuitiue, intelligibilia vero solum mediate, ac abstractiue. Cognoscitur vero melius, quod cognoscitur immediate, & ratione sui, quam quod mediate tantum, & ratione alterius: sicut diligitur magis, quod diligitur immediate, & propter se, quam quod mediate tantum, & propter aliud, iuxta illud vulgare; propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Affectus igitur circa sensibilia, quorum est appetitus sensitivus, sunt in nobis maiores, quam circa intelligibilia, quorum est voluntas.

2. Ad ea, & aduersus ea minus afficimur, quæ prosequimur difficilius, & à quibus difficilius auerimur. Quia difficultas agendi remouetur causam, eiusque conatum infringit, ac minuit. Difficilius autem prosequimur bona intelligibilia, quam sensibilia. Quod colligitur aperte à posteriori: quia plerique prosequuntur bona sensibilia contemptis intelligibilibus, & pauci admodum prosequuntur intelligibilia contemptis sensibilibus. Ea autem sunt faciliora, quæ frequentius eueniunt, & difficiliora, quæ raro. Raritatem enim electionis in iis, quæ sæpe occurrunt, sola potest inducere difficultas eligendi, solaque facilitas frequentiam. Patet tunc difficiliorem esse respectu nostri prosequutionem bonorum intelligibilium, quam sensibilibus. Consequenter fuga etiam, & auersio malorum intelligibilium est difficilior: quia fuga, & auersio cuiusque mali fundatur in prosequutione boni oppositi, & in adhesionem ad ipsum; atque hæc prosequutio, & adhæssio est mensura fugæ illius, & auersionis. Prosequutio igitur, & auersio bonorum, malorumque intelligibilium, quæ spectant ad voluntatem, est minor in nobis quam sensibilibus, quæ spectant ad appetitum sensitivum.

3. Quorum effectus sunt maiores, & in quibus contingit esse excessum, sunt maiora, quam quibus conueniunt opposita. Manifestum autem in primis est, in affectibus appetitus sensitui accidere sæpe

excessum, quem temperare, ac refranare oporteat; eundemque esse impossibilem in affectibus spiritibus, quos potius oportet promouere semper in maius. Deinde affectus appetitus sensitui inducunt transmutationem corporalem; eamque nonnunquam vehementem usque aded, ut auferat totaliter usum rationis, imò & ad interitum perducatur, ut dictum est supra circa delectationes præsertim, ac tristitias. Affectus autem circa spiritualia nihil eiusmodi efficiunt, aut efficere sufficiunt. Ergo.

4. Ad eum modum comparatur vis sensitiva tota ad intellectum, quo tactus ad visum: quia visus est magis, vniuersaliusque cognoscitivus, quam tactus, sicut intellectus, quam sensus. Affectus autem circa tangibilia sunt maiores, quam circa visibilia: quia affectus circa sensibilia per visum ordinatur ad affectum circa sensibilia per tactum, atque hæc sunt illorum finis, ut dictum est supra ex Philosopho. Ergo affectus circa sensibilia sunt similiter maiores, quam circa intelligibilia.

Art. 1. Respondetur. Magnitudo affectus dependet ex magnitudine obiecti motui, & cognitionis; qua idem motuum proponitur. Potest autem duplex affectuum genus considerari, tum in appetitu sensitivo, tum in voluntate. Alij namque sunt affectus reflexi circa operationes proprias vtriusque potentie; alij directi circa obiecta alia. Et quidem affectus reflexi sunt proculdubio maiores circa operationes intellectus, & voluntatis, quam circa operationes sensus, & appetitus sensitui. Quia intellectus, & voluntas sunt perfectiores, quam sensus, & appetitus sensitivus, ac proinde operationes vtriusque illius potentie sunt perfectiores, maiorisque bonitatis, quam operationes vtriusque potentie posterioris. Et præterea eadem operationes intellectus, & voluntatis cognoscuntur melius, quam operationes sensus, & appetitus sensitui. Quia intellectus vniuersaliter est magis cognoscitivus, idemque est perfecte reflexivus; sensus vero reflectit imperfecte, imò vix reflectit, præterquam implicite, & virtualiter supra suos actus.

Accedit actus appetitus sensitui non posse permanere diu, tum propter fluxum, ac refluxum irrequietum obiectorum sensibilium, tum propter agnatam illis transmutationem corporalem, cuius diuturna vniuersalis permanentia est valde nociva, ac intolerabilis; ut ponderatum est supra in communi quæst. 3. Operationes vero intellectuales sunt maioris permanentie propter rationem vtroque contrariam. Afficit autem magis bonum maioris permanentie, quam quod cito transit, ceteris etiam paribus. Affectus igitur reflexi sunt certissime maiores, & per se, & respectu nostri, in voluntate, quam in appetitu sensitivo, ut obseruat Diuus Thomas quæst. 31. art. 5. circa delectationes, quarum tamen, & reliquorum affectuum est eadem proportionalis ratio, ut patet ex discursu præmissis, nisi quod facilius interuenit equiuocatio, & fallentia in cognitionibus dirigentibus alias species affectuum, quam in iis, quibus diriguntur delectationes, quatenus posteriores istæ cognitiones sunt de obiecto præfenti ut præfenti, quod patet innotescere magis, ac certius.

Art. 2. Circa affectus directos distinguendum est, quod est per se, ab eo, quod est per accidens. Fieri namque potest, ut quod ex sua natura, & per se est magis, efficaciusque motuum potentie appetitiue, atque aded aptum ad gignendos affectus maiores afficiat nihilominus inefficacius, ac remissius in actu secundo, & de facto propter defectum cognitionis, aut propter inexistentem habitum ad oppositum; & similiter fieri potest e conuerso, ut quod

est

est minus motiuum, minusque appetibile per se, moueat nihilominus, afficiatque magis per accidens, propter rationem contrariam. Certum est bona intelligibilia esse maiora, ac proinde inductiua maioris affectus, loquendo per se. Quod confirmari inter alia potest ex contemptu reliquorum bonorum corporalium comparatione honoris, qui est bonum intelligibile. Prodigunt enim homines diuitias, & vitam quoque ipsam propter incolumitatem honoris. Verum maxima huius rei probatio est, quia homo, qua rationalis, ac intellectualis est, præminet incomparabiliter brutis, & consequenter sibi qua sensitiuus præcisè est. Consequens namque est, bona intelligibilia, quorum est capax rationalitas, ac intellectualitas præeminere itidem incomparabiliter sensibilibus omnibus. Sed & cognitio intelligibilem est perfectior, ac maior, quam sensibilem, qua sensibilia præcisè sunt. Quia intellectus scrutatur intimius suum obiectum, & comprehendit magis, quam sensus suum: quia sensus hæret in exterioribus accidentibus rei, nec percipit substantiam eius, præterquam mediata, ac denominatiue. At intellectus peruenit ad quidditatem vsque rei: quia obiectum intellectus est quod quid est, ut dicit Philosophus. Qua de causa, nemo est, qui non præligat carere visu corporali, quam visu intellectuali, sicut carent bestiae, & homines stulti, ut dicit Augustinus, lib. 14. de Trinit. cap. 14. Sunt igitur maiores per se, & ex sua natura affectus intellectuales in omni genere, quam qui sunt proprii appetitus sensitiui.

Art. 3. Affectus nihilominus appetitus sensitiui sunt in plerisque maiores per accidens, quam affectus voluntatis circa bona spiritualia. Idque primo, ac principaliter, quia bona intelligibilia innotescunt nobis mediantibus sensibilibus. Plerique autem hærent in prima ista superficie, nec applicant intellectum, ut attenta consideratione, ac meditatione enubilent bona spiritualia, eaque faciant apparere perfectè. Quia nullus est, qui recogitet corde, ut dicitur Ierem. 12. 11. atque corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, ut habetur Sap. 9. 15. Accedit deinde affectus appetitus sensitiui esse coniunctos cum transmutatione corporali, ratione cuius innotescunt magis, & percipiuntur clariùs, & ratione eiusdem quaruntur sæpe tanquam remedia, & medicina aduersus affectus alios, & dispositiones corporales illatiuas molestiæ, & quasi aggritudinales, ideoque queruntur audiuis, atque appetitus incumbit eisdem intentius, maiori que prorsus impetu. Nihil autem huiusmodi intercedit in affectibus purè intellectualibus. Affectus igitur appetitus sensitiui sunt per accidens maiores respectu nostri, quam affectus purè intellectuales, licet per se isti potius præualeant, ut dictum est, atque dominentur appetitui sensitiuo, uti expositum est supra q. 4.

Ad 1. Non concludit illa ratio vniuersaliter, sed solum de eo, quod est per accidens, & plerunque euenit. Quia fieri absolute potest, debetque ab omnibus fieri, & fit à nonnullis, ut intellectus per discursum, & meditationem circa spiritualia bona superet primam spontaneam apparentiam sensibilem ad sensum. Potentia enim perfectior, qualis est intellectus, potest intimius scrutari, ac manifestare obiecta, quæ apprehendit mediante sensu, quam sensus ea, quæ percipit immediate; unde illud de maiori perfectione attingentiæ immediatæ, quam mediata procedit tantum respectu eiusdem potentie, non verò respectu diuersarum, earumque valde imparium. Paritas de dilectione immediata, & mediata, seu propter se, & propter aliud, ideo nihil conuincit, quia potentia appetitiua inferior non ita

R.P. Esparza Curs. Theol. Tom. II

iuuat, ac manuducit potentiam appetitiuam superiorem, sicut cognoscitiua cognoscitiuam, sed vnaquæque potentia appetitiua determinatur per intentionem sui finis, ad prosecutionem suorum mediorum.

Ad 2. Difficultas prosecutionis, aut fugæ potest fundari, tum in exiguitate bonitatis, aut malitiæ, tum in magnitudine vtriusvis. In exiguitate quidem, quia parua bonitas, & malitia habent paruam vim mouendi appetitum, ideoque difficulter illum diuertunt ad se, dum est intentus ad alia, præsertim longè maiora, ac præstantiora. Hoc modo est difficillimum viris sanctis, ut afficiantur ad aliquid temporale. Similiter est difficile potentiæ appetitiuæ ignobili, aut ignobiliter dispositæ, ut afficiatur ad maximum, & præstantissimum bonum: quia non habet parem bonitati obiecti cognitionem, aut principium aliud necessarium. Hoc pacto est difficilis dilectio Dei peccatori, & cuius valde intento bonis temporalibus, aut non prauento auxiliis gratiæ Dei sibi congruentibus. Primum difficultatis genus valet ad debilitandum, minuendumque affectum. Auget verò eundem posterius difficultatis genus. Quia difficultas amplectendi magnum bonum non superatur nisi per affectum saltem appetitiuè magnum erga magnam bonitatem, eidemque proportionatum. Necesse namque est ut potentia appetitiua adhibeat magnum conatum ad superandam magnam difficultatem, & ad eliciendum affectum proportionatum magno bono. Iam difficultas nostra in prosecutione bonorum spiritualium est posterioris huius generis, ut patet ex dictis, ideoque raritas prosequendi est vera, non verò paruitas prosecutionis, saltem vniuersaliter. Idem dicitur de fuga seruatis seruandis.

Ad 3. Nimietas, & excessus in affectibus appetitus sensitiui accidit propter paruitatem obiectorum, circa quæ versatur, quæ propterea non sunt digna magnitudine illimitata affectus, sicuti sunt bona spiritualia, respectu quorum proinde potest affectus esse multò maior omni affectu sensitiuo, quin sit excessiuus. Similiter quod affectus appetitus sensitiui transmutent corpus etiam extreme vsque ad interitum, & nihil tale efficere possunt affectus vlli spirituales, non prouenit ex paruitate horum, & magnitudine illorum, sed ex dependentia appetitus sensitiui, & independentia voluntatis ab organo corporeo, ut dictum est iterum supra.

Ad 4. Obiectum tactus adest intimius tangenti, quam visum videnti, ideoque mouet fortius; cum aliunde vtraque potentia sit materialis, eiusdemque proinde rationis, cum sola extensione maiori visus, quam tactus. Intellectus verò est potentia alterius generis, utpote spiritualis, ideoque incomparabiliter perfectior, quam sensus. Vnde paritas non tenet quoad propositum.

QVÆSTIO XLV.

Vtrum omnes complexionones indiuiduales passionum sint in omnibus hominibus aequales relatiuè ad finem vltimum?

Videntur esse inæquales. 1. Quia vnumquodque dicitur bonum, vel malum, aut minus bonum, prout est aptum, vel ineptum, aut minus aptum ad finem suum. Quidam autem homines dicuntur habere ex sua indiuiduatione, animam bonam, & bonam indolem; quidam verò malam, ut patet inter alia ex illo Salomonis Sap. 8. 19. Puer autem

autem eram ingeniosus, & fortitus sum animam bonam. Vbi clarè datur intelligi, quibusdam inesse perinde, ex sua indiuiduatione specialem animæ bonitatem, qua carent alij, atque inest quibusdam ex eadem indiuiduatione specialis vis ingenij, qua carent alij; Ergo quidam naturaliter, ac indiuidualiter sunt animæ, ac indolis bonæ, alij verò malæ, seu non tam bonæ, ac proinde quidam sunt natura boni, alij natura mali, seu non tam boni. Confirmatur ex communi consensu constituyente eiusmodi differentiam in pueris etiam ante usum rationis, necnon dum vsus rationis vix quidquam præualeat supra inclinationem naturalem, ac indiuidualem. Quidam enim ex tunc dicuntur boni, alij nequam, propterea quæ illi diliguntur, hi verò vitantur magis. Istiusmodi autem discrimen non aliundè prouenire potest, quàm ex dispari in diuersis complexione passionum, & remotè ex dispari temperamento. Quid verò manifestius esse potest, quàm non esse inuicem æquales relatiuè ad finem hominis eas complexioniones passionum, ratione quarum alij euadunt boni, seu indolis, & animæ bonæ, alij è contra?

2. Certum est, quæ sunt specie diuersa, esse inuicem inæqualia, seu prædita inæquali bonitate. Certum rursus est, inter ea, quæ sunt inæqualis bonitatis, illa esse similia Deo, quæ sunt meliora. Quæ duo stabilita sunt quæst. 44. de Deo ad 7. art. 2. Certum denique est, complexioniones passionum esse in diuersis diuersas specie. In quibusdam enim præualeat irascibilis, in aliis concupiscibilis; quidam sunt audaces, quidam timidi; in quibusdam est maior propensio ad amorem, in quibusdam ad odium, & sic de similibus. Cum igitur homines propter diuersas complexioniones passionum euadant inæqualiter similes Deo, ex sua indiuiduatione, vt apparet ex principiis positis; dubitari minimè potest, quin ratione earundem complexionum euadant iidem inæqualiter idonei ad consequutionem, & fruitionem sui ultimi finis, qui est Deus. Impossibile nimirum est, vt qui est similior Deo, non congruat eo ipso magis coniunctioni cum Deo. Igitur complexioniones passionum non sunt omnes inuicem æquales relatiuè ad vltimum finem.

3. Videtur, ita se habere complexionem, & temperamentum passionum ad salutem animæ, & ad operationes honestas, ac inhonestas, sicut se habet temperamentum physicum qualitatum naturalium ad salutem corporalem, & ad operationes eidem utiles, vel nocentes. Complexioniones autem qualitatum naturalium non sunt omnes in omnibus æquales respectu salutis corporalis, & operationum naturalium, vt patet. Ergo nec omnes passionum complexioniones sunt in omnibus æquales respectu salutis spiritualis, & operationum moralium, à quibus dependet finis vltimus.

4. Peccata sunt inæqualia, & alia aliis peiora, magisque impeditiua vitæ æternæ. Vnde fit, vt plures damnentur propter quasdam species peccatorum, quàm propter vllam aliam speciem. Qua de re nequaquam dubitant Theologi in genere; sed supposita ea veritate vt certa, dissentiunt solum quoad determinationem, ac assignationem eiusmodi speciei, dicentibus Cardinali Toletio, & aliis, plures esse in inferno propter peccata contra septimum præceptum, quàm propter peccata contra vllum aliud præceptum; aliis verò communiter tradentibus maiorem esse numerum reprobatorum propter peccata contra sextum præceptum. Singulæ autem passiones habent specialem vim inducendi singulas determinatas species peccatorum, atque in quibusdam præminet passio inductrix furci, & rapinæ, in

aliis passio inductiua peccatorum luxuriæ. Ergo iuxta inæqualitatem eiusmodi præminentiae diuersarum passionum contingit, nonnullos naturaliter esse constitutos in maiori periculo damnationis, quàm alios.

5. Indoles quorundam talis est, quæ spontè faciat spem laudabilis, ac permanentis profectus in operibus spiritualibus, & ad Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantiam pertinentibus. Quod clarè supponit Conc. Trid. sess. 23, de reformatione cap. 18. sub initium, dum præcipit, vt pro Collegiis, seu Seminariis Ecclesiasticis fiat delectus eorum puerorum, quorum indoles, & voluntas spem afferat eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuò inferuiros. Eodem significantius pertinet, quod tradit sæpè Augustinus, indolem quorundam esse talem, quæ diuinæ vocationi facilè obsequatur, atque illustrationi, & delectationi gratiæ Dei, ita congruat, vt opus salutare, ipsamque conuersionem ad fidem, quæ est salutis initium, ac fundamentum, inducat de facto. Audiatur lib. 2. ad Simplic. quæst. 2. circa medium: *Quamuis multi vno modo vocati sint; tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Et clarius c. 14. de bono persæ. *Ex quo apparet habere aliquos diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Huiusmodi autem vsque adeò inæqualis diuersitas indolis, quatenus afferens spem bonæ frugis, & constituens idoneitatem, & coaptationem specialem respectu vocationis, & gratiæ diuinæ; tota demum reuocatur proximè, ac immediatè ad specialem complexionem passionum & affectuum naturalium specialiter prædominantium in vnoquoque. Non est igitur ea æqualis in omnibus relatiuè ad negotium salutis, & vitæ æternæ.

6. Nonnulli ex impulsu prædominantis passionis, propendunt ad militiam, alij ad mercaturam, alij ad vitam solitariam, alij ad socialem, alij ad cœlibatum, alij ad coniugium, alijque aliter modis aptitudinum, ac propensionum vsque adeo disparibus, vt sint etiam nonnulli natura domini, alij natura serui, ex doctrina Philosophi lib. 1. Polit. c. 3. Nemo autem dixerit, omnes eiusmodi status, & modos viuendi esse æquè opportunos, vt quis tutò ac feliciter pertingat ad vltimum suum finem. Alioquin nulla esset instituenda consultatio de eligendo determinato statu, ac modo viuendi, quæ tamen est longè maximi momenti. Ergo nec omnes passionum complexioniones, quarum inter se diuersitas hanc aliam diuersitatem inducit ex sua natura, sunt æquales sub eadem consideratione.

7. Mansueti, & quorum passiones sunt moderatæ, atque inuicem æquilibratæ, seu temperatæ ad pondus, vt dicitur, sunt meliores, quàm feri, & prædominio specialis passionis præcipites, dicente Philosopho eodem in loco: *In homine, & aliis animalibus eodem modo, mansueti quidem meliores sunt, quàm feræ.* Qua de causa religionum, aliorumque præfides cœtuum, pro eligendis, aggregandisque de nouo, diligenter inquirunt de indole cuiusque, & de temperamento passionum, cõsque præferunt, qui mansueti magis sunt, & quos nullius specialiter passionis vehementia, ac prædominium reddit minus tractabiles, minusque dociles. Meliores autem dici non possunt, aut aptiores instituto religioso, maioremque præferentes spem profectus spiritualis, qui non sunt magis indidem idonei ad suum vltimum finem. Inest igitur, quibusdam passionum complexionibus, maior ad illam aptitudo, quàm aliis.

8. Dubitari minimè potest, quin educatio bona

bona magnam vim adiciat ad rectam animæ directionem, & ad consequitionem vitæ æternæ, vt est notū apud omnes, & habetur ex præindicata sess. 23. cap. 18. Conc. Trident. ex Conc. Tolet. 4. cap. 23. ex Aquilgr. cap. 135. ex Later. sub Leone X. sess. 9. de Reformatione, maxime verò ex cap. 30. Ecclesiastici à vers. 9. Indoles autem bona, & æquabilis passionum temperies æquiparatur, si non & præualeat educationi vtunque bonæ reformanti indolem non bonam: quia, quorum indoles est bona, tales sponte sunt ante educationis adminiculum, quales euadunt beneficio educationis bonæ, qui non sunt præditi indole bona, atque illa cohæret tenacius. Vnde est illud Senecæ epist. 96. *Quidam ex hominibus, egregiam sortiti indolem in ea, que tradi solent, perueniunt sine longo magisterio, & honesta complectuntur, cum primum audierint.* Ergo dubitari minus etiam potest, quin bona indoles, id est bona passionum complexio, magnam pariter vim adiciat ad rectam animæ directionem, & ad consequitionem vitæ æternæ.

9. Cætera animalia ex peculiari cuiusque indiuiduatione, exque dispari qua itatum naturalium, & inde passionum temperamento, euadunt inæqualiter idonei ad suas operationes, & ad finem vnumquodque suum, vt canis ad custodiam, aut venationem, equus ad portandum, aut pugnandum. Ergo etiam in hominibus existit indidem similis inæqualitas aptitudinis ad operationes, & finem proprium ipsorum. Patet consequentia, quia homines non minus, quam cætera animalia, disponuntur, ac afficiuntur diuersimodè per dispares complexionones qualitatum naturalium, ac passionum; & quæ determinant vltimo bruta, hominem quoque, si non similiter determinant, saltem inclinant, redduntque specialiter propensum ad hoc, vel illud operationum genus.

10. Si nulla esset disparitas hominum, ex disparitate indolis, & passionum, relatiuè ad operationes bonas, & malas; conferentes, & non conferentes ad vltimum finem; nullus esset locus coniecturis Astrologorum circa homines, nulliusque esset momenti, qualis cuique contigisset astrorum aspectus. Quod tamen contradicit, non solum experientiæ, sed etiam Doctrinæ D. Thom. tum alibi non semel, tum maxime lib. 3. contra gent. cap. 9. vbi sic habet: *Quamuis Deus solus directè ad electionem hominis operetur; tamen actio Angeli operatur aliquid ad electionem hominis per modum persuadentis; actio verò corporis celestis per modum disponentis, in quantum corporales celestium corporum impressiones, in corpora nostra, disponunt ad quasdam electiones.* Ex quo principio approbat ibidem doctrinam Philosophi dicentis lib. 1. magn. moral. cap. 8. *Natura namque fortunatus est, qui sine ratione ad bona impellitur, eaque consequitur.* Et lib. 7. Polit. c. 13. *Quod igitur bene viuere, ac felices esse omnes cupiunt, manifestum est. Sed aliis potestas est adipiscendi, aliis non, propter fortunam aliquam, vel naturā. Opus est enim adiumentis quibusdam ad bene viuendum; minoribus quidem, illis qui melius dispositi sunt, maioribus autem, qui peius. Quibus iterum consonat, quod scribit idem D. Tho. 1. p. q. 115. art. 4. ad 3. Plures hominum sequuntur passionem, quæ sunt motus appetitus sensitui, ad quos cooperari possunt corpora celestia. Pauci autem sunt sapientes, qui huiusmodi passionibus resistant. Et ideo Astrologi, vt in pluribus, vera possunt prædicere, & maxime in communibus, non autem in speciali. Negari igitur non potest, quin quædam passionum complexio, & specialis modus coordinationis, atque contemporaneitatis earum conferat magis ad honestatem morum, & ad felicitatem etiam summam.*

11. Eiusdem rationis videntur esse intellectus be-

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

nè dispositus ad percipiendam, indagandam, firmiterque retinendam veritatem, & voluntas benè disposita ad prosequendum honesta, & ad adherendum constanter vero bono. Et rursus, sicut comparantur cum intellectu sensus exteriores, & imaginatiua, æstimatiua, ac memoratiua, ita comparantur cum voluntate appetitus sensituius, & passionem, seu affectus naturaliter in eo exurgentes. Sicut ergo intellectus disponitur inæqualiter ad veritatem, quæ est eius centrum, ex dispari sensuum externorum, ac internorum, subtilitate, & hebetudine, ita etiam voluntas disponitur inæqualiter ad purum bonum, quod pariter est eius centrum, & finis vltimus totius hominis, ex dispari coagmentatione passionum, seu affectuum partis sensituiæ.

12. Plurimum refert ad salutem animæ, quæ cuique obiecta exterius occurrant. Si enim occurrant, quæ spiritualiter delectent, & ad pietatem permoueant, iuuant plurimum ad salutem, eaque propter vt talia occurrant; frequenter ab Augustino attribuitur speciali gratiæ Dei; sin minus nocent tantumdem, atque eorum occursum pertinet ad permissionem diuinæ iustitiæ. Fieri autem potest, vt quis ita sit affectus, ac dispositus in vtramlibet partem ex indiuiduali suo impedimento, & ex qualitate passionis permanenter inexistens, seu facile & crebro recurrentis; qualiter afficitur ac disponitur per occursum eorum obiectorum. Quæ videlicet, sensibilia cum sint, non aliter permouere, ac inclinare possunt voluntatem, quam sic, vel sic excitando immediate appetitum sensituium, cuius quolibet inclinandi summa potestas est penes naturale cuiusque temperamentum. Ergo in istiusmodi temperamento, quod est radix, & mensura passionum vnicuique inexistens, repositum est pondus vt minimum æquale ad salutem animæ, euaditque dispar, iuxta disparitatem illius.

13. Angeli Custodes hominum sunt omnes inæquales specificè ex sententia D. Thomæ, & plurium aliorum; idque ita oportuisse, suadet idem S. Doctor 1. part. quæst. 113. art. 2. ad 2. ratione speciali custodiæ hominum dissidentium inter se, quasi specificè ex sua indiuiduatione. Et rursus inæqualitas naturalis Angelorum, quoad substantiam, inducit per se inæqualitatem quoad vltimum finem, & quoad gloriæ gradum consequibilem ab vnoquoque, vt cum eodem D. Thoma traditum à me est quæst. 24. de Angelis. Ergo & homines, ex sua indiuiduatione, id est ex sua peculiari cuiusque complexione passionum, sunt inuiceminæquales relatiuè ad eundem vltimum finem. Patet consequentia. Quia perperam adhiberentur custodes inter se dispares relatiuè ad vltimum finem clientibus inuicem paribus sub eadem consideratione.

14. Plerique coniugati fideles, ac pij assiduas ad Deum fundunt preces, vt prolem bonæ indolis, quæ in bona passionum, affectuumque naturalium complexione sita est, consequantur. Oratio autem est clarissima testificatio gratiæ Dei ex August. epist. 95. & 107. de dono perseu. cap. 23. & alibi. Ergo bona indoles est specialis gratia Dei. De conceptu autem gratiæ Dei est, vt specialiter iuuat ad salutem animæ, & ad finem vltimum.

15. Propter omnia demum argumenta nuncupque ponderata, communis hominum persuasio est, bonam indolem, & passiones naturaliter temperatas esse magnum quoddam donum Dei, & plurimum conferre ad felicem exitum, & ad laudabilem totius vitæ progressum. Neque verò est contemnendus, vel etiam potest honestè deferri communis hominum consensus in re præsertim tanta.

Art. 1. Respondetur. Periculum peccandi in genere,

nere, aut grauissimè peccandi, & tantundem spei bene operandi, aut operandi heroicè: facilitas patrandi grauissima peccata, aut difficilima pœnitentiæ, sed rarerè occurrentia, & facilitas committendi peccata non vsque adeò graua, aut facilioris pœnitentiæ, sed occurrentia frequenter: habitas æquè prompta ex se, siue ad percipienda, atque deducenda in opus documenta, tum bona, tum mala, vt fidei, & infidelitatis, siue ad imitationem, tum prauorum, tum laudabilium exemplorum, & contraria inhabilitas: mutabilitas æquè leuis de bono in malum, & de malo in bonum, & immutabilitas contraria: atque in summa, cerea flexibilitas, & inflexibilitas ærea in vitium indiscriminatim, & virtutem. Hæc inquam omnia & similia peculiariū indiuiduationum extrema, ita singula singulis æquipollent, vt neutrum sit præferibile alteri relatiue ad vltimum finem hominis, nec spem, aut periculum fundet maius obtinendæ, aut amittendæ vitæ æternæ, vt sponte apparet consideranti.

Art. 2. Omnes autem complexionēs passionum naturaliter possibiles semper, ac necessario constituunt in omnibus hominibus, alterum ex eiusmodi extremis coniunctum cum altero sibi correspondente; idque sub eadem iustissimè mensura, ac gradu. Id quod experientia in primis docet admodum clarè. Qui enim audenter, aut temerariè peccant, dum sunt prauī; iidem fortiter, operantur, aut heroicè, cum applicant animum ad honestatem, si cætera ad vtrumque requisita sint æqualia; & qui amorī profano indulgent effræniter ex genio; iidem ductum gratiæ dilectricis, dum sese illi accommodant, paricæ dilectionis impetu sequuntur. Certè idem ille est, de quo prius dicitur Act. 9. 1. *Saulus adhuc spirans minarum, & cadis in discipulos Domini*; quique deinde clamat ad Rom. 8. 35. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et sicut semel, atque iterum fatetur 1. ad Corinth. 15. 9. ad Galat. 1. 13. ad Philipp. 3. 6. *Persequebatur Ecclesiam Dei*, & Act. 8. 3. *Saulus autem densabat Ecclesiam*: ita, præter alia innumera, in eodem loco ad Corinthios subdit: *Abundantius illis omnibus laboraui*, & 2. ad Corinth. 12. 10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustis pro Christo*, & Act. 15. 41. *Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmandus Ecclesias*. Similiter mulieri, quæ ex natura amatrice, per prauum amorem prius erat in Ciuitate peccatrix; deinde dimissa sunt peccata multa quoniam dilexit multum, dilectione inspirata à Deo, & terminata ad Deum; atque os illud primò proci in facies, deinde ex quo intrauit, non cessant oculari pedes Iesu, vt habetur ex Luca 7. à ver. 37. sed iuuat occasione Pauli adicere documentum vniuersale nostræ intentionis expressiui, quod simul cum alio exemplo tradit Augustin lib. 22. contra Faustum c. 70. *Anima virtutis capaces ac fertiles promittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent. Qui virtuti potissimum sunt accommodata, si fuerint præceptis exulta. Sic enim agricola, quam terram vident, quamuis inuiles, tamen ingentes herbas progignere frumentis aptam esse pronunciant, & quem montem oleastris siluescere aspexerint, oleis esse vtilem, cultura accedente, non dubitant. Sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum patrem à ciue improbo iniuriam perpetientem inultum esse non perculit, non seruo ordine potestatis, vitiosa quidem, sed magna fertilitatis signa fundabat. Sic Saulū Ecclesiam persequentem Deus de cælo vocauit, prostrauit, erexit, implicuit, tanquam percussit, amputauit, insecruit, fecundauit. Illa namque Pauli sanctitas, cum secundum emulationem paternarum*

traditionum persequebatur Ecclesiam, putans officium Deo se facere, tanquam sibi iuste erat vitium, sed magna fertilitatis indicium.

Art. 3. Longum esset, ac interminabile, si omnia eiusmodi exemplorum paralella, quæ in sacra pagina, & vitis Sanctorum occurrunt circa singulas passionum species, singillatim referre, atque inuicem diligenter conferre vellem. Illud est manifestum, atque omnibus quotidie obuium, ac peruium, pueros, qui, ob temperatas passiones, & bonam indolem. Angeluli vulgo dicuntur, quique sunt medij inter extremè affectos naturali ter, sicut tepidum inter frigidum, & calidum in summo, & quorum proinde parilis in bonam, & malam frugem exitus argumento idoneo esse potest pro simili iusta correspondentiā circa inæqualiter affectos, & extremitate passionis alicuius vehementes. Manifestum inquam, & obuium, ac peruium est, pueros eiusmodi suauiter, ac facile obsequi Magistro Sanctorum morum directori, eiusque ductum sequi feliciter prono alueo; sed eosdem pari facilitate, ac pronitate seductoribus parere, & parere; atque euadere perpetuò tales, quales ij fuerint, in quos inciderint, siue oleatri, siue oleæ, siue agni, siue lupi.

Art. 4. Ratio vniuersalis à priori est. Proxima quidem, quia appetitus sensitiuus dirigitur in primis cognitione præcidenti à ratione honesti, ac inhonesti, ideoque incumbit, & cooperatur pari impetu, per singulas species passionum, singulis affinitibus speciebus electionum voluntatis, siue prauarum, siue laudabilium. Deinde (& hæc est remota, ac prima ratio vniuersalis) peculiaris dispositio, & pronitas eiusdem appetitus, ad singulas species affectuum, seu passionum, dependet ex peculiari temperamento primarum quatuor qualitatum in vnoquoque, eidemque iuste correspondet, vt notatum est identidem superius. Quatuor autem primæ qualitates duplici constant contrarietate, altera caloris, & frigoris, altera humiditatis, & siccitatis; vt quantum cuique accreuerit caloris, tantundem desit frigoris, atque è conuerso; & sic de humiditate, ac siccitate. Seruant præterea similem contrarietatis modum, quoad vim agendi, ac resistendi; vt quæ qualitas est maximè actiua, (loquor autem de qualitate in concreto) eadem sit minimè resistentia; & è conuerso quæ est maximè resistentia, eadem sit minimè actiuitas; & sic proportionaliter de actiuitate, & resistentia prope summum. Exemplo sumpto iuxta communem sententiam ignis, & aqua, alter calidus in summo, propterea quæ summè actiuus, altera frigida in summo, propterea quæ summè iners. Similiter enim ignis vix quidquam resistit, vt patet in flamma lucernæ, & quauis alia. Qua nempe velocitate flamma flammæ incessanter accrescit per singula momenta, eadem tantundem euanescit. Qua de causa à Philosopho dicitur fluuius fiens, & fluens. At aqua lentissimè aggenerans aquam, pertinacissimè resistit actiuitati ignis, atque ab eo validè impetita, & intensissimè calefacta, ac feruens durat tamen diu, & redit faciliè in pristinum statum. Eadem est proportionalis ratio, licet non vsque adeò manifesta de aëre & terra, eadem quoque de mixtis iuxta maiorem, vel minorem participationem cuiusque elementi, & qualitatis. Apparet itaque ex ista primarum qualitatum natura, & ex prænotata inter ipsas, & passiones, seu affectus analogia, eos, in quibus præminent passiones maximè actiuas, subesse necessariò passionibus ad resistendum minimè idoneis, & qui plura aggeri, ac perficere vi maxima possunt, eosdem obiectis exterius occurrentibus faciliè cedere, atque in eorum naturam transire quam citissimè.

Art. 5.

Art. 5. Cum igitur, quæ ad salutem animæ, & ultimi finis consequutionem requiruntur, omnia ad hæc duo summa capita, redigantur ex ps. 36. 27. *Declinare a malo, & facere bonitatem* hoc est, resistere tentationibus demonis, & cooperari inspirationibus Dei; clarè concluditur, quorum quoad alteram partem, est optima dispositio, eorundem, quoad partem alteram æqualiter requisitam, esse tantundem prauam dispositionem. Quia verò præmissum insuper est, vim tam agendi, quam resistendi, nec non defectum virtutis ad agendum, & resistendum, siue circa difficilia, & rara, siue circa facilia, ac ordinaria, æquè vigere, ac deficere in quolibet, respectu honesti, ac inhonesti, quantum est ex parte appetitus sensitiui secundum se; concluditur denique, omnes cuiuslibet generis complexiones passionum, ad quate consideratas, esse absolute æquales relatiue ad vltimum finem; nec pro salute animæ esse præferibile, ac optabile magis vnum aliquod determinatum temperamentum indiuiduale affectuum, quàm quoduis aliud; atque omnia illa mutæ compensationis extrema, initio propofita, omnino subsistere, sibi quæ inuicem correspondere iustissime in omnibus, & quibusvis indiuiduationibus intrinsicis, ac inuariabilibus hominum, secundum se præcisè consideratis, & præscindendo ab iis penitus omnibus, quæ vnicuique specialiter prouidentur à Deo extrinsecus, & variabiliter. Id quod apparebit clariùs, magisque confirmabitur ex dicendis hic, & in quaestione sequenti.

Art. 1. Ad 1. & ad eius confirmationem. Bonitas, & malitia rerum vulgo consideratur, & laudatur, ac vituperatur relatiue ad finem proximum, aut solum, vel certè magis quam relatiue ad finem vltimum. Quia finis proximus, & conducentia, ac ineptitudo ad ipsum sunt notiores, & plerique ad eundem afficiuntur magis. Finis autem proximus siliorum est, vt obsequantur parentibus, & iis quorum magisterio traduntur à maioribus. Vnde ij pueri dicuntur vulgariter bonæ iudolis, ac animæ, laudanturque, ac diliguntur, qui ex sua indiuiduatione & naturali passionum temperamento sunt facile disciplinabiles, ac dirigibiles. Eminuit porro in hac parte Salomon, ideoque sanctissimi parentis exemplis, & documentis facile plurimum profecit, & puer, & adolescens; vt pote sortitus simul cum anima, iuxta sensum explicatum, bona, parentem, eundemque doctorem absolute, & simpliciter optimum, cuius etiam precibus, ac meritis, & ex peculiari Dei erga se benignitate consequutus præterea est gratiam auxiliatricem in gradu excellenti, vt ipse exponit in contextu immediato.

Art. 2. Quid autem posset in ordine ad vitam æternam naturalis illa bonitas animæ, his destituta subfidiis interius, & exterius sibi specialiter prouisis à Deo, declarat in primis idem Salomon in proximè sequenti cap. 9. ver. 6. dicens: *Nam & si quis erit consummatus inter filios hominum, iuxta dictam vulgarem estimationem si ab illo abfuerit sapientia tua, (quæ est ex gratia) in nihilum computabitur; id est nihil valet ex se. Quod est meum intentum.* Docuit insuper abundè illud ipsum exitus eiusdè Salomonis. Nempe qua facilitate ætas eius tenera ductum paternæ pietatis sanctè sequuta est, eadem iam grandior, siueque iuris facta incidit in eum nequitia hamum, cuius esca illecebrosa trahit ad se præcipua vi eos potissimum homines, qui de indole bona laudantur, atque infano amore pessimè exarsit ad deiterationem vsque fidei, & ad publicam idololatriæ professionem, quæ sunt vltimum malorum.

Art. 3. Confirmat denique hoc idem illa ipsa coniunctio, & laus vniformis animæ bonæ, & in-

genij præstantis. Ingenium enim vtrumque præstans est æque idoneum ex se præcisè ad percipiendam, & clarissime apprehendendam, atque efficacissime proponendam voluntati honesta, ac inhonesta, & quæ ad rectam fidem, quæque ad infidelitatem perducunt. Similiter ergo anima, seu indoles bona ex se præcisè est æquè facile flexibilis ad probitatem, & improbitatem, ad pietatem, & impietatem, ac proinde nihil specialiter confert ex se, seu posituè, seu negatiue ad vltimi finis consequutionem, nec hominem facit bonum potius, quam malum simpliciter, vel etiam remotè, & inchoatiue; sed solum reddit bonum secundum quid, & relatiue ad particularem aliquem finem proximum, vt expositum est.

Ad 2. Dona Dei, quibus homo participat naturam diuinam, qua est origo Sanctitatis, moresque imitatur diuinos, ea enim verò quo maiora, ac præstantiora sunt, reddunt ipsum magis aptum coniunctioni cum Deo, eorundemque proinde inæqualitas disponit inæqualiter ad consequutionem vltimi finis. Quia talia dona pro nullo euentu sunt indifferencia ad bonum & ad malum, nec æqualiter, aut cooperantur ad honestum, & inhonestum, aut vtrilibet resistunt. Cætera vero, ob contrariam rationem, non nanciscuntur peculiarem vim perducendi ad beatitudinem, ex eo, quod sint maioris aliquius perfectionis, licet huic excessui sit inseparabiliter cõiuncta aliqualis maior similitudo cum Deo, quia videlicet cætera præter virtutes, & earam actus alique dona gratiæ Dei per Christum non sunt media determinatè conducentia ex se ad vitam æternam, sed pura materia virtutum indifferens intrinsecè ad bonum, & malum vsum, ideoque nihil addiciens in ordine ad coniunctionem cum Deo, propter maiorem suam perfectionem naturalem, vt patet in diuitiis, & paupertate; sanitate, & infirmitate: vita, & morte. Id quod de passionibus speciali ratione demonstratum est. Et confirmari potest ex dictis quaest. 27. de Ang. ad 5. art. 2. 3. & 4. Ibi enim positum, ac manifestatum est cum D. Thoma, aliisque communiter, Angelos substantialiter perfectiores nullam propterea habuisse aptitudinem, aut specialem absolute prærogatiuam in ordine ad vitam æternam. Quid igitur mirum, si nec homini aliquid eiusmodi specialiter insit ex maiori perfectione accidentali indiuidualis sui temperamenti passionum; vt pote indifferenter conferentium ex se ad magna vitia, magnasque virtutes, aut ad frequentiam mediocrium operum bonorum, vel malorum.

Ad 3. Negatur paritas. Quia temperamentum qualitarum naturalium, quibus commensurantur passionem, comparatur eum salute corporali, tanquam causa eius formalis, & inficiens intrinsecè eatenus determinata. Quorum neutrum verificatur, sed potius oppositum relatiue ad salutem animæ, vt dictum est nuper, & supra.

Art. 4. Paucissimi damnantur propter peccata omnium grauissima odij Dei, desperationis, & infidelitatis formalis; plures propter peccata iis proxima sacrilegij, homicidij, & similibus; plurimi propter peccata luxuriæ, avaritiæ, aliæque infimæ malitiæ inter lethalia. Est verò assimilis numerus, & ordo in prædestinatis. Paucissimi enim saluantur respectiue per feruentissimum actum charitatis, non cedentem, aut non cessurum terribilitati martyrij, & quasi martyrij, periculo spoliationis violentæ omnium bonorum, infamiæ grauissimæ, & similibus; plures per actum charitatis parem victoriæ mediocrium tentationum; plurimi per eundem actum certissime victorem leuiorum tantum tentationum incitantium

tium ad peccandum grauiter. Ostensum autem est exemplis, & ratione, specialiter dispositos ad peccata omnium grauissima ex parte appetitus sensitui, eo ipso indidem esse specialiter tantundem dispositos ad opera heroica, omniumque praestantissima, & sic de reliquis duabus classibus peccatorum, & operum bonorum. Quod igitur quis ex sua indiuiduali passionum complexione sit specialiter propensus ad eam speciem peccatorum, ob quæ plerique damnantur, non propterea conuincitur esse deterius absolute conditionis in ordine ad vitam æternam; quandoquidem eo ipso indidem est specialiter tantundem dispositus ad eum bonorum operum gradum, quo plerique prædestinatorum continentur. Quapropter qui, ex temperamento passionum, sunt specialiter idonei ex. gr. ad retinendam incolumem perpetuo innocentiam, non propterea sunt melioris absolute conditionis respectu vitæ æternæ. Quia iidem sunt specialiter tantundem expositi periculo perpetuæ impænitentiæ, ac desperationis, si semel incidant in peccatum aliquod, ut euincit noster superior discursus, dummodo nihil aliunde supponatur in utramlibet partem. Inquam verò tantundem, proportionem ubique seruata inter plus, & minus dispositionis ad salutem, & perditionem: quia absolute plures damnantur, quam saluantur, omnibusque vniuersaliter inest ex se, qualiscunque demum temperamenti sint, maius periculum damnationis, quam spes salutis, pro præsentis statu naturæ lapsæ propter vulnus illatum per peccatum originale, vti expositum est quæst. 9. de Gratia.

Ad 5. Quorum indoles spem affert maiorem permanentiæ in Ecclesiasticis ministeriis, si pro illis, & in illis educantur, atque iidem applicentur, iidem spem afferrent maiorem similis permanentiæ in idolorum seruitute, & cultu, si similis adiceretur educatio, & applicatio ad istud teterrimum ministerium; & quorum munus intelligentiæ naturalis facile, & efficaciter obsequitur verbis, vel signis congruenter vocatibus ad veram fidem; iidem æquè facile, ac efficaciter sequerentur, quantum est de se, ductum parium verborum, seu signorum impellentium ad infidelitatem. Vnde Concilium, & Augustinus laudant specialiter indolem, affectionem, & intelligentiam naturalem relatiuè ad disciplinam Ecclesiasticam, & ad fidem, non absolute, & secundum se, sed supposito, ac superaddito adminiculo specialis bonæ educationis, maxime verò congruentis auxilij, & vocationis exterioris, & interioris gratiæ Dei. Qua de causa Augustinus in posteriori illo loco de Perseuerantia, qui videtur esse maioris apparentiæ in contrarium, subdit immediate: *& tamen si Dei alio iudicio, à perditionis massa non sunt gratia prædestinationis discreti, neque ipsi eis adhibentur, vel dicta diuina, vel facta, perque possent credere, si audirent vtrique talia, vel viderent*; atque ideo æquè facile quauis infidelitatis specie absorbentur sub eadem suppositione.

Art. 1. Ad 6. Si quis attentè componat singulos status, ac modos vitæ temporalis cum singulis sibi affinibus statibus, ac modis vitæ spiritualis; facile subducet, aptitudinem, & inclinationem ad professionem vitæ temporalis, specialiter exposita grauioribus peccatis, esse coniunctam cum simili habilitate speciali ad professionem vitæ spiritualis specialiter deditæ operationibus magis arduis, magisque meritoriis. Idem dicitur de vita temporali, exposita maiori frequentia peccatorum minus grauium, collata cum vita spiritali maioris assiduitatis operum minus præstantium, & sic de aliis vniuersaliter omnibus.

Art. 2. Sufficiet ad exemplum comparatio militiæ, & mercaturæ. Homicidia, & rapinæ, quibus est specialiter exposita militia temporalis, sunt grauiora peccata, quam doli, & furta quibus mercatura implicat magis. Qui autem est specialiter dispositus, magisque inclinatus naturaliter ad malitiam, idem est specialiter habilis ad tolerandam vitam spirituales asperrimè pœnitentem, & ad generosos conflictus, pro vera fide, cum infidelibus, cumque tyrannis. Natura verò mercator est specialiter habilis, vt in professione vitæ spiritualis plures adhibeat industrias multiplices lucris spiritualis, per prouidentiam circa loca pia, infirmos, & pauperes, per frequentem piis, ac deuotis orationibus conuersionem mentis ad Deum, & Sanctos eius amicos, perque alia eiusmodi; & sic de cæteris temporalis, & spiritualis vitæ exercitiis. Hoc nimirum est, quod communiter dicitur, & verissime, gratiam accommodari naturæ, seu indoli, & inclinationi cuiusque naturalis. Eadem ratione Christus Dominus ex retibus, & telonio fecit piscatores hominum, & nundinatores Cælestes, eosque conuertendæ Synagogæ magis cicurata destinauit: Paulum verò, adhuc spirantem minarum, & cædis, barbaræ; ac indomitæ Gentilium feritati opposuit, eidemque ostendit, quanta oporteret ipsum pati pro nomine eius, plus scilicet omnibus aliis, vt idem de se testatur Apostolus.

Art. 3. Si verò iidem status seu modi vitæ temporalis conferantur immediate inter se; inuenietur æquè facile similis compensatio, & ratio iusti æquilibrij. Quia modus viuendi exponens grauioribus peccatis, eo ipso peccata inducit rariùs, & faciliorem reddit pœnitentiam. Et è conuerso in modo viuendi, qui, exponit peccatis minus grauib, eorum opportunitas est frequentior, & difficilior pœnitentia. Quam in rem libet repetere ex. gr. comparisonem militiæ, & mercaturæ: quia homicidia, & rapinæ, quibus est specialiter obnoxius miles, difficiliùs, ideoque rariùs committuntur, quam doli, & furta mercatoris: quia prioribus peccatis contradicunt ij, quibus nocent, vt pote præscij nocuenti, seu potius intentionis nocendi; posterioribus verò nemo vsque adeo contradicit vt pote dolose, ac latenter nocentibus.

Art. 4. Sunt itidem facilioris per se pœnitentiæ, & emendationis homicidia, & rapinæ militares, quam doli, & furta fraudulenta. Quia nihil interest homicidæ continuata complacentia in homicidio, atque rapinas facit miles ad vsum præsentaneum. Vnde neutro ex facinore iniicit sibi compedes vsque adeo impedituros pœnitentiam, & reditum ad bonam frugem. At mercator adhæret quasi visco, diuitiis iniquè comparatis, & difficillimè adducitur, vt illis renunciet, verèque pœniteat; vnde plures de facto videmus milites emendatos, & ab omni scelere militari iam alienos, quam vsurarios, aliosque eiusmodi, à nexibus nequitia, & fraudum suarum liberatos, prorsusque solutos. Scimus de hoc confessores, sciunt omnes. Facile esset, nisi esset morosum nimis, nec admodum vtile, aut necessarium, ire similiter per singula patefacto vbique iusto compensationum æquilibrio.

Art. 5. Hoc videtur consideratione dignum vniuersè: Non dicere perfectionem, ac iustitiam prouidentia Dei, vt grauaret speciali aliquo, & omnibus consideratis, maiori absolute periculo damnationis vllum ex institutis, ac modis vitæ temporalis, sine quibus respublicæ, & aliæ cõmunitates, ipsumque genus humanum conseruari non potest, vel commode, ac feliciter habere non potest. Inde enim fieret, vt tota hominum collectio prudenter contemneret,

meret, ac fugeret conseruationem, seu felicitatem generis humani, aut alicuius ex iis communitatibus, quibus ipsum constituitur ex natura rei; vtque quilibet ageret imprudenter, & displiceret Deo præcisè, quia eligeret, ac præstaret id, quo deficiente, deficeret idem genus humanum, aut talis aliqua communitas eius; ac demum vt nemo vnus à reliquis cogi iuste possit ad cooperandum conseruationi, ac felicitati communi, quoad aliqua necessaria. Nempe speciale periculum maius damnationis est malum essentialiter incompenfabile, atque adeo vitatur prudenter ab omnibus, nec fieri potest, vt eius electio non displiceat Deo, aut vt quis iuste cogatur ad illud subeundum.

Art. 6. Dicendum igitur est militiam, & mercaturam; agriculturam, & venationem; dominationem, & famulatum, aliisque professiones, & modos viuendi, quatenus naturaliter institutos, ac necessarios conseruationi, & felicitati hominum naturali, esse paris omnino conditionis relatiuè ad finis vltimi consequutionem, & consequenter nullam relatiuè ad eundem finem, disparitatem existere ex diuersis collectionibus affectuum naturalium inclinantium ad diuersa eiusmodi ministeria, quatenus naturaliter instituta; omnesque proinde hilariter aggredi debere, & exequi constanter illud ministerium, ad quod sunt peculiariter idonei ex sua indiuiduatione, atque eatenus contribuere ad communem felicitatem, absque vllò metu specialis propterea periculi circa salutem animæ. Quæ tamen omnia intelliguntur per se, nullaque facta suppositione actus, vel habitus boni, aut mali, aut aliqua alia supernaturali dispositione Dei. At independentem etiam ab his est vtilis, & necessaria natura deliberatio de eligendo vitæ instituto. Quæ videlicet complectitur exteriorum quoque omnium circumstantiarum considerationem, & conicit quid cuique congruat indiuiduationi. Quod nec ipsum apparet subito.

Ad 7. Philosophus, vt & vulgò alij, considerat bonitatem hominum, & prauitatem relatiuè ad solum finem proximum, eumque vniuersaliorem, & magis conspicuum, nempe ad conuictum, & vitam socialem. Huic autem congruunt magis manifesti natura, quam feri. Cæterum natura feri præoptantur pro tuitione ciuis, familiæ, aut patriæ, quando aggreditur hostis, aut inimicus, iidemque cæteris paribus sunt præstantiores administri potestatis coercitiuæ, & cogentis ad obseruantiam legum; atque accedente pari proportionaliter educatione bona, euadunt meliores ad maxima quæque, & heroica. Vnde nihil sunt inferiores mansuetis, si omnia circumquaque ponderentur. Quia de causa religiosorum Præsides cætuum, alique similes explorant habitus magis, quam passiones, & affectus naturales candidatorum, & pro qualitate habituum recipiunt, vel reiciunt quomodolibet affectos naturaliter, nisi quod, habitu etiam existente proportionaliter eodem, pro quibusdam cætibz puriores sunt magis idonei, pro aliis blandiores, & sic de aliis aliqua passione insigniter affectis. Ex quo rursus apparet compensatio intenta.

Ad 8. Educatio bona inclinat determinatè ad honesta, nec est indifferens, vt pro vllò euentu cooperetur posituè operationibus malis, aut vt bonas, ac laudabiles retardet. Cuius oppositum notatum est supra circa passiones art. 4. ad quæst. Vnde paritas non tenet, & apparet esse falsum tales esse aliquos sponte ex indole, & naturali sua complexione passionum, quales euadunt alij malæ indolis, vi educationis bonæ. Patet enim ex ratione data, nunquam tales esse posse simpliciter, & quoad omnia,

maximè verò quoad determinatam adhesionem ad honestum, licet quoad finem aliquem particularem, & proximum pares vtrique esse possint. Quod additur ex Seneca, nonnullos ex indole bona acquiescere facile documentis honestis, verum est. Sed verum itidem est, eosdem æquè facile peruertere documentis prauis.

Ad 9. Ratio discriminis est clara. Quia bruta ex temperamento primarum qualitatium, & inde appetitus sensitiui determinantur vltimò ad suam operationem, finemque suum immediatè vltimum, seu vltimum respectu ipsorum secundum se; nec vt sint bona, debent quædam ex iis, ad quæ propendet appetitus sensitiuus, prosequi, & quædam vitare; quibusdam cedere, & quibusdam resistere, imò & eadem, pro diuersis circumstantiis, modò amplecti modò reiicere; ac demum appetitum sensitiuum, omnesque eius motus regulare, ac moderari sine vniuersaliori appetitus rationalis. Oppositum autem conuenit homini, vt patet. Ergo mensura, aut etiam indicium, vel specialis aliqua probabilitas bonitatis, aut prauitatis non potest esse in homine, sicut in brutis, penes determinatam complexionem passionum; quandoquidem eadem complexio passionum modò iuuat, modò nocet tantundem, ac retardat in ordinè ad operationem, quæ decet hominem.

Art. 1. Ad 10. Coniecturæ Astrologorum non pertingunt ad vltimum finem hominis, nec valent complecti totam in vllò indiuiduo collectionem actionum humanarum pro circumstantiis innumeraliter diuersis, atque inuicem oppositis pro alio, atque alio tempore. Quapropter concesso, diuersos astorum aspectus, & impressiones posse inducere directè disparem in corpus humanum dispositionem physicam, necnon affectionem partis sensitiuæ, atque inde indirectè diuersas inclinationes ad operationes, & electiones humanas, tales, vel tales determinatè, vt docet D. Thomas in illis locis; negatur, ad hoc etiam valere eosdem astorum aspectus, & impressiones, vt maiorem, ac meliorem vni, quam alij indere possint dispositionem ad salutem vitæ æternæ, considerata tota collectione operationum requisitarum ad eum finem, iidemque operationibus consideratis pro omni possibili occurfu obiectorum, & causarum particularium exteriorum; quandoquidem eadem dispositio, & affectio naturalis ita prodest pro vno eiusmodi occurfu, vt noceat tantundem pro alio, vti sapius ponderatum est.

Art. 2. Quapropter nullus vnquam Astrologus, hoc nomine dignus, ausus est, quidquam vel etiam suspicari absolute de prædestinatione, aut reprobatione vnus potius hominis, quam alterius, sed ad summum conditionatè, quòd si hic saluabitur, vel damnabitur, id accidet per tale potissimum determinatum genus peccatorum, aut operum tantundem bonorum. Totus igitur conatus Astrologorū versatur circa fines proximos, ac immediatos, & temporales, de quibus non controuertitur in presenti. Philosophus autem, ad eosdem fines vnice, aut præcipuè refert bonam cuiusque, & malam fortunam. Et præterea includit, in conceptu fortunæ, occurfus etiam obiectorum, & aliarum causarum exteriorum, specialiter vnicuique prouisos à Deo, vel, vt ille putat, determinatos à natura agente per modum naturæ. Vtrius autem modo deuiat à scopo quæstionis præsentis.

Ad 11. Ex responsione ad 1. art. 3. apparet satis, eam paritatem valere potius ad oppositum. Adde ingenium esse causam necessariam, atque hominem, vt bene inde habeat, operari semper vniiformiter. At voluntas est indifferens ad vtrumlibet oppositè

oppositorum, vtque benè habeat, indiget adiutorio, & cooperatione, nunc ad vnum, nunc ad oppositum; nunc ad agendum, nunc ad resistendum; nunc ad audendum, nunc ad timendum; & sic de aliis eiusmodi. Nequit autem vlla dispositio innata passionum esse æquè opportuna ad ea omnia, & cuius aptitudo ad vnum eorum non sit æquilibrata pari ineptidine ad illud, vt apparet ex discursu fundamentalis nostræ sententiæ. Et colligi etiam potest ex D. Thom. q. de virt. in communi art. 8 ad 10. vbi sic habet: *Dispositio naturalis, quæ inclinatur ad vnam virtutem, inclinatur ad contrarium alterius virtutis, puta qui est dispositus secundum naturam ad fortitudinem, quæ est in prosequendo ardua, est minus dispositus ad mansuetudinem, quæ consistit in refranando passiones irascibiles. Vnde videmus quod animalia, quæ naturaliter inclinantur ad actum alicuius virtutis, inclinantur ad vitium contrarium alteri virtuti; sicut leo, qui naturaliter est audax, est etiam naturaliter crudelis. Et hæc quidem naturalis inclinatio ad hanc, vel illam virtutem sufficit aliis animalibus, quæ non possunt consequi perfectum bonum secundum virtutem, sed consequuntur qualecunque determinatum bonum. Homines autem nati sunt peruenire ad perfectum bonum secundum virtutem. Et ideo oportet, quod habeant inclinationem ad omnes actus virtutum. Quod cum non possit esse à natura, oportet quod sit secundum rationem, in qua existunt semina omnium virtutum.*

Ad 12. Non magis tenet ea paritas, quàm paritas immediatè præcedens. Quia vnusquisque obiectorum exteriorum occursum habet vim determinatam alliciendi, vel ad honestum, vel ad inhonestum; nec fieri potest, vt aliquis idem eiusmodi occursum, adæquatè sumptus, modo profit, modò noceat tantundem moribus; ideoque quod talis ille sit, vel talis, iustissimè adscribitur gratiæ Dei, vel permissioni. At passiones æqua vi cooperantur honesto, & inhonesto, eademque earum complexio pro vna opportunitate operandi confert magis ad operandum honestè, & ad operandum heroicè; pro alia verò inclinatur magis ad peccandum, & ad peccandum deterimè. Vnde, quod talis aliqua, vel talis alia passionum complexio cuique contingat, non pertinet ad gratiam potius, quàm ad permissionem, secundum se præcisè, sed solum prout modificata per talem vel talem seriem obiectorum, aliarumque circumstantiarum exteriorum; idque, propter diuersum iam prænotatum modum, ac determinationem excitandi appetitum sensitium, qui conuenit occurribus obiectorum, quique conuenit complexionibus passionum efficientibus permanentè.

Art. 1. Ad 13. D. Thomas ingeniosè, vt assolet, retinuit in eo loco, ac fouit consequentiam suæ doctrinæ de repugnantia duorum Angelorum eiusdem infimæ speciei, atque omnino æqualium inter se. Cæterum ego quæst. 5. & 6. de Angelis tenui oppositam sententiam de possibilitate, & existentia plurium Angelorum inuicem omnino æqualium, & eiusdem infimæ speciei, eamque quæst. illa comprobauit, primo, & postremo loco, ex necessaria æqualitate custodum, iuxta perfectæ prouidentię leges, vbi clientes custodiendi sunt æquales. Cuius rationis vis confirmatur, ac augetur ex tota præsentis quæstionis doctrina. Quia Angeli custodes tribuuntur hominibus in ordine ad vltimum finem, vtque eos ad illum dirigant. Ostensum verò est, omnes homines esse omnino æquales eatenus inter se, ex sua præcisè constitutione naturali, & seclusis suppositionibus accidentaliter superadditis extrinsecis, quidquid sit de inæqualitate eorum, quasi specifica relatiuè ad fines proximos, ac intermedios.

Art. 2. Deinde naturalis inæqualitas Angelorum

non inducit inæqualitatem eorum quoad gloriæ gradum maiorem, vel minorem, nisi purè conditionatè; eaque inæqualitas conditionata compensatur iustè maiori proportionaliter, & minori, cæteris paribus, certitudine consequendi gloriam absolutè. Quia hæc certitudo commensuratur iustè maiori, & minori perfectioni cuiusque naturalis, inestque maior minori, & minor maiori, vt dictum, ac expositum conuenienter est q. 27. de Ang. præsertim ad 5. Huiusmodi autem æqualis diuersarum inæqualitatum compensatio mutua reperitur etiam in hominibus dispariter affectis quoad passiones, vt apparet ex dictis. Quapropter, licet essent diuersæ speciei omnes omnium hominum Angeli custodes, iuxta diuersitatem quasi specificam eorumdem hominum ex dispari indiuiduatione ipsorum, nihil inde concludi posset ad propositum obicientis, sed magis ad oppositum.

Art. 1. Ad 14. Parentes, non minus infideles, & vtunque peruersi, quàm fideles, ac pii optant, & petunt à Deo prolem bonæ indolis, id est obsequiosæ, & facie flexibilis, ac conformabilis ad similitudinem, & imitationem ipsorum. Quia videlicet filii gignuntur à parentibus ex intentione propagandi per illos imaginem, & similitudinem sui, vtque per eorumdem obsequium iuuentur, ac delectentur. Imago autem, & similitudo euadit conformior prototypo in bona indole, atque ex eadem obsequium est promptius, ac suauius, tam respectu pessimorum parentum, quàm optimorum. Vnde indoles proles, quæ communiter dicitur bonæ, id est, faciliè susceptiua extranei, facilièque flexibilis, ac disciplinabilis, habet rationem gratiæ, & beneficii diuini temporalis respectu parentum cuiusvis conditionis, sicut diuitiæ, honor, salus corporalis.

Art. 1. At respectu ipsius proles eadem bonitas indolis non habet rationem gratiæ Dei strictè talis, seu conferentis specialiter ad vitam æternam, nisi prout coniuncta cum probitate parentum, aliorumque educatorum. Nempe sortito parentes, aliosque curatores sui prauis moribus, ac documentis imbutos, expediret magis habere indolem, quæ vulgo dicitur mala, vt non ita faciliè illis acquiesceret, sed resisteret fortiter, aliāque ab eisdem iniret viam, extorris propterea, & pauper. Iam oratio, ea verò sola clarissimè attestatur gratiæ Dei strictè tali, seu salutari, quæ est propria piorum, aut tentantium ad pietatem, quæque oritur ex desiderio vitæ æternæ, & dirigitur ad eandem, à qua tamen visum est præscindere communiter petitionem bonæ indolis in prole, imò præscindere necessariò, nisi petatur vt coniungenda cum bona educatione, aliisque adminiculis salutaribus. Videatur quæst. 1. de gratia ad 1.

Ad 15. Quod præhabeatur communiter indoles bonæ, seu facilis, ac temperata, ex eo prouenit, quia plerique, in sermone præsertim familiari, sunt intenti ad solum finem proximum vitæ, ac societatis humanæ. Quia itidem de causa dicuntur vulgo felices, & præhabentur, qui diuitiis, honoribus, & potestate abundant, tametsi certum sit, non propterea eos esse melioris conditionis in ordine ad veram felicitatem, vitamque æternam, & consequenter nec esse absolutè, & simpliciter feliciores, minusve miseros. Quapropter absoluta discretio, ac prælatio vnus indolis, & complexionis passionum præ qualibet alia, nullo superaddito, extrinsecò, ab iis solum fieri potest, qui ad pauca, maximeque obuia respicientes faciliè, vt dicit Philosophus, de rebus pronunciant. Quorum enim verò infinitus est numerus, sed infinite contemnendus, vt habetur ex Eccles. 1. 15. Sapientes vero, vt nullos habuimus, quos sequeremur in hac quæstione, ita nulli sunt, quod sciam, qui contradicant.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLVI.

*Virum ratio remedij passionum sit penes
solas virtutes?*

Videtur non esse. 1. Quia contraria contrariis curantur. Contrarium autem vnius passionis est alia passio; & consequenter, quæ sunt inductiua vnius passionis, sunt saltem indirecte, ac mediate contraria eorum, quibus inducitur alia passio. Ergo remedium vnius passionis sunt alia passio, & illa omnia, quibus eadem passio inducitur.

2. D. Thomas aliquæ communiter tradunt plura singularum passionum remedia præter virtutes. Quia D. Thomas tota quaest. 39. tradit sex remedia tristitia, delectationem, fletum, compassionem amicorum, contemplationem veritatis, somnum, & balnea. Valentia verò inter alios, prosequitur diligenter in præsentia remedia pro singulis passionibus opportuna, præscindendo vbique à virtutibus. Ergo remedia passionum non sunt virtutes tantum, aut etiam præcipue.

3. Passiones cooperantur virtutibus in multiplici opere ipsarum proprio, vt dictum est supra q. 4. Neutrum autem ex cooperantibus inuicem potest esse remedium alterius. Quia vtrumlibet ex cooperantibus inuicem iuuat alterum, ac fouet, cum remedium impediatur potius, ac destruat id, cuius est remedium. Ergo virtutes non habent rationem remedij respectu passionum.

4. Ad virtutem spectat, vt aliquando subinducat, ac foueat passionem. Cum enim qui ex. gr. grauatur nimia tristitia, atque per eam impeditur, quod minus conuenienter, ac debite operetur, veræ virtutis laudabile opus est, ea adhibere, per quæ pellatur tristitia, eique succedat delectatio, conferens vigorem ad operandum, vt decet, & quantum decet. Manifestum autem est, remedium non posse esse inductiuum, aut promotiuum eius, cuius remedium est. Ergo.

5. Non habet rationem remedij, quod est applicatiuum tantum, aut inductiuum formæ, per quam tollitur malum, sed sola hæc ipsa forma, quæ est immediate depulsiua mali. Non autem mouetur appetitus sensitiuus immediate, nec impeditur eius actus, nisi per obiecta sensibilia, quorum tantummodo ille est capax. Vnde virtutes non aliter possunt mederi passionibus, quam applicando, aut inducendo, vel etiam remouendo opportunè eiusmodi remedia. Ergo virtutes non sunt remedia passionum, sed solum sunt applicatiuæ, ac inductiuæ eorum remedium. Ad eum vtique modum, quo ars medica non est remedium infirmitatum, sed est applicatiua tantum, ac inductiua remedium.

Art. 1. Respondetur. Non habet rationem remedij, quod ita aufert aliquod malum, vt simul crescere faciat malum aliud eiusdem generis cum ablato, nec illo minus. Et si quidem sit purum remedium, & non etiam nocumentum, oportet, vt sit ablatiuum mali, cui medetur, quin simul sit inductiuum cuiusquam mali. Quæ autem opponuntur singulis passionibus, talia sunt omnia, præter virtutes, vt non sint magis idonea ad tollendam nimietatem illarum, quam ad easdem nimium deprimentas, atque ad inducendam nimietatem contrariarum passionum. Sola namque ratio superior mediocritatem dignoscere, solaque virtus eandem retinere potest. Quia ratio inferior, & sensus præscindunt à regula mediocritatis, cuius obseruantia hominem

decer, ideòque applicant, quantum est de se absque iusta mensura, quæ opponuntur vnicuique passioni, atque hæc eandem operantur necessario; quantum possunt, estque perinde respectu ipsorum excessus, & defectus in depreffione passionis, cui contradicunt, & in excitatione passionis contraria. Dictum porro est supra quaest. 3. passiones secundum se esse bonas, totumque earum malum in nimietate situm esse. Solæ itaque virtutes habent secundum se rationem remedij respectu passionum, cætera non nisi per denominationem ab ipsis, & dependenter ab earumdem imperio, ac vsu, iuxta dicta superius quaest. 4.

Art. 2. Licet autem ars medica, ipsaque prudentia humana omnibus aliquovsq; communis, & philosophia naturalis præscribere possint determinatam passionum mensuram, vnaquæque suam, & iuxta eandem possint applicare aduersus excessum, & defectum singularum passionum, quæcunque illis opponuntur, aut subueniunt, atque aliqualem eatenus medietatem ipsarum intendere, ac constituturæ; nihilominus veræ, & simpliciter talis, aut mediocritas passionum, aut ratio remedij earum haud quaquam potest inde haberi. Quia finis hominis verus, & simpliciter talis non est sanitas corporalis, quam intendit medicina; nec pax, & tranquillitas communis cum Ciuibus, aut aliquod aliud bonum particulare, ac temporale, circumscribens limites prudentiæ humanæ; nec contemplatio, & assequutio veritatis purè naturalis, quæ est centrum Philosophiæ naturalis; sed solum summum bonum, eiusque visio, & dilectio, ac fructio; quo virtutes simpliciter tales essentialiter diriguntur omnes. Mediocritas autem simpliciter talis, & ratio veri remedij malorum, quorum homo est capax, dicuntur, & verè sunt in omni vniuersaliter genere, relatiuè ad finem eius simpliciter talem. Tunc enim veram mediocritatem assequitur homo in vno quouis rerum genere, cum quoad idem genus est bene dispositus ad suum finem. Consequenter ea sola habent rationem veri remedij, quæ eam mediocritatem inducere valent, atque excludere quæcunque eidem aduersantur. Solæ igitur virtutes, & quæuis alia præcisè, quatenus subsunt directioni, & imperio ipsarum, habent rationem veri remedij passionum.

Art. 3. Præterea quia sacra Theologia omnia considerat in ordine ad finem vltimum, qui est summum bonum, atque inde rationes rerum omnium, & nomina metitur, non possunt apud Theologum esse, aut dici remedia passionum, quæ, & quatenus talia censentur à medico, aut politico, aut Philosopho purè naturali. Quia fieri potest, vt moderatio passionis, quæ sufficit pro sanitate corporali, & mediu, quod ad illam inducendam præscribit medicina, non sufficiat pro salute animæ, imò vt noceat eide, & sic de mediocritate, & mediis politicæ, & Philosophiæ naturalis. Cuius rei exempla sunt admodum obuia, & quibus facile obseruare potest, atque nonnulla producentur in libro sequenti de virtutibus, maxime cum ipsis in genere, atque de distinctione supernaturalium à naturalibus differetur. Ratio est, quia media oportet esse proportionata fini. Cum igitur finis Theologicæ considerationis sit altior, ac sublimior, quam cuiusvis alterius facultatis; moderatio quoque, & remedia passionum apud Theologum sunt alterius longè rationis, maiorisque perfectionis. Inter ea autem, quæ aduersantur nimietati passionum, virtutes sunt in summo gradu perfectionis. Solæ igitur eadem virtutes, & quæ, & quatenus vi ipsarum inducuntur, & subsunt imperio rationis, & em, & nomen remedij

dij passionum apud Theologum meritò nanciscuntur absolute.

Art. 4. Ex his apparet esse minùs laudabile, & propositum, & pronunciatum quoddam Valentia in procemio qq. de passionibus. Proponit enim, laborandum sibi potissimum esse in ostendenda medicina, & remediis passionum, ac deinde pronuntiat ea quidem in re minùs fuisse copiosum D. Thomam. Et sanè quod ad D. Thomam attinet, ipse fuit circa ea remedia procul dubio copiosissimus. Quia de virtutibus, quas, & quarum effectus, dictum est, esse totam medicinam passionum, egit vsque adeo comprehensiuè, & adquatè, vt in ista parte Theologiae videatur se ipsum superasse, nullamque posteris, aut vix vllam promouendi spem, ac facultatem reliquerit. Deinde iis expositis, quæ D. Thomas directè, ac principaliter circa passiones exposuit ex professo, exigui admodum laboris est inuenire, ac ostendere ea, quæ Valentia dicit remedia passionum: quia D. Thomas exposuit luculenter causas omnes, ac motiua singularum passionum. Tota autem ea medecina cuiusque passionis in hoc sita est, vt remoueantur causæ eius, ac motiua, vtque inducantur causæ, ac motiua passionis contrariæ. Vterius idem Valentia appellat remedia, quæcunque quoquo demum modo opponuntur vnicuique passioni, & perinde valent ad eam, aut penitus opprimendam, aut deprimendam nimis, eaque exhibet, nulla vsquam tradita ratione mediocritatis Theologicæ. Quo quidem agendi modo non omnino infirmitate Theologico satisfacit vir alioqui veræ, ac solidæ Theologiæ apprime studiosus, ac tenax, atque erga Angelicum Præceptorem obseruantia cum primis religiosus. Vsque adeò difficile est, feliciter siue addendo, siue demendo recedere alicubi à vestigiis, & exemplo D. Thomæ. Nos igitur ipsum sequuti totum hoc negotium de remediis ad quæstiones proximè sequentes de virtutibus moralibus reiciimus.

Art. 5. Indidem rursus apparet ratio, ob quam Theologi communiter cum D. Thoma præmittunt doctrinam de virtutibus, doctrinam de passionibus, eamque tradunt ex professo, tamen tota passionum secundum se intelligentia, ac expositio est purè Philosophica. Ratio autem est, quia sicut medicus nequit applicare idoneè, aut perfectè intelligere remedia ægritudinis, quæ remedia sunt, quin prius expendit diligenter, atque intimè inspexit naturam, causas, & effectus ipsius ægritudinis, cui intendit mederi, ita Theologus nequit perfectè assequi, & tradere naturam, & munus virtutum, quas dictum est esse moderatiuas, ac medicatiuas passionum, quæque ad ipsum vel maxime spectant directè, quin prius passiones inspexit diligenter. Est, & alia præterea ratio, ob quam oportet præmittere passiones virtutibus. Quia nimirum affectus voluntatis, tam boni, quam mali, quibus partim eliciendis, partim cohibendis impenduntur, & ex quibus, siue directè, siue indirectè specificantur virtutes morales præsertim ad se, sunt valè affines affectibus appetitus sensitiui, atque hi posteriores sunt longè notiores nobis. Est autem optima doctrinæ methodus, vt ex iis quæ sunt notiora mi-

nusque notis affinia, ipsius affinitatis ductu progrediatur, & allurgat consideratio ad ea, quæ sunt magis abdita, & sublimiora, eoque adminiculo eadem perscrutetur, & commodius, & intimius.

Ad 1. Passiones non habent vllam malitiam, nec indigent remedio, secundum se præcisè, sed solum quoad excessum. Vt autem contrarium cuiusque passionis adhibeatur præcisè aduersus excessum eius, nec vltra progrediatur, per solam virtutem haberi potest. Quapropter contrarium passionis cuiusque non habet rationem remedij, nisi per virtutem, tanquam per formam eatenus suam.

Ad 2. D. Thomas de solis remediis tristitiæ quæstionem instituit seorsim. Cuius circa eam passionem singularitatis ratio apparet ex articulo ultimo quæst. 37. immediatè præcedentis. Ibi enim ostendit, tristitiam nocere magis corpori, quam vllam aliam passionem. Virtutes autem, quibus solis dicimus conuenire Theologicè rationem remedij passionum, non incumbunt earum moderationi, & mediocritati relatiuè ad salutem corporalem, sed solum relatiuè ad salutem animæ. Propterea igitur specialiter decuit, vt circa remedia tristitiæ ageret non solum Theologicè, sicut circa cæteras passiones per expositionem virtutum, & effectum ipsarum, sed medicè etiam, ac Philosophicè, adhibendo inter alia somnum, & balnea, quæ directè spectant ad medicum, atque exponendo cætera pure Philosophicè, nempe non adhibita interim regula mediocritatis, ac honestatis Theologicæ. Vnde ea quæst. 38. est potius Philosophica, nec necessaria Theologo, quales & alias plures quæstiones instituit ex abundanti D. Thomas, præsertim in 1. p. versus finem. De remediis, seu quasi remediis expensis à Valentia & aliis nonnullis iam nuper innouit, quid censere par sit.

Ad 3. Non indigent remedio passiones secundum se, vt iterum dictum est, sed solum quoad excessum. Nullus autem passionis excessus cooperatur vnquam vlli virtuti, sed magis eam retardat, ac impedit. Similiter respondetur ad 4. nempe virtutem mederi non minùs defectui, quam superabundantiæ, & excessui passionum, atque exercere rationem remedij inducendo conuenientem inter vtrumque extremum mediocritatem.

Ad 5. Sicut actio subuentiua pauperis non habet rationem eleemosynæ, nisi proueniat à virtute misericordiæ, nec actio utilis alteri habet rationem beneficii, nisi quatenus prouenit à beneuolentia, & sic de similibus; ita quod obstat excessui, aut defectui passionis, non habet rationem formalem remedij absolute, ac Theologicè, nisi quatenus prouenit à virtute intentiua mediocritatis, quæ decet hominem, quia homo est, cum cætera quasi remedia sint communia homini cum brutis, magna saltem ex parte. Præterea virtutes medentur passionibus, easque cohibent formaliter etiam, ac immediate per suos actus, propter dependentiam, & subordinationem motuum partis superioris, vt dictum est superius quæst. 4. Virtutes igitur per se ipsas sunt & remedia passionum, & formæ cæterorum omnium in ratione veri remedij, & strictè talis.